Explicatio Literalis

DUODECIM 2.38.36

PROPHETARUM MINORUM

EX IPSIS B.12.6

Scripturarum Fontibus,

HEBRÆORUM

Ritibus & Idiomatis,

Veterum & Recentiorum Monumentis eruta Operâ ac Studio

Caroli Mariæ Veil,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris emeriti, Ecclesiæ Anglicanæ Presbyteri.

Joan. 5. v. 11.

SCRUTAMINI SCRIPTURAS.

Zephyrinus Papa epist. ad Episc. Sicilienses apud Grat. Dist. 38.

Sicut stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fidelium inhærentes firmamento Sacræ Scripturæ non obscurat mundana iniquitas.

LONDINI,

Typis *Tho. James*, Typographi Mathematici Regii, Impensis *Abelis Swalle*, ad Insigne *Unicornis* in Cœmeterio D. Pauli.

M. DC. LXXX.

825 c4

PRÆNOBILI & MERITISSIMÆ CELEBRITATIS

VIRO

DOMINO DOMINO

HENEAGIO FINCH,

BARONI DAVENTRIÆ,

SUMMO ANGLIÆ CANCELLARIO,

REGI

A SANCTIORIBUS CONCILIIS,

REGIORUMQUE SIGILLORUM

CUSTODI,

INGENIO SPLENDIDISSIMO, JUDICIOQUE LONGE

ACERRIMO

PRÆLUSTRI,

RECTI PERTINACIA, CONSILIO & RERUM

USU

PERINSIGNI,

OMNI LITERARUM GENERE

INSTRUCTISSIMO,

FIDE IN REGEM SPECTATISSIMA, CHARITATE IN PATRIAM CONSTANTISSIMA

CONSPICUO,

PIETATE IN DEUM, BENIGNITATE IN PROXIMUM; ZELO IN PROTESTANTIUM PARTES, RELIGIONEM & CAUSAM

NULLI SECUNDO,

DIVINI & HUMANI JURIS COGNITIONE,

ET ELOQUENDI VI

OMNIUM, QUOTQUOT SUNT, HOMINUM

FACILE PRINCIPI,

Singulari cum ſtudio, cultu & obſervantia hanc ſuam qualemcumque duodecim Prophetarum minorum explicationem literalem dicat ac conſecrat imprimis addictus & deditus.

Carolus Maria Veil.

LECTORI.

Euratis à me abhinc quatuor circiter menſes ſupra biennium Romanæ Eccleſiæ erroribus, in lucem protuli Commentarium unum in Evangelia Matthæi, Marcique, & alterum in Salomonis Canticum Canticorum, quos quidem Eccleſiæ Catholicæ ad Scripturæ normam, & primævam Chriſtianorum diſciplinam Reformatæ Antiſtibus atque Doctoribus admodum probari certò cognovi. Etenim eorum benè multi me etiam atque etiam hortantur atque impellunt ut reliquos ſacrorum voluminum libros itidem explanandos ſuſcipiam. Quibus ſic, ut par eſt, morigeratus, ſuſcepi duodecim Prophetas minores interpretandos. Conjuncti autem fuerunt jam olim ſimul, & ſcripta eorum redacta in unum volumen hac de cauſa, ne ſi ſingula tantùm extarent in manibus, ſucceſſu temporis evaneſcerent propter brevitatem. Efficiunt igitur unum volumen duodecim Prophetæ minores, ab Hebræis ספר תרי עסר *dictum. Itaque ubi ad hoc enucleandum animum appuli, uſus ſum inſtituto meo, ut tum ex ſacrarum literarum fontibus ipſis, tum ex veterum & recentiorum quaſi rivis haurirem quicquid ad ſubjectam verbis ſententiam,*

tiam, eámque literæ consentaneam apertè declarandam attinere mihi videretur. Sensus mysticos & Allegoricos parcè elicio. Loca, quibus cum aliquo colore abutuntur hæretici, maximè verò Papistæ, ab eorumdem abusu & corruptela vindico. Quid vulgaris versio Anglicana habeat, quidque Vulgata Latina, quâ potissimùm utor, à textu primigenio Hebræo differat, moneo diligenter cùm ad sacri textûs intelligentiam opus esse videtur, similiter ubi ubi ad illustrandam Prophetarum mentem id mihi vehementer utile esse puto, paucis refero non contemnendas observationes Theologicas, Historicas, atque Grammaticas, & quicquid demùm pendet ex Hebræorum ritibus, quicquid ex Hebrææ linguæ mysteriis, quibus ego ab ineunte ætate initiatus sum. Atque hæc sunt, Lector Christiane, quæ de consilio meo te præmonitum volui : jam partes tuæ sunt, hanc meam opellam, quam tibi ex animo offero, æqui bonique consulere, ac studiis nostris porrò favere, quæ unicè ad Dei gloriam, Ecclesiæ Reformatæ ædificationem, & Reformationis propagationem diriguntur.

Correctiones.

PAge 1. Line 15. *totidem.* p. 16. l. 11. Id eſt, mancipio accepi eam. l. 27. וכחוביץ קנטרין. p. 62. l. 6. poſſe. p. 65. l. 10. עד הלב. p. 130. l. 2. ſeu Reſin. p. 140. l. 16. ex הר. Cetera leviuſcula errata adnotare gravi rheumate laboranti per invaletudinem non licuit.

Imprimatur,

Aprilis 21.
1679.

Guil. Sill. R. P. D.
Hen. Epiſc. *Lond.* a
Sacris Domeſticis.

OSEÆ PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

OSee filius Beeri Bethsemes oppido tribûs Issachar fuit oriundus, uti tradunt Epiphanius, Isidorus Hispalensis, & Autor *Synopsis de vita prophetarum*, quæ sub nomine B. Dorothei Tyri Episcopi & Martyris circumfertur. Regnante Jeroboamo secundo, sub quo regnum Israëlis maximè floruit, ruinam ejus prædixit: quam ut & ipse videret, ministerium ejus ad Ezechiæ usque tempora productum effecit; Ezechiæ namque anno sexto regnum Israëliticum finem est sortitum, ut videre est 4 Reg. 18. v. 10. Patheticus est, ideòque *commaticus*, ut loquitur B. Hier. hoc est, concisus. Scribit Epiphanius ab eo prædictum Dominum venturum cœlitùs in terram, *Si quercus in Selom findatur à se ipsa in portiones bis senas, & fierent tot idem quercus. Et accidit ita.* Meminit hujus Vatis Martyrologium Rom. IV. Nonas Julii.

CAPUT I. V. 1.

VErbum, &c. Q. d. Sermo, quem Deus habuit ad Vatem Oseæ filium Beeri. Vide Commentarium nostrum in Joël 1. v. 1.

In diebus Oziæ, &c. Quatuor Regum Juda temporibus unius Jeroboam Regis Israël tempora connumerantur, omissis cæteris Regibus, qui post Jeroboam ad Ezechiæ usque tempora Israëli præfuere, ut vaticinatum intelligamus Oseam ab ipso initio regni Oziæ, cùm Jeroboam filius Joas adhuc rerum apud Israëlitas potiretur. Ozias namque, seu Uzzias, qui & Azarias dictus est, regnare cœpit in Juda anno 27. Jeroboami Regis Israël, & regnavit annis 52.

Jeroboam filii Joas. Hic à patre ad bellum Syriacum profecturo 4 Reg. 13. in regni consortium assumptus videtur: ut eâ ratione Jeroboami hujus anno vigesimo septimo Ozias regnare cœpisse intelligatur; 4 Reg. 15. 2.

Principium loquendi Domino in Osee. Hebraismus, q.d. Cùm primùm Dominus me alloqueretur, dixit ad me; *Vade sume tibi uxorem*, &c. Frequentèr autem in Scripturis occurrit duplex hic Hebraismus, quo videlicet nomen proprium loco pronominis ponitur, & *loqui in aliquo* dicitur, quod Latiniùs diceretur *loqui alicui*. Sitamen B. Eucherio fides est habenda, *Loqui in aliquo dicitur Deus, cùm ea quæ agi vult, ejus cordi ut agantur, inspirat, secundum illud: Audiam quid loquatur in me.* Hinc & B. Hier. ait in Habacuc 2. v. 1. *Notandum prophetiam, visionem, & eloquium Dei non extrinsecùs ad Prophetas fieri, sed intrinsecùs interiori homini respondere. Unde & illud in Psalmis, Audiam quid loquatur in me Dominus.*

Vade. Passim hujusmodi verba non tam corporis motum atque incessum, quàm celerem atque sedulam animi attentionem & præparationem ad ea quæ injunguntur imperant. Sic Proverb. 6. v. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus:* id est, formicæ providentiam & diligentiam attentè & diligentèr contemplare, ô piger,

Parvula nam exemplo est magni formica laboris;
Ore trahit quodcunque potest, atque addit acervo.

Sume tibi, &c. Ut efficaciùs atque vehementiùs sensus & animos commoveat Vates, jubetur actionibus ipsis exprimere, quod verborum atque orationis vi explicandum cœlitùs monetur. Nam

Segniùs irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Itaque jubetur Vates ducere uxorem fornicationum, hoc est, quam fornicatam fuisse omnibus esset conspicuum filiorum citra legitimum thorum procreatione, atque susceptione. Verùm, sive *sequamur historiam*, ut Hier. loquitur, hoc est, concedamus cum Irenæo, Basilio, Augustino, aliisque multis reverà jussu Dei ab Osee ductam fuisse uxorem fornicariam; sive cum Origene, Hieronymo, Chaldæo paraphraste, recentioribúsque Hebræis & aliis benè multis dicamus rem propheticâ visione solummodò in typo fuisse propositam ad exprimendam

Hebræ-

Hebræorum Synagogam Deo desponsatam, quæ se quàm plurimis superstitiosi cultûs adulteriis contaminaverat; nihil hinc inferri potest à patronis fornicationis, quam Aug. in Exposit. Epist. ad Gal. definit, *concubitum vagum, & à legitimo connubio solutum, explendæ libidinis causâ solummodò expetitum.* Si in spiritu tantùm gestum est, quicquid Oseæ prophetică visione præceptum fuit, id omninò nihil ad fornicationis causam facit. Sin reverà Oseæ divinitûs jussus uxorem fornicariam accepit in conjugem, non potest tamen hinc defendi fornicatio; neque enim Oseas fornicatus, aut fornicari jussus dicitur, sed sumpsisse sibi jussu Dei uxorem, quæ fornicationibus olim dedita fuerat. Præclarè autem Aug. lib. 22. contra Faustum cap. 83. *Quid quæso habet inimicum fidei Christianæ, si meretrix, relictâ fornicatione, in castam conjugem commutetur?*

Et fac tibi filios fornicationum. Filii fornicationum vocantur, quos uxor ex fornicatione susceperat, priùsquam conjugium iniret cum Osea. Nam Hebraicè, Græcè, & in emendatioribus Vulgatæ editionis Latinis codicibus vox *fac* non legitur, sed tantùm, *& filios fornicationum*, supple, sume unà cum eorum matre. Quod si *filii fornicationum* dicti sunt, qui matris exemplum sequentes plurimùm essent fornicaturi, etiam quos per legitimum connubium susceperus erat Oseas ex meretrice Dei jussu ducta in uxorem, dici potuerunt *filii fornicationum.*

Quia fornicans, &c. Q. d. Idcircò jubeo te mulierem fornicariam unà cum filiis ab ipsa ex fornicatione susceptis accipere, alere, & adoptare, ut accuratè typico isto conjugio exprimas desponsatam mihi Synagogam à cultu meo ad insanum idolorum cultum descisentem, quam tamen ferre atque fovere paratus sum, modò resipiscere velit, & abjectis idolis me unum sincerâ charitate colere.

Fornicans fornicabitur. Hebraismus hîc est duplex, nempe repetitio ejusdem verbi, & futurum pro præsenti, ut emphaticè commune atque consuetum malum esse idolorum cultum indicet.

Terra. Scilicèt hæc decem tribuum Israël. Frequens est metonymia Literis Sacris, ut *terram* vocent homines terræ incolas; licèt enim & cætera animantium genera terram incolant, solius tamen hominis causâ terram creatam esse affirmat Vates regius dicens: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*

3. *Et abiit.* In visione per noctem dormiens, quemodo Esaias nudus & discalceatus incessisse legitur Esa. 20. v. 2.

Ut enim præclarè Hier. in procœmio in Oseam ad Pammachium,

chium, *Nihil Deus præcipit nisi quod honestum est, nec jubendo turpia, facit honesta quæ turpia sunt.*

Et concepit, &c. Id est, visa est Oseæ dormienti uxor fornicaria ex se conceptum peperisse filium.

4. *Jezraël.* Hoc nomen uni ex posteris Juda inditum fuisse legimus 1 Paralip. 4. v. 3. & sic vocatur civitas tribûs Issachar, in finibus dimidiæ tribûs Manasses sedes regia Achab regis Israël. Hæc civitas ætate Sanuti, anno videlicet R. S. H. 1306. vocabatur *Carethi*, nunc vulgò *Zerechin*, seu Gerinum magnum.

Adhuc modicum, &c. Id est, brevi in fortitudine brachii mei similem stragem in domo Jehu edam, atque in valle Jezraël ab ipso Jehu in domo Achab fuit edita 4 Reg. 9, & 10.

Quiescere faciam, &c. Q. d. Propediem efficiam ut regnum domûs Israël cesset in familia Jehu, ex quâ oriundus erat Jeroboam filius Joas, quartus ex eâ familiâ Rex Israël, quo regnante vaticinari cœpit Oseas.

5. *Et in illa die conteram*, &c. Q. d. Regnum Israël posteris Jehu prius ablatum, penitùs postmodùm concîdam. Hoc reipsâ contigit. Nam anno nono Oseæ filii Ela, qui est quadragesimus secundus ab occiso Zacharia ultimo de stirpe Jehu decem tribuum Rege, decem tribus ductæ sunt in captivitatem ab Assyriis.

In valle Jezraël. *Jezraël est civitas metropolis decem tribuum, seu regni Samariæ, prope quam sunt campi latissimi, & vallis nimiæ vastitatis, quæ plus decem millibus tenditur passibus. In hac, commisso certamine, ab Assyriis cæsus est Israël, id est, decem tribus, quæ ob Jeroboam de tribu Ephraim, qui primus schisma fecit in populo, appellatæ sunt Ephraim. Interdum propter Joseph, qui fuit pater Ephraim, vocantur Joseph: nonnunquam Samaria, quæ & ipsa altera urbs fuit metropolis decem tribuum: quæ postea ab Augusto Cæsare appellata est* Σεβαστή, *id est, Augusta, in qua ossa Joannis Baptistæ condita sunt. Post divisionem ergo duarum & decem tribuum, ob maximam partem multitudinis, quæ Jeroboam secuta est, nomen pristinum Israël remansit in decem tribubus. Et propter tribum Juda, quæ regnavit in Jerusalem; aliæ duæ tribus appellatæ sunt Juda.* B. Hier.

6. *Oblivione obliviscar eorum.* Significat Deus his verbis nunquam captivitatem decem tribuum esse solvendam. *Usque hodie Persarum regibus serviant, & nunquam est eorum soluta captivitas*, inquit Hieronymus. Quemadmodum autem Deus meminisse eorum dicitur quorum rationem habet, atque curam:

ita

ita contrà eorum dicitur obliviſci, quorum rationem habere non vult, & quæ extra curam ſuam quodammodò ponit. Homines enim eorum rationum habere non poſſunt, quorum obliviſcuntur, contrà, quorum ſunt memores, eorum, ſi cæteroquì curam aliquam requirere videantur, rationem habere ſolent; aut vice verſâ ob id ipſum, quia eorum rationem habent, eorum diligenter meminerunt. Inde ergo factum eſt, ut *meminiſſe* ſumatur pro *curare*, & *obliviſci* pro *negligere ac extra curam ſuam ponere*. Ex eodem fonte & illæ manarunt loquendi formulæ, queis Deus dicitur *cujuſdam rei recordari*, aut *res aliqua in memoriam ante Deum aſcendere, vel venire*; nempe quia Deus, qui eam aliquando negligere viſus eſt; ipſo teſtatur jam opere eam ſibi curæ eſſe. Neque enim infrequens eſt Hebræis, ut vocibus ad ſenſum aut intellectum pertinentibus utantur ad actionem, affectionémque voluntatis ſignificandam. Et ne longiùs abeam, tum id fit, cùm Deus dicitur nôſſe res, ſive quod frequentius eſt, perſonas, quas amet, probet, ac pro ſuis agnoſcat; prænôſſe eas, quas anteà elegerit. Itaque ceteros à Deo non cognoſci, vel expreſſè dicitur, vel apertè ſignificatur; cùm tamen eoſdem alioquin optimè nôrit. Nam cùm v. g. Deus dicit ad Iſraëlitas Amos 3. v. 2. *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ*, an non apertè ſignificat ſibi ceteras terræ cognationes eſſe ignotas? Chriſtus autem expreſſè ait ſe aliquando dicturum impiis: *Neſcio vos, Nunquam novi vos*, non quia eos propriè loquendo non nôrit, ſed potiùs quia eos optimè nôrit ac ſciat qui ſint & quibus prædíti ſint moribus; dicet enim, *Diſcedite à me qui operamini iniquitatem*. Quare quos noverit eſſe impios homines, eos nunquam ſibi notos fuiſſe dicet; ut *non nôſſe* ſcientiæ propriè dictæ effectus ſit, & indicium non ignorantiæ. Hinc illud Apoſtoli ad Philippenſes cap. 4. v. 6. *Petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*, idem eſt ac ſi diceret, Tales fundite preces, quæ Deo probentur. Vide Chryſoſtomum Hom. 14. in Epiſtolam ad Philippenſes. Sic & Deus Gen. 22. v. 12. dicit ad Abraham, *Nunc cognovi quòd timeas Deum*: id eſt, jam mihi probatur obedientia hæc a te mihi præſtita ex ſincero & excellenti Dei timore. Et Moſes Deut. 13. v. 3. *Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligatis eum*: id eſt, ut edatis externum ſpecimen pietatis in corde inhabitantis, quod gratum, acceptúmque ſit in oculis ejus, qui cor & externum opus videt.

7. *Et domui Juda miſerebor*, &c. Judam pollicetur non eſſe in captivitatem abducendum ab Aſſyriis, cùm decem tribus abducentur; eúmque de manu Sennacherib Aſſyriorum Regis

esse liberandum nullis hominum consiliis, aut armis copiisve, sed in Domino Deo suo, id est, per miraculum divinitùs; unâ enim nocte ut dicitur 4 Reg. 19. v. 35. *Angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.*

8. *Et ablactavit eam.* Clemens Alexandrinus Strom. 3. refert Hebræos à conceptione fœtus usque ad ablactationem solitos abstinere à matribus filios lactantibus. Hinc quando infans ablactabatur, quasi instaurato conjugio instruebant convivium. Vide Gen. 21. v. 8. 1 Sam. seu Reg. 1. v. 24.

10. *Et erit numerus,* &c. Ne quis arbitretur Israëlitas projici à Domino, & æternâ gentis alienæ feriri sententiâ, ut nec Deus dicatur eorum Deus, nec ipsi Dei populus, quòd paucitate sint contemnendi, prædicit Vates innumerabilem futuram eorum multitudinem. Verùm non multitudine gaudet Deus, sed ubi duo aut tres congregati sunt in nomine ejus, ibi in medio eorum est. Sic Noë omnibus mortalibus prætulit, sic Abraham, sic Mosen. Horum verò posteros innumerabiles in impietate persistentes non populum suum vocat. Ita hîc Theodoretus.

Et erit in loco, &c. Theodoretus existimat ad litteram hîc prædici futurum ut aliqui ex decem tribubus cum tribu Juda è captivitate Babylonicâ redeunte revertantur in patriam, & iterùm fiant Dei populus; unde ait hanc prophetiam impletam temporibus Zorobabel. Hinc idem S. Doctor enarrans caput nonum epistolæ ad Romanos, ubi Paulus loquens de vocatione gentium, & repudiatione Judæorum præsentia Oseæ verba laudat, ait hæc non de gentibus, sed de ipsis Judæis dicta à Deo, mentémque Apostoli esse eandem ac si dicat, Considerate, ô Judæi, quòd non semper eadem habuistis, sed aliquando populus, aliquando non populus, & rursus populus vocati estis, proindéque nihil novum & inauditum sit, si nunc pro more sitis ejecti; verùm si Christum fide susciperе volueritis, rursus misericordiam consequemini, & Dei populus vocabimini; nam & gentes, quæ non erant populus, nunc, quia fide Christum susceperunt dicuntur populus. Ita Theodoretus in Rom. 9.

Ubi dicitur. Id est, ubi dici solebat.

Filii Dei viventis. Non quia sic geniti, ut Christus, sed quia clementer habiti, non naturâ tales, ut unigenitus, sed adoptione. Verè autem Leo Magnus Ser. 6. De Nat. Domini ait: *Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum patrem.* Vide Commentarium nostrum in Mat. 16. v. 16.

11. *Et congregabuntur,* &c. Q. d. Ubi tribus Juda redierit è captivitate Babylonica, qui ex decem tribubus unà cum ea-

dem

dem tribu revertentur, unum cum eadem habebunt caput & ducem typum Christi Domini.

Quia magnus dies Jezraël. Q. d. Magnam salutem populo Israël afferam, quia magnam sustinuit cladem victus ab Assyriis in valle Jezraël. Ita Theodoretus.

CAPUT. II.

1. *Dicite fratribus,* &c. Familiare est scriptoribus tum sacris, tum profanis absentes tanquam præsentes compellare, & de re certò futurâ loqui, ac si jam præsens cerneretur. Sic Propertius, cùm Athenas iter à se institutum caneret, quanquam nondum domo exiisset, qui tamen proficisci certò statuerat, dicebat:

Nunc agite ô socii, propellite in æquora navem.

Populus meus, &c. Pollicetur Deus fore ut mutatis rebus nomina ab ipsis imposita mutentur, & *non populus* vocetur *populus,* & *non dilecta,* seu *non misericordiam consecuta* appelletur *dilecta, & misericordiam consequuta.* Ita Theodoretus.

2. *Judicate matrem vestram, judicate.* Heb. ריבו באמכם ריבו *Contendite cum matre vestra, contendite.* Matrem vocat Deus multitudinem filiorum Israël, & singulos, quibus ea constat multitudo, hortatur ut ipsam increpent, quòd propter idolorum cultum exciderit à fœdere secum inito.

Judicate. Ejusdem verbi repetitio emphasim habet. Sic Virgilius

Ducite ab urbe Domum mea carmina, ducite Daphnim.

Quoniam ipsa non uxor mea, &c. Fœdus a Deo initum cum populo suo passim in Scripturis *conjugium* appellatur; cúmque idem populus cultum uni Deo in fœdere promissum idolis defert, dicitur voce generica *fornicari,* & specificâ *mœchari, adulterare.* Has autem propter fornicationes & adulteria dicit hîc Deus repudiatum à se populum, quasi nullo unquam fœdere eum sibi devinxisset.

Auferat fornicationes, &c. Q. d. Nisi Israël falsorum deo-

rum cultum deponat, omninóque abjiciat, eum in deterrimas calamitates detrudam.

A facie suâ. Vates per adulteria & fornicationes cultum idolorum exprimens alludit ad morem meretricum, quæ fuco faciem oblinire solent, juxta illud Satyrici,

———*Mœchis foliata parantur.*

At studiosam hanc faciei medicationem casta conjux negligit juxta illud Propertii,

Uni siqua placet, culta puella satis est.

De medio uberum. Iterùm alludit Vates ad morem mulierum impudicarum, quæ solent unguentorum alabastris, floribus, amuletis, & tabellis amatoria carmina continentibus sinum inter mammas medium complere.

3. *Ne fortè,* &c. Deus Israëlitarum gentem in communi hominum humilitate jacentem, nihilque præter ceteros mortales egregium olim fortitam ab humillimis initiis ad tantum evocavit honoris gradum, ut eam ingenti beneficiorum cumulo auctam solemni fœdere sibi quasi in uxorem desponsaverit, eidémque voluntatem & judicia sua manifestaverit, & mysteria crediderit; quæ elegantissimè describuntur Ezech. 16. Nunc autem comminatur Deus, nisi Israël resipiscat, ipsum ad antiquam suam conditionem translatum iri, ut datis sibi misericorditer ornamentis nudatus exulem atque miseram prorsus ubique gentium vitam agat, qualem olim egerat apud Ægyptios.

Secundum diem nativitatis suæ. Diem nativitatis vocat, Theodoreto interprete, Israëlitarum in Ægypto servitutem.

Ponam eam quasi solitudinem, &c. Id est, *Faciam illi, quod feci in solitudine: ut ducti in captivitatem cadant in terra alienâ, patientes sitim omnium bonorum, & ad patriam suam redire non valeant.* Hier.

Et filiorum illius non miserebor, Q. d. Quinimò, & formicinæ matris liberi peribunt cum matre meretrice, cùm in deserto post egressum ex Ægypto interfectorum liberos misericorditer induxerim in terram repromissionis. Ita Hieronymus.

Quoniam filii fornicationum sunt. Hoc est, nam pessimi filii pessimorum parentum idololatriam sunt imitati.

5. *Quia*

5. *Quia fornicata est mater eorum.* Id est, mater enim eorum Synagôga mihi desponsata in uxorem à cultu meo descivit ad impium deorum alienorum cultum, & quos ex eo tempore procreavit liberos, in eadem impietate educavit.

Confusa. Id est, adulterii criminibus notata, cujusmodi mulierem Romani *damnatam* appellabant; nimirùm, quæ adulteriorum multòrum publicè convicta togam induere in manifestum impudicitiæ suæ signum Legibus cogebatur. Hinc illud Satyrici,

——Est mœcha Labulla;
Damnetur si vis, etiam Carpinia, talem
Non sumet damnata togam.——

Quia dixit, Vadam, &c. Q. d. Nam durâ fronte & meretriciâ impudentiâ in scelere suo gloriatur & palàm profitetur se velle contaminari impiâ Syrorum, Assyriorum & Ægyptiorum idololatriâ, quòd ipsi sibi victum & vestitum abundè suppeditent.

6. *Propter hoc,* &c. Q. d. Quamobrem ultione misericordiæ plenâ efficiam ut ad bonam frugem rerum necessitate compulsi tandem revocentur; nempe maximam illam bonorum copiam, quibus Israëlitæ affluunt, subducam, ita ut fame, magnáque ceterarum rerum penuriâ laborent; deinde eos in manus hostium tradam, ut captivi & exules omnis gaudii expertes intelligant idolum nihil esse in mundo, nec quicquam opis expectari posse à diis alienis, sicque tandem ad me Deum rerum omnium bonorum largitorem convertantur. *Ex quo intelligimus quòd providentiâ Dei sæpè nobis accidant mala, ne habeamus ea quæ cupimus, ut variis calamitatibus hujus sæculi ac miseriis ad Dei servitutem redire cogamur. Amatores autem Jerusalem, & gentis Judææ secundum historiam illius temporis Assyrios, Chaldæos, Ægyptios, nationesque ceteras intelligamus, cum quorum idolis fornicata est, à quibus bellorum tempore, & prementibus malis, frustrà speravit auxilium.* Hier. In sensu tropologico præsentem locum scitè enarrat Greg. Magnus Hom. 36. in Evang. his verbis. *Vir uniuscujusque fidelis animæ, Deus est: quia hæc videlicet ei est conjuncta per fidem; sed illa, quæ conjuncta fuerat Deo anima, amatores suos sequitur, quando mens quæ jam per fidem credidit, adhuc se immundis spiritibus in operatione substernit, mundi gloriam quærit, carnali delectatione pascitur, exquisitis voluptatibus nutritur. Sed plerumque omnipotens Deus talem animam misericorditer restituit,*

&

& ejus voluptatibus amaritudines permiſcet, unde dicit: Ecce ego ſepiam vias tuas ſpinis. Viæ etenim noſtræ ſpinis ſeptæ ſunt, quando in hoc quod malè cupimus, dolorum punctiones invenimus. Et ſepiam eam maceriâ, & ſemitas ſuas non inveniet, viæ noſtræ maceriâ ſepiuntur, cùm deſideriis noſtris duræ in hoc mundo objectiones reſiſtunt. Et ſemitas noſtras invenire non poſſumus, quia hoc quod malè quærimus, adipiſci prohibemur. Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: quæret & non inveniet eos: quia malignos ſpiritus, quibus ſe in ſuis deſideriis anima ſubdit, ad deſideriorum ſuorum effectum minimè comprehendit. Sed de hac ſalubri adverſitate quanta utilitas naſcatur, adjungit cùm ſubditur: Et dicet, Vadam & revertar ad virum meum priorem, quia benè mihi erat tunc magis, quàm nunc. Poſtquam ergo vias ſuas ſpinis ſeptas invenit, poſtquam amatores ſuos apprehendere non valet, ad amorem viri prioris redit: quia plerumque poſtquam in hoc mundo non poſſumus obtinere quæ volumus, poſtquam in terrenis deſideriis de impoſſibilitate laſſamur, tunc ad mentem Deum reducimus, tunc placere incipit qui diſplicebat, & is, cujus amara fuerant præcepta, repentè dulceſcit in memoria; & peccatrix anima, quæ adultera conata eſt eſſe, nec tamen aperto opere potuit, decernit eſſe fidelis conjux.

8. *Et hæc neſcivit*, &c. Id eſt, per ſummum ſcelus Iſraël ignoravit à me ſibi datam cunctarum opum copiam, quibus ad idolorum confectionem & cultum abuſus eſt.

Baal. Hoc vocabulum, cùm idoli nomen eſt, *virum* non ſonat, ſed *Dominum*. Auguſtinus lib. 7. Locutionum cap. 16. *Solet dici Baal nomen eſſe apud gentes illarum partium Jovis, Aſtarte autem Junonis; quod lingua punica putatur oſtendere. Nam Baal Punici videntur dicere Dominum; unde Baalſamen quaſi Dominum cœli, intelliguntur dicere. Samen quippe apud eos cœli appellantur. Juno autem ſine dubitatione ab illis Aſtarte vocatur.*

9. *Idcircò*, &c. Q. d. Cùm donis meis fuerint abuſi, aliâ ratione cum ipſis agam, & dona mea ipſis tanquam injuſtis poſſeſſoribus auferam, & eo quidem tempore, quo ſibi rerum omnium abundantiam pleno cornu promitti gratulantur.

Liberabo lanam, &c. Id eſt, auferam laneas & lineas veſtes à me ipſis datas in tegumentum nuditatis ſuæ. Dona indignis data videntur captiva teneri extra locum ſuum; unde cùm ipſis auferuntur, aptè *liberari* dicuntur.

10. *Et nunc*, &c. Id eſt, jam jam Iſraëlitas pœnâ commeritâ afficiam, conceſſiſque liberaliter bonis & commoditatibus exuam, ut ipſi eorum amatores videant quam ſtultè Iſraëlitæ à cultu Dei omnipotentis deſecerint ad cultum deorum, in quibus non eſt ſalus.

Et

Et vir, &c. Hebraismus, id est, nullus liberare poterit hanc gentem à pœnis, quibus eam affecero.

11. *Et Cessare faciam*, &c. Q. d. Tantis ego Israëlitas implicabo difficultatibus, ut solemnitatum Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum, triplici colligendorum fructuum anni tempore celebrandarum, Calendarum, Sabbati, & cujusvis festi, aut diei læti vix quidquam ipsis præter desiderium superesse possit.

12. *Et corrumpam*, &c. Sensus est, cùm quæ à me Deo vero multitudini filiorum Israël tanquam conjugi donata fuerant, ea ab amatoribus suis, id est, à fictitiorum numinum cultoribus ob illorum curatas religiones quasi meretrici pro libidinis mercede donata, atque conservata esse prædicabat, ego non solùm eos fructuum copiâ privabo, sed cum fructibus & ipsas arbores pomiferas disperdam, & agros cultissimos in saltus & sylvas redigam, ita ut, siquis in iis fructus nascatur, is non nisi feris in usum cedere possit.

13. *Et visitabo*, &c. Q. d. Has autem pœnas omnes dabit gens ista quòd, me Deo vero relicto, tempus omne idolorum cultui impenderit, & se totam composuerit ad idololatrarum benevolentiam sibi conciliandam. Cùm verò cultus idolorum fornicatio & adulterium appelletur, Vates in descriptione idololatrarum, ut advertit Hieronymus, *servat personam meretricis, quæ auro ornatur, & gemmis, ut placeat amatoribus suis, & quicquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirit.* Hinc illud Juvenalis Sat. 6.

———*Mœchis foliata parantur;*
Emitur his quicquid graciles huc mittitis Indi.

Et monili suo. Heb. וחליתו, id est, *& mundo suo*; nam ut monet Rabbi Salomon hîc & in Cantic. 7. v. 1. חלי vox est Arabum apud quos significat propriè mundum muliebrem. Vide Commentarium nostrum in laudatum locum Cantici canticorum.

14. *Propter*, &c. Præclarè Grotius, *Omnia hæc verbis ambiguis dicta sunt* χλευασιχῶς. *Verba sumpta ab amatoribus: res longè aliæ. Mœchi solent fœminas blandis verbis decipere. Deus illos de decem tribubus egregiè decipiet. Mœchi solent fœminas abducere in loca sola & invia: sic Deus illos abducet in loca vasta Assyriæ.*

Et loquar ad cor ejus. Hoc quoque ambiguum. *Nam*, inquit Grotius, *Loqui ad cor dicitur & qui blanditur, & qui malè in se animatum malè tractat.*

15. *Et*

15. *Et dabeo ei vinitores*, &c. *Est hîc quoque*, inquit Grotius, *ambiguum. Adulteri dicuntur vinitores, & pars muliebris vinea, ut Cant.* 8. *v.* 12. *Assyrii autem miri vinitores erunt, qui multis de Israëlitico populo sanguinem educent.*

Vinitores. Heb. כרמיה, *Kerameha, vineas ipsius.* Hieronymus legit. *Kormeha* per *cholem* post *caph.*

Et vallem Achor. Vallis, inquit Grotius, *in amoribus idem quod vinea. At Deus ei minatur vallem funestam ac luctuosam.*

Vallis Achor locus est ad Septentrionem ♃ Jericho, nec procul à Galgalis, & à regionis accolis tempore Hieronymi hoc adhuc nomine appellabatur, uti ipse S. Doctor tradit in Locis. Theodoretus hîc asserit *Achar* pro *Achor* in Syro se legere, τὸ δὲ Ἀχὼρ παρὰ τῷ Σύρῳ Ἀχὰρ εὗρον. Nempe in ea valle lapidibus obrutus est Achan, qui in Syra versione Josue 7. non *Achan*, sed *Achar* vocatur, quomodo & in Græca. Nam, ut Ἀχὰρ legitur in editione Complutensi, & nupera Parisiensi, tamen reliquæ Ἀχαρ habent, & sic legerunt Josephus Antiq.lib.5.cap.1. Athan. Or. 1. Contra Arrianos, Basilius Reg.brev. quæst. 47. Lucifer Calaritanus lib. De non parcendo delinquentibus, Cyrillus Alexandrinus lib. 5. De adoratione, Theodoretus quæst. 9. in Josue, & hanc lectionem secutus est autor Chronicorum seu Paralipomenôn, ut doceat nomen Achar ad verbum עכר alludere. *Filii Charmi*, inquit 1 Paralip. 2. v. 7. *Achar, qui turbavit Israëlem*, עכר עוכר ישראל. Quasi per allusionem ei dixerit Josue cap. 7. v. 25. *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus*, מה עכרתנו יערכך יהוה. Hinc vallis in qua ipse Achar sceleris sui dedit pœnas vocata fuit, ut dicitur Josue 7. v. 26. *Vallis Achar*, vel *Achor*, quæ ut locus bobus maximè compascuus describitur Esa. 65. v. 13.

Ad aperiendam Spem. LXX. διανοῖξαι σύνεσιν αὐτῇ. *Non malè* inquit Grotius, *ut sit* תקוה *linearum ductio ad quam instituuntur pueri. Vide Esa.* 18. v. 2. *&* 28. v. 10. *Hæc mala initium erunt institutionis ipsorum.*

Et canet ibi. Carmen scilicet amœbæum. Id enim precipuè hîc significat Hebræum עגה. *Intellige autem*, inquit Grotius *carmen fletus & precum. LXX. ad sensum* non malè ταπεινωθήσηται *& Sym.* κακωθήσηται.

Juxta dies juventutis suæ. Hoc est, *cùm servitute premeretur Ægyptiacâ, ut nunc Assyriacâ*, inquit Grotius.

Juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. Hoc est, Grotio interprete, *Priusquam exiret.* Συνεχδοχή. Hebraismus, id est, tunc verò, in illis angustiis resipiscens.

Vocabit me, Vir meus, &c. Hoc est, me amoris, non imperii vocabulo conjugem suum appellabit.

Baali

Baali. Vocem Hebraicam Vulgatus interpres retinuit, quam reddit Aquila diligens & curiosus interpres, ut verbis utar Hieronymi, *habens me.* Nempe vox אישׁ nihil odii, sed suavitatis plurimùm continet, & masculam mariti excellentiam quàm blandissimè commendat; sed vox בעל sic virum denotat, ut imperium quoddam significet & dominium. Itaque, *Amor loquitur, qui dominum nescit,* inquit Bernardus Ser. 59. in Cantic. *Vides amori cedere etiam majestatem?* Augustus Dominum se vocari vetuit, quòd imperium suum levius dominio esse voluerit. Quemadmodum enim apud Hebræos *Baal,* Sic apud Latinos *Dominus* ita principatum sonat, ut consortium & familiaritatem excludat, & servitutem quandam iis denuntiet, quorum aliquis Dominus dicitur, quod eleganter pro more Tibullus lib. 2. eleg. 4. his versibus exprimit,

Sic mihi servitium video, dominámque paratam,
Jam mihi libertas illa paterna vale.

17. *Et auferam nomina Baalim,* &c. Q. d. Ne contemptim quidem & per contumeliam vocem ad fictitia Gentilium numina translatam ore proferri velim. Nempe amantissimus conjux, dum uxorem à se ob adulteria abalienatam in gratiam revocat, nullam omninò mentionem fieri, nullámque memoriam superesse cupit eorum, quibus usa fuerit, amatorum. Nam siqua mulier hujusmodi etiam maledicendo amatoris sui nomen aliquando proferat, ab ea ipsius amorem non penitùs esse sublatum argumento esse solet, & qui hoc non vident mariti, fatui putantur. Hinc Catullus de Lesbiæ marito,

Mule, nihil sentis; si nostri oblita taceret,
Sana esset.

18. *Et percutiam,* &c. Tropis & Symbolis Scripturæ familiaribus delineat Vates futuram tranquillitatem, ubi tantus cœperit esse genti Israëlitarum erga Deum suum amor tam ab omni servitutis metu alienus, támque ab omni externo, ac vano cultu abhorrens animus, ut nominibus etiam & verbis desuescat, quæ illorum affectuum, quibus olim malè laborabat, recordationem aliquam afferre possint: & iis solum utatur nominibus & verbis, quæ summo & dulcissimo amori præstantissimæ fidei, reverentiæ & pietati integræ aptè respondeant. Sybillæ similiter & Poëtæ, cum aut ætatem auream desiderant, vel restituendam vaticinantur, omnia tranquilla, quieta, & mitissima fore prædicant, quæ aut hominibus nocere, aut hominum votis & conatibus obsistère solent; quin

& maximam frugum & bonorum copiam sponte Dei munere futuram pollicentur. Sic Virg. Eclog. 4.

Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet, Assyrium vulgò nascetur amomum.

Iisdem metaphoris significant passim Prophetæ futuram in Ecclesia sub regno Christi pacem spiritualem, ut videre est Es. 2. v. 4. 11. v. 6. Mich 4. v. 3. &c.

19. *Et sponsabo*, &c. Q. d. Æternum tecum inibo fœdus neque tantùm promissa tibi præstabo, sed misericorditer & alia gratuitò dona adjiciam.

In justitia & judicio. Quia servare fidem promissorum pars quædam justitiæ est, Deus gratuitò & liberaliter promissa præstans dicitur hîc agere *in justitia & judicio*; at cùm eadem primò promittit, aut alia promissis adjicit dona, dicitur agere *in misericordia & miserationibus.*

20. *Sponsabo te mihi in fide.* Q. d. Non simulatum tecum inibo matrimonium, sed verum, nec unquam aliam pro te substituam conjugem.

Et scies quia ego Dominus. Hoc est, sicque experieris quia quæ ego Deus verus promisi, potens sum & facere.

21. *Et erit in die illa*, &c. Q. d. Cúmque hoc æternum fœdus tecum percussero, omnia tibi affatim suppeditabo. Ut ergò suprà v. 9. 10, 11. & 12. Deus omnes humanæ vitæ commoditates, quas idololatriæ beneficio fornicans populus tribuebat falsò, ad se revocatum iri comminatus est; Sic jam modò rebus & hominibus in melius mutatis abundè omnia in melius cessura, cœlum pluviâ, rore, & sole, terram temperie & fœcunditate, fructus & annonam copiâ & ubertate votis respondura promittit verbis poëticis tam elegantibus ut nihil ad eorum dignitatem atque elegantiam, nihil in Græcis, Latinisve autoribus accedere asseveret in eorum lectione versatissimus Benedictus Arias Montanus Hispalensis.

22. *Exaudiam Jezrahel.* Id est, vallem Jezrahel clamantem ad me, ut miserear gentis Israël, quæ in ipsa valle horribilem ab Assyriis stragem sustinuit. Vide quæ diximus suprà cap. 1. v. 11.

23. *Et seminabo*, &c. Alludit ad nomen Jezrahel quod significat *Dominus seminabit*, promittitque Deus à se sic exauditum iri vallem Jezrahel, ipsius miserationem pro gente

Israël

Israël ab Assyriis victa implorantem, ut eidem genti sit restiturus terram, quam occupabant, antequam ab Assyriis in captivitatem abduceretur. Observant autem SS. PP. quod Prophetæ sæpiùs vocationem gentium sub vocatione decem tribuum ex Assyria adumbrent, vel cum ea conjungant. Vide Jerem. 3. v. 15, 16, 17, 18. & 19.

Et miserebor, &c. Hæc typicè & adumbratè sub Zorobabele acciderunt, expiesse verò & reverà ubi Verbum naturam assumpsit humanam, acquisitam sibi sanguine suo Ecclesiam despondit in æternum, & qui in eum crediderunt, populus fidelis verè extiterunt, & ipse eorum, qui ex animo crediderunt, vocatus fuit Deus post bonorum promissa & sponsiones. Ita Theodoretus.

24. *Deus meus es tu.* Ut Deus est Deus omnium populorum, quia omnium creator, tamen hæc est Ecclesiæ prærogativa specialis, quòd Deus est illius Deus, quia multò aliter est Ecclesiæ Deus, quàm reliquarum gentium. Nam si omnium hominum est Deus jure creationis, Ecclesiæ Deus est jure redemptionis, & quia proprio sanguine illam sibi acquisivit, ut sit *gens sancta, populus acquisitionis*, 1 Pet. 2. v. 9. quem sibi ut proprium vindicat. Hæc nempe sunt correlata, ut si Deus sit noster Deus, nos simus illius populus. Appositè hanc in rem B. Basilius in id Ps. 29. *Domine Deus noster clamavi ad te, & sanasti me.* ὲ πάντων θεὸς ὁ θεος, ἀλλὰ τῶν ὀικειοθέντων ἀυτῶ διὰ τῆς ἀγάπης, &c. *Non omnium Deus est Deus, sed eorum proprie, qui charitate sunt ei conjuncti, ut Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Si enim omnium esset Deus, non utique jejunctum illis testimonium reddidisset, quasi aliquid eximium. Et Jacob dicebat: Auxiliatus est tibi Deus meus. Et Thomas rursus, ubi certò didicit resurrectionem, Dominum complexus ait: Dominus meus, Deus meus. Est itaque vox ista, Domine Deus meus, plena affectu fiduciæ.*

CAPUT.

CAPUT. III.

1. ET *dixit Dominus*, &c. Rursus Deus Prophetam hortatur ut mulierem adulteram, & in sceleribus versantem diligat, ut iterùm per res ostendat imaginem & effigiem summi erga indignos divini amoris. Ita B. Theodoretus.

Diligunt vinacia uvarum. Vinacia adhibita fuisse à nonnullis in cibum testatur Suidas in voce στέμφιλον. Pulcherrimè autem aptissiméque idola vinaceis, id est, uvarum prælo expressarum reliquiis ac retrimentis comparantur, quòd inania sint & inutilia, nec quicquam boni succi suis cultoribus præstare possint.

2. *Fodi eam.* Id est, mancipavi eam. Metaphora sumitur ab iis, qui servos libertatem negligentes perforatâ auriculâ sibi ex Lege & consuetudine addicebant. Erat autem mos apud veteres Orientales, ut uxores sibi emerent, vel pretio sibi compararent viri. Ita Jacob pro Rachele septem annorum servitutem servivit. David centum præputiis Philistæorum Saülis filiam sibi uxorem comparavit. Apud Romanos etiam matrimonia inire solebant per coëmptionem, de qua Vide Brissonium lib. De ritu nuptiarum. Hoseas itaque comparans sibi uxorem quindecim argenteis, hordei coro & dimidio, morem temporis & loci, in quo vivebat, secutus est.

Argenteis. Supple, Siclis. Ubi enim כסף *argentum* absolutè ponitur, cum nomine numerali סקלין דכסף, *Siclos argenteos* notari dubium non est. In Gemara Bechoroth, fol. 49. ita legimus, *Argentum in Lege positum simpliciter siclus est, in prophetis libra, in Hagiographis centenarii,* אר חנינא כל כסף האמור בתורה סתם סלע ובנביאים ליטרין דכתובין. Verùm discrimen illud fallax & commentitium esse jam ab aliis observatum est.

Coro. Heb. חמר *Chomer.* Hæc mensura, ut dicitur Ezech. 45. v. 11. continet decem Ephi, modios verò triginta, ut hîc & alibi passim asserit Hier.

Et dimidio coro. Heb. לתך *lethech*, quod est cori dimidium.

3. *Dies multos expectabis me*, &c. Id est, nec aliis amatoribus turpiter te prostitues, nec mihi viro, à quo quadraginta & quinque modiis coëmpta es, legitimè conjungeris; neque

neque ego adulterinis commixtionibus me polluam, quamdiu tibi non conjungar.

4. *Quia dies multos*, &c. Q. d. Hæc tibi gerenda præcipio, ut rebus gestis præsignifices fore ut Israëlitarum gens in captivitatem abducta diu Rei-publicæ atque omni religionis splendore ac dignitate careat, ut neque sacrarum & prophanarum rerum jus, & morem antiquum retineat, neque consuetudinem per scelus inductam servet.

Sine Sacrificio. Per Sacrificium Synechdochicè intelligitur omnis splendor cultûs divini; nam in cultu Dei externo apud Israëlitas facilè principem locum obtinebant sacrificia, queis adumbrabant Christum Dominum pro mundi peccatis in se susceptis expiandis in ara crucis sese offerentem.

Sine altari. Heb. מצבה, id est, statua. Per statuam Synechdochicè intelligitur omnis idolorum cultus.

Sine Ephod, &c. Q. d. Nullâque supererit Israëlitis via consulendi Dominum aut idola in adversis. Ut enim per vestem sacerdotis summi superhumeralem, quæ vocabatur *Ephod*, in dubiis consulebatur Deus, 1 Sam. seu Reg. 23. v. 9, &c. ita per Theraphim consulebantur dii falsi, Ezech. 21. v. 21. & Zach. 10. v. 2. Multa fabulosa, & incerta ab Hebræis & ab aliis produntur de Theraphim, quæ libentes prætermittimus, ut ea dumtaxat memoremus, quæ ex sacris literis certè constare possunt. Igitur ✠ usum Theraphim inter idololatras viguisse, & responsa consulentibus dedisse, manifestè docent Ezechiel & Zacharias locis mox laudatis. Hos deos suos vocat Laban Gen. 31. v. 30. Humanâ facie fuisse elaboratos significat historia 1 Sam. seu Reg. 19. v. 16. ubi Theraphim vocatur, ut fit verisimile, grandis aliqua pupa, quam tumultuario opere fecit Michol, posuitque in lecto pro Davide viro suo, quem per fenestram demiserat, ut hac arte Saülis insidias eluderet. Impia enim deorum alienorum simulacra, aut superstitiosa divinationis instrumenta à Davide cultui divino addictissimo in ædibus suis fuisse servata nemo prudens sibi persuaserit. Theraphim itaque in laudata historia vocantur grandes illæ pupæ quæ æquè ac Theraphim ad hominis formam utcunque accedunt. Quales erant, quæ tauris objiciebantur in Circo, aut Argei, seu scirpeæ effigies è ponte sublicio Romæ in Tiberim jaci solitæ, aut μορμολύκεια in hortis, aut in agris ad terrendas aves poni solita.

5. *Et post hæc*, &c. Prædicitur ad litteram, si Theodoreto credimus, fore ut, finitis septuaginta annis captivitatis Babylonicæ, decem tribus, quæ à regibus ex Davide oriundis defecerant, & proprium regem sibi elegerant, unà cum Juda & Benjamin Zorobabelem ex Davidis semine procreatum ducem habeant, Dominúmque religiosè colant, atque ita magnis ab eo cumulentur bonis. Communior est sententia prædici hîc sub diem extremi judicii futuram Judæorum conversionem ad Christum, qui factus est ex semine David secundum carnem; de qua conversione fusè Paulus Rom 11.

CAPUT

CAPUT IV.

1. *Audite*, &c. Hactenus sub meretricis descriptione & adulteræ Deus totius consilii sui rationem Vati aperuit. *Nunc ad Israël, id est, decem tribus sermo convertitur, exponens non frustrà iratum Deum tam gravia comminari, & inferre supplicia, ne forsitan non ex judicii veritate, sed ex potentia Dei injustè videatur in eos, qui non peccaverant, lata prophetiæ sententia.* B. Hier.

Verbum Domini. Hebraïsmus, id est, rem divino consilio agitatam & decretam.

Judicium. Hebraïsmus Scripturæ familiaris, quo *judicium*, dicitur lis, & *judicare* qui litigat.

Cum habitatoribus terræ. Scilicet, Chananææ, cujus incolas Hoseas alloquitur. Observat enim Hieronymus in Es. 5. Vocem *terra*, cùm regionem significat, de ea esse accipiendam, de qua sermo habetur. Vide Commentarium nostrum in Joël 1. v. 2.

Non est enim, &c. Q. d. Deserbuit, imò evanuit in ea, quam vobis possidendam dedi, terra omne virtutis studium; dirupta sunt humanæ societatis vincula,

In quorum subiêre locum fraudésque, dolíque,
Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi.

Veritas. Per veritatem sæpissimè, præsertim ubi jungitur cum misericordia, intelligitur justitia suum cuique jus tribuens, quæ omnis societatis humanæ primum fundamentum ac vinculum est.

Misericordia. Cùm ea sit humanæ infirmitatis conditio, ut nusquam ferè desint, qui premantur miseris, ad stabiliendam hominum inter se societatem, præter justitiam opus est misericordiâ, quam Augustinus definit *alienæ miseriæ in nostro corde compassionem, quâ utique quantùm possumus, subvenire conamur.* Hinc illud Prov. 3. v. 3. *Misericordia & veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui: & invenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo & hominibus.*

Non eſt Scientia Dei in terra. Supple, quam inhabitatis. Senſus eſt idem ac ſi dicat, Nemo eſt veſtrûm, qui Deum habeat ante oculos, eúmque figat ſibi finem & exemplar volendi ac agendi, cujus *univerſæ viæ miſericordia & veritas.* Paſſim autem *Scire*, ſeu *cognoſcere Deum* dicunt Scripturæ, quod eſt Deum quærere, intueri, in occulis ferre, eúmque metam & normam vitæ ſuæ habere. Hoc vocat Paulus Rom. 1. v. 28. τὸν θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, *Deum habere in notitia*, quod optime ad mentem Apoſtoli verſum eſt Anglicè, *To retain God in knowledge.*

2. *Maledictum.* Heb. אָלָה, id eſt, *juramentum execratorium*, quod Chriſtus Mat. 5. v. 36. *Per caput jurare* appellat.

Inundaverunt. Heb. פָּרָצוּ *eruperunt.* Inundatio graſſantium vitiorum abundantiam demonſtrat, eruptio effrenem peccandi licentiam nullo religionis freno circumſcriptam, juxta illud Juvenalis Sat. 13.

Quæ tam feſta dies, ut ceſſet prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæſitum, & partos gladio, vel pyxide nummos?

3. *Propter hoc*, &c. Q. d. Propter peccata populi iſtius univerſa eorum regio vaſtabitur, omníque ornatu & nitore ſpoliabitur. *Cùm enim*, inquit Hieronymus, *captivitas decem tribuum venerit, habitatore ſublato, beſtiæ quoque, & volucres cæli & piſces maris deficient, iramque Domini etiam muta elementa ſentient. Hoc qui non credit accidiſſe populo Iſraël, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam atque Pannonias, omnémque terram, quæ à Propontide & Boſphoro uſque ad Alpes Julias tenditur, & probabit cum hominibus & animantia cuncta deficere, quæ in uſus hominum à creatore priùs alebantur.*

Lugebit terra. Vide Commentarium noſtrum in Joël 1. v. 10.

Infirmabitur. Hebraiſmus Scripturæ familiaris, id eſt, prole orbabitur. Vide 1 Reg. ſeu Sam. 2. v. 5. Jerem. 15. v. 19, &c.

In beſtia, &c. Id eſt, cum quadrupedibus & volucribus. Sic ſumitur particula *in* Gen. 32. v. 10. *In baculo iſto tranſivi Jordanem iſtum.* Additur hîc in verſionibus Arabica & Græca, *Et cùm reptilibus terræ*; ſed magis ſtandum arbitror veritati Hebraicæ, Chaldæo Paraphraſti, Syro interpreti, Vulgato, à quibus, ut & in verſione Græca editionis Complutenſis, hæc verba prætermittuntur. Neque enim ad maledictionem terræ pertinere videtur ut reptilia deficiant, quæ plus hominj obſunt, quàm proſunt.

Cùm

Congregabuntur. Id est, in pereuntium numerum colligentur, & unà cum terræ incolis deficient.

4. *Verumtamen*, &c. Eleganter Deus inducitur justa cum indignatione asserens supervacaneam fore cujusvis reprehensionem loquendi formulâ non absimili huic Ariadnæ apud Catullum Argon.

Et jam nulla viro juranti femina credat.

Populus enim tuus, &c. Q. d. Nam, ô Terra Chanaan, incolæ tui tantæ sunt impudentiæ, ut nec convicti quidem pudorem habeant & verecundiam, sed contradicant mihi, *quasi discipulus magistro, sacerdoti contradicat plebecula, quæ non habet sacerdotii dignitatem.* B. Hier.

5. *Et corrues*, &c. Terra corruere dicitur, cùm ejus habitatores corruunt. Sensus itaque est, Brevi, ô terra, corruent decem tribus te inhabitantes, in captivitatem ducentur ab Assyriis, regnum perdent, & omnem gratiam prophetalem. *Quamdiu non sunt captæ decem tribus, habuerunt & Eliam prophetam, & Elisæum, & ceteros filios Prophetarum, qui prophetaverunt in Samaria. Unde & Amos Propheta, qui de tribu Juda erat, & de viculo Thecuæ, cogitur redire ad patriam suam, ne in alieno regno & Samaria prophetaret.* B. Hier.

Nocte. Id est, Horridis calamitatum tenebris. Fortè etiam noctu capta est Samaria decem tribuum Regia, quæ hîc prædicitur capienda.

Tacere feci. Præteritum pro futuro, id est, tacere, & mœrore contabescere faciam.

Matrem tuam. Quomodo Dominus loquens ad populum Judæorum dicebat: Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Non quòd alia esset Jerusalem, & alius populus; neque enim absque populo ad cæmenta Urbis, & ligna, & lapides loquebatur. Ita hîc mater vocatur populi frequentia, & omnis turba nationis Hebrææ, ad quam loquitur: filii autem, vel singuli ex populo, vel per oppida, villásque dispersi. B. Hier.

6. *Conticuit*, &c. Præteritum pro futuro, id est conticescet, seu obscurissimâ æternæ captivitatis caligine cooperietur, quia ne bene ageret, ignorantiæ tenebris se mancipavit populus meus.

Quia tu, &c. Aliis verbis ad ipſum populum eleganter orationem convertens fuſiùs & clariùs prædicit quod mox obſcuriùs & conciſiùs dixit, נדמו עמי מבלי הדעת, *Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit ſcientiam.*

Repellam te ne ſacerdotio fungaris mihi. Indignus enim faſtigio ſacerdotali, qui eam neglexerit ſcientiam, quâ potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes redarguere.

Obliviſcar filiorum, &c. Obliviſci dicitur Deus eorum, quibus negat, aut ſaltem procraſtinat exoptatum auxilium.

7. *Secundum multitudinem*, &c. Q. d. Quo major populi Iſraël ſeu ſacerdotum fuit numerus, eò vehementiùs, me neglecto, ad deorum alienorum cultum intenderunt. Idcircò quo honor ſacerdotii eorum abundantior fuit, eo majore ignominiâ eos afficiam in poſterum.

8. *Peccata*, &c. Id eſt, Theodoreto interprete, metent quæ ſeverunt, & ſuorum peccatorum fructum vindemiabunt. Alii putant ſacerdotes redargui, quod populum à peccatis abſterrere non ſatagerent, quia ex ſacrificiis pro peccatis certam quandam portionem ſecundum Legem accipiebant, ideóque cupiebant plura peccari, ut plura fierent ſacrificia pro peccatis. *Cur peccata populi comedere dicuntur, niſi quia peccata delinquentium fovent, ne temporalia ſtipendia amittant? Sed & nos, qui ex oblationibus fidelium vivimus, quas illi pro ſuis peccatis obtulerunt, ſi comedimus & tacemus, eorum proculdubio peccata manducamus. Penſemus ergo cujus ſit apud Deum criminis, peccatorum pretium manducare, & nihil contra peccata prædicando agere.* Greg. Mag. Hom. 17. in Evang.

9. *Et erit*, &c. Hoc eſt, æqualiter populus peccans, & ſacerdos peccantem non redarguens juſtæ indignationis meæ vindictam ſuſtinebunt, luéntque pœnas, quas operibus, & cogitationibus ſuis commeruërunt.

10. *Et comedent*, &c. Q. d. Suſtentandi vis alimentis divinitùs auferetur, ut quanta quanta vorent, nunquam exſatientur. Huc faciunt minæ Levit. 26. v. 26. Vide & Mich. 6. v. 14. Agg. 1. v. 6, &c.

Fornicati ſunt, & non ceſſaverunt. Heb. זנו ולא יפרצו, quòd optimè redditum eſt in Bibliis Anglicanis, *They ſhall commit Whoredom, and ſhall not increaſe.* Q. d. Cum uxoribus quàm plurimis rem habebunt, ſed prolem ex nulla ſuſcipient.

Quoniam

Quoniam Dominum, &c. Id est, quia Dominum largitorem bonorum omnium spreverunt, negligentes ipsius Legem, ejúsque mandata, ut perversis suis obsequerentur cupiditatibus.

11. *Fornicatio*, &c. Q. d. Ut vinum & ebrietas, Heb. *mustum*, eum qui immoderatiùs biberit mentis suæ impotem facit, Sic & fornicatio pervertit sensum, & de rationabili homine brutum efficit. *Fornicationem autem idololatriam nominat juxta illud Jerem. 3. Et mœchabuntur in ligno & lapide, & dixi, postquam fornicati sunt cum his omnibus, Revertere ad me. Et rursum, Me dereliquisti, & dixisti, Vadam super omnem collem excelsum, & diffundar in fornicatione mea subter omni ligno frondoso. Et Psal. 72. dicitur: Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* B. Hier.

12. *Populus*, &c. Id est, Populus ille, qui meo quondam vocabatur nomine, idololatriæ avidus me Deum suum reliquit, ut lignum & virgas interrogaret, Templum meum deseruit, ut ad delubra confugeret. *Delubrum dicebant antiqui fustem delibratum, id est, decorticatum, quem pro Deo venerabantur*, inquit Festus.

Spiritus enim fornicationum. Vehementem ad agendum impetum ac vim animos humanos occupantem Hebræi רוח *Spiritum*, Latini *furorem*, seu *ardorem* vocant.

Virg. Æneid. 9.

——*Dine hunc ardorem mentibus addunt?*

Juven. Sat. 2.

——*his furor ipse*
Dat veniam.

13. *Sacrificabant.* Id est, Sacrificare solebant. Sigillatim explicat Vates quomodo Israël spiritu fornicationis deceptus legitimo sponsi sui Dei, atque augusto cubili ac pulvinari tegerem & lupanaria per summum nefas prætulerit. Nam contra expressum Dei vetitum Deut. 12. in montibus sacrificare, in collibus incensum adolere solebat, & oblectans se arboribus umbrosis, non harum creatorem venerabatur.

Ideo fornicabuntur, &c. Ad retaliandam injuriam sibi illatam per fornicationem spiritualem Israëlitarum cum idolis, dicit se justo judicio permissurum eorum filias & sponsas abuti corpore suo in adulterium & fornicationem. Simile judicium describitur Rom. 1. v. 23. & 24.

14. *Non visitabo*, &c. Q. d. Absque vindicta emendatoria relinquam filias vestras fornicantes, & sponsas adulterantes.

Conversabantur. Heb. יפרדו *separabantur.* Perseverat Deus in allegoria conjugii, quam instituerat, & decem tribus conjugalis fidei pollutæ atque violatæ accusat, quòd à consortio eorum se subduxerint, qui in legitimo ipsius cultu perseverabant, ut gentium instar profanarum idola Jeroboam filii Nabath colerent, iisque sacrificarent super montes & colles, & subter omne lignum frondosum. Gentes autem idololatræ meretrices vocantur, quia cultum Deo vero, legitimo animarum sponso debitum idolis deferunt; effeminatæ verò, quia frequentiæ & celebritates earum impudicis mulieribus refertæ erant juxta illud Juvenalis Sat. 9.

——Quo non prostat femina templo?

Atque ita quas Vulgatus interpres hîc vocat effœminatas, Hebraicè dicuntur קדשות, *meretrices viles, & infames ad omnium libidinem expositæ.*

Et populus non intelligens vapulabit, Q. d. Ideóque populus non intelligens quantum nefas sit fornicari a Deo vero & mœchari in ligno & lapide, hoc est, servire creaturæ potiùs quam creatori, se pœnâ talionis sentiet vapulare, dum filias, sponsasque suas viderit omni libidinum genere contaminatas, rebúsque venereis attritas.

15. *Si fornicaris*, &c. Id est, si tu, ô Israël, idololatriæ furore abreptus à me Deo ac legitimo sponso tuo desciveris, saltem tu Juda cave ne pessimum hoc fornicationis exemplum sectéris, & cum Israële idola colas.

In Galgala. Heb. גלגל, *Gilgal*, seu, ut Vulgatus effert infrà cap. 9. *Galgal.* Sic vocabatur civitas insignis in tribu Benjamin, à Jordane quinquaginta stadiis, à Jericho decem Aquilonem versus dissita; pluribus castrametationibus clara, quæ postèa facta est idololatricæ impietatis metropolis; unde illud infrà cap. 9. v. 15. *Omnis nequitia eorum in Galgal.*

Bethaven. Civitas regia *Luz*, seu *Luza* data fuit tribui Ephraim, uti patet ex Jos. 16. v. 2. & 18. v. 13. Hæc civitas non procul aberat à loco illo tribûs Benjamin, cui Jacob imposuerat nomen *Bethel*, quod appellativè significat *domum Dei*, propter divinam scalæ visionem, quæ illic se ipsi patefecerat. Hic porrò locus posterioribus temporibus adeò religione celebratus fuit, ut Luzæ propinquæ nomen diluerit atque obscuraverit, quæ proinde sæpius *Bethel Luza*, & *Bethel* simpliciter sine addi-

addito posteà dicebatur, & ratione confinii & loci tribûs Benjamin, qui Bethel à Jacob dictus fuerat, subinde tribui Benjamin deputabatur, ut patet ex Jos. 18. v. 22. Cùm verò mons, in quo hæc civitas sita erat, idolis pollutus fuisset, dicta est *Beth-aven*, id est, *domus iniquitatis*.

Neque Juraveritis, &c. Hoc est, neque Israëlis instar idolis viventis Dei appellationem tribuentes juraveritis.

16. *Quoniam sicut vacca lasciviens declinavit Israël.* Heb. ad verbum, *Sicut juvenca refractaria refractarius fuit Israël.* Boves inter bruta idcò potissimùm dicuntur refractarii, quòd promovere jussi, contrà retrocedentes, cervicem & humeros, quantùm possunt, jugo subducunt. Proinde ad utrumque sic alluditur Nehem. 9. v. 29. *Et dederunt humerum retrocedentem, & cervicem suam induraverunt, nec audierunt.* Alii ad solum humerum alludunt, ut Zach. 7. v. 11. *Et noluerunt attendere, & averterunt scapulam recedentem.* Alii ad solam cervicem, ut cùm de Israëlitis dicit Deus Exod. 32. v. 2. *Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit.* Et Stephanus proto-Martyr Act. 7. v. 51. *Durâ cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui-Sancto resistitis.* Ejusdem locutionis exempla passim habent Scripturæ. Neque aliò pertinet illud Esa. 48. v. 4. *Scivi enim quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua.* Jerem. 5. v. 5. *Hi Simul confregerunt Jugum, ruperunt vincula?* Variis autem de causis bos refractarius est. Putà si nondum pleno robore sit adhuc jugo indocilis, aut si naturâ contumax, aut distento abdomine si sit justo pinguior, aut si gravi aliquo prematur incommodo, ut is, quem invasit œstrum. Si primam & secundam rationem intenderit Oseas, sic est exponendus: Sicut juvenca indomitâ, quæ nondum subactâ cervice valet, aut consuevit ferre jugum, ita Israël refractarius est ad Legis jugum, cùm tamen illud jam ante octo secula subierit. Si ex tertia ratione petatur comparatio, mentem Oseæ videtur assecutus Chaldæus paraphrastes exponens, *Sicut vacca saginata lascivit & detrectat jugum, ita propter bonorum copiam rebellis fuit Israël.* Si denique secundum quartam & ultimam rationem attendatur similitudo, cum Græcis interpretibus Oseas est intelligendus, quasi dicat, Quemadmodum boves œstro, seu asilo perciti, non ampliùs sui compotes, neglectis bubulcis, pratis & stabulis omnibus relictis temerè currunt, & per abrupta sæpè feruntur, tanquam rabie agitati; sic Israël percussus fornicationis spiritu, incredibili furore bacchatus est, &

Legis

Legis jugo excuſſo, ſpretiſque monitoribus per avia præceps agitur, tanquam de propria ſalute non ampliùs ſollicitus. Obſervat doctiſſimus Bochartus partis poſterioris Hierozoici lib. 4. cap. 14. quòd ut Hebraicè סרר *Sarar*, ſonat *refractarium eſſe*, Sic Arabicè *Sarra* ſignificat *pravum & perverſum eſſe*. Unde Mahometi Jacobi Phiruzabadenſis filio in vaſto linguæ Arabicæ Lexico inſcripto *Alcamus*, id eſt, *Oceanus* & Muhammedi Addamirio, qui vulgò Damir dicitur, *Sarran* eſt genus muſcæ homini moleſtæ, culici non abſimile. *Id fortaſſe æſtri aut tabani genus eſt, & potuit habere nomen Hebræum Arabico ſimile, a quo juvenca æſtro percuſſa dicta fuerit ab Oſea* פרה סררה. *Sed hæc ſunt in incerto*, inquit clariſſimus Bochartus. Nam aſilus ſeu œſtrum Hebraicè dicitur יתוש *jatthuſch*, pro ינתוש, *nun* latente in *Dageſch*, à radice נתש *avellere*, & *extirpare*; quia hoc muſcæ majoris genus morſu ſuo carnem vellicat & lancinat, ut ab ea eliciat ſanguinem, quo alitur.

Nunc paſcet, &c. Ironicè hoc legendum eſt, q. d. Nunc videlicet quia vaccæ inſtar refractariæ jugum Legis à Deo latæ excuſſerunt Iſraëlitæ, ipſe Deus largietur illis rerum omnium abundantiam Legis factoribus promiſſam. Hac ironiâ innuit Oſeas brevi Iſraëlitas commeritâ rerum omnium penuriâ mulctandos.

Quaſi agnum. Numeri Enallage, ut cùm Jacob Gen. 32. v. 5. Secundum veritatem Hebraicam dicit, *Eſt mihi bos, & aſinus, ovis, & ſervus, & ancilla*, id eſt, ut optimè vertit Vulgatus, *Habeo boves, & oves, & ſervos, & ancillas.*

In latitudine. Id eſt, in rerum omnium abundantia. Sic Eſa. 30. v. 23. inter multa Dei beneficia Judæis promittitur paſcuum latum, & ſpatioſum.

17. *Particeps idolorum Ephraim.* Per Ephraim intelliguntur decem tribus, ſic dictæ quia primus earum Rex fuit Jeroboam de tribu Ephraim.

Dimitte eum. Q. d. O Juda ne ſecteris impietatem decem tribuum, cùm idolis ſe mancipaverint, ex quo primus earum Rex Jeroboam vitulos aureos in Bethlehem & Dan conſtituit.

18. *Separatum eſt convivium eorum.* Heb. סר סבאם, *computruit*, hoc eſt, acidum factum eſt, *vinum eorum.*

Fornicatione fornicati ſunt, &c. Q. d. Fœtuit gentis Iſraël convivium, acidum factum eſt ipſius vinum, & deliciæ in amaritudinem ſunt converſæ, quia non deſtitit fornicari

cum

cum idolis, nec Judices & Magiſtratus ejus erubuerunt muneribus inhoneſtis, & turpi lucro inhiare. Optimè itaque verſio Anglicana mentem textûs Hebræi exprimit his verbis: *Their drink is ſowre: They have committed whoredom continually: her rulers with ſhame do love, Give ye.*

19. *Ligavit*, &c. Q. d. Cùm primùm Iſraël à cultu veri Dei ad idolorum cultum deſcivit, ventis ſeſe committere viſi ſunt; nunc verò ventorum poteſtati traditi ſunt ab eo, qui ambulat ſuper pennas ventorum, id eſt, à ventorum rectore & moderatore, ut quàm velociſſimè in alienam terram captivi aſportentur; túmque demum videntes quantam ſacrificiis, quæ idolis obtulerunt, ſibi accerſiverint calamitatem, pudore ſuffundentur.

CAPUT

CAPUT V.

1. *Audite*, &c. Ad judicium vocantur idolorum ſacerdotes, & populi magnates, Regíſque conſiliarii, quia ab eis Iſraël irretitus fuit idololatriæ, quomodo aves & feræ laqueis irretiuntur in montibus.

Speculationi. Heb. לְמִצְפָּה, *ſuper Mizpah.* ſeu, ut Vulgatus appellare ſolet, *Maſpha.* Cùm autem *Maſpha* ſpeculam, ſeu ſpeculationem Latinè ſonet, mirum non eſt locis editis quàm plurimis hoc nomen inditum fuiſſe; unde certò definire non audeo quonam de Maſpha Oſeæ hîc ſit ſermo.

Rete expanſum ſuper Thabor. Tradunt Hebræi in Commentario in Moſis Pentateuchum תנחומא inſcripto, & in tractatu Talmudico de variis jejuniis, & antiqua jejunandi methodo, cui nomen eſt תענית, à Rege Jeroboam filio Nabath, in hortis arcibúſque à ſe in montibus editiſſimis Thabor, & Mizpah extructis collocatas excubias, quæ tanquam feras & aves laqueis irretitas, trucidarent aſcendentes ſtatis diebus Jeroſolymam, ut ibi ſacrificarent Domino. Fides hujus hiſtoriæ ſit penes ipſius autores. De ſitu montis Thabor, *in quo aves capi ſolent*, ut loquitur Hieronymus, lege quæ ſcripſimus in Commentario noſtro in Mat. 17. v. 1.

2. *Et victimas, declinaſtis in profundum.* Heb. ad verbum, *& jugulando declinantes profundarunt. Profundare* eſt confirmare, vehementer operam dare alicui rei, efficere ut aliquid altiùs radices agat. Senſus itaque totius hujus Verſiculi eſt, q. d. Quamvis ego Deus clemens & miſericors, cupiens emendare peccatores, & non punire, ſalvare & non perdere, perſtiterim omnium vitam ſalubri conſilio monere, ipſi tamen nunquam deſtiterunt curare, ut victimæ mihi debitæ idolis immolarentur, quò idololatria altiùs ageret radices in animis.

3. *Ego ſcio Ephraim*, &c. Id eſt, Novî ego quo animo Jeroboam ex tribu Ephraim excitarit idola, & quomodo Regem à Dei cultu fornicantem pari impietate ſecutæ ſint decem tribus, impióque idolorum cultu ſe polluerint.

4. *Non dabunt*, &c. Q. d. Non cogitant quidem reverti ad

ad Deum ſuum, quia idololatriæ ardor adeò ipſorum animos occupat, ut Dei creatoris ſui penitùs ſint obliti.

5. *Et reſpondebit*, &c. Q. d. Verùm propediem commeritâ ſceleribus ſuis pœnâ afficientur decem tribus cum regibus ſuis, & ſuperbia earum palàm teſtabitur juſtè illas puniri, & in captivitatem abduci. *Sed etiam Judas, id eſt, duæ tribus, quæ regnabant in Jeruſalem, ſequentur veſtigia captivorum, ut quorum imitantur ſcelera, imitentur & pœnam.* B. Hier.

6. *In gregibus*, &c. Id eſt, fruſtrà hoſtiis me Deum ſuum placare nitentur, quem ſuâ ipſorum nefariâ culpâ repulerunt.

7. *In Dominum*, &c. Q. d. Fornicantes cum idolis non Deo, cui fidem dederant, ſed dæmoniis filios genuerunt idololatras; ſed brevi prævaricationis ſuæ pœnas luent, & juxta prædictionem Moſis Deut. 11. v. 17. peribunt *velociter de terra optima*, & captivi abducentur, ipſáque terra optima, quam ſibi à Deo datam ad menſuram funiculi inter ſe partiti erant, vaſtabitur.

8. *In Gabaa. Duæ ſunt in tribu Benjamin vicinæ ſibi mutuò civitates, Gabaa, in qua natus eſt Saül, & Rama, quæ eſt juxta Gabaa in ſeptimo lapide ab Jeroſolymis, quam Rex Iſrael occupare conatus eſt, ut exitum & introitum clauderet tribui Judæ. In Gabaa itaque & in Rama buccinâ & tubâ perſonate, quorum buccina paſtoralis eſt, & cornu recurvo efficitur, unde & Hebraicè propriè* שופר, *Græcè* κερατινὴ *appellatur. Tuba autem de ære efficitur, vel argento, quæ in bellis & ſolemnitatibus concrepabant.* B. Hier.

Ululate in Bethaven, &c. Super Bethaven, quæ quondam vocabatur Bethel, id eſt, in tribu Ephraim, in qua vitulus aureus erat, non clangoris ſonitu, ſed ululatu opus eſt, quia vicina captivitas eſt. Et pulchrè dixit quòd poſt tergum ſit Benjamin; ubi enim tribus finitur Benjamin, haud procul in tribu Ephraim hæc urbs condita eſt. B. Hier. Vide quæ diximus ſuprà de Bethaven cap. 4. v. 15.

9. *Ephraim*, &c. Id eſt, dum ulciſcar iniquitates & ſcelera decem tribuum Iſraël, in prædictam à Prophetis deſolationem redigentur, ut omnibus conſtet nihil à me per eos prædictum ſermone, quod non opere compleverim.

10. *Facti*, &c. Ductis decem tribubus in captivitatem, principes Juda, vacuam regionem occupare voluerunt, quod indignatione ſuâ ſe vindicaturum hîc dicit Deus. 11. *Ca-*

11. *Calumniam, &c. Id est, Opprimitur Ephraim ab Assyriis: primùm à Phul, deinde a Teglatphalasar, postea à Salmanasar: non quòd illi justi fuerint, qui eum oppresserunt, & idcircò eis traditus sit: sed quòd qui quondam fuerunt populus meus, me eos deserente, traduntur ad pœnas, & in hoc videtur esse calumnia, non Deo, qui justam infert sententiam, sed his, qui tormenta sustinent, dum pejoribus se adversariis conceduntur.* B. Hier.

Quoniam cœpit abire post sordes. Heb. ad verbum, *quoniam voluit abire post mandatum. Reddit causam Dominus, idcircò eos in hac parte calumniam sustinere, & tradi pejoribus, & erga eos judicium non servari*, ut loquitur Hieronymus, quia libenter se subjecerunt impio Regis sui Jeroboam edicto de colendis vitulis aureis à se in Dan & Bethel erectis, quæ idola meritò sordes vocantur, quia ipsorum cultu sordidatur & polluitur anima.

12. *Ego quasi tinea Ephraim.* Id est, occultâ maledictione meâ tabescebant decem tribus, sensim dissolvebantur, & consumebantur, quomodo tinea cæco morsu absumit pretiosissima quæque vestimenta. Neque timendum est ne vilescat Dei majestas, cùm à Prophetis confertur cum tam vili animalculo; nam, si propriè loqui velimus, non confertur Deus cum tinea, sed lenta Dei judicia conferuntur cum vitio, quod à tinea vesti accidit. Sensim enim id inolescit, ita ut quod priùs solidum atque integrum videbatur, tandem tacito morsu conficiatur atque exedatur.

Et quasi putredo domui Juda. Q. d. Consumtis decem tribubus, paulatim consumentur duæ tribus reliquæ Juda & Benjamin, quomodo ligna consumit putredo vel caries, ut calamitatibus erudiantur potiùs, longóque tempore ad pœnitentiam provocentur, quàm deterantur & perdantur.

13. *Et vidit Ephraim,* Hoc est, illi verò, cùm se non funditùs perdi, sed corrodi sensim et minui intelligerent, non confugerunt ad Deum per pœnitentiam, sed frustrà suæ salutis perfugium & præsidium sibi collocarunt in hominibus infirmis, qui rebus sic afflictis, & Rei-publicæ assiduis calamitatibus labefactatæ opem & auxilium ferre non poterant. *Legimus 4. Reg. 15. & 16. quòd Israël sub Rege Manahem, qui decem tribubus præfuit, Assyriis dona transmiserit, & Judas sub Rege Achaz præsidium flagitarit Teglathphalasar Regis Assyriorum, qui eos, adversante Deo, liberare non potuerunt.* B. Hier.

Ad Regem ultorem. Heb. *Regem* יָרֵב *jareb.* Sic vocat Assyriæ Regem,

gem, tanquam ad id alludens, quòd Gedeon, arâ ☥ Baal subversâ, Jerubbaal, seu ut legit Vulgatus, Jerobaal dictus est; quia locorum incolis de ara illa diruta apud patrem ipsius Joam conquerentibus, responderat pater Judic. 6. v. 32. *Si Deus est*, ירב בו הבעל, *contendat in eum Baal*, hoc est, *ulciscatur se de eo Baal*, ut reddit Vulgatus interpres. Itaque idem pro rege Jareb habet *regem ultorem*, ut Symmachus ἔκδικον, vel ἐκτικητὴν, & Chaldæus paraphrastes מלכא דייתי, לאתפרעא להון. *Regem qui veniet ut animadvertat in eos.* Vide infrà cap. 10. v. 5, & 6.

14. *Ego quasi Leæna*, &c. Deus Opt. Max. sive severiùs castiget suos, sive in impios atrociùs animadvertat nobis proponitur ut leo, qui è lustro suo prodiens, obvios discerpit, & dilacerat, nec quisquam est, qui ei obsistat. Quæ eò pertinent, ut sciamus quàm tremenda sint Dei judicia, & quàm horrendum sit incidere in manus Dei viventis. Cavendum interim, si humanos, aut, quod pejus esset, ferinos, & belluinos affectus Deo tribuamus, ne in nos aliquando insurgat non solùm ethnicus, sed & profanus poëta Lucretius, qui quamvis cùm Epicuro magistro suo rerum humarum curam omnem Deo ademerit, tamen de Dei natura hæc scripsit non contemnenda:

Omnis enim per se Divûm natura, necesse est,
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota à nostris rebus, sejunctáque longè.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostrî,
Nec benè promeritis capitur, nec tangitur irâ.

Vide infrà cap. 13. v. 7.

Leæna. Heb. שחל, quæ vox à Vulgato interprete, modò *leo*, modò *leæna* redditur; à Græcis *Panther* vertitur. Propriè autem est *leo niger*, sic dictus pro שחר, ut probat clarissimus Bochartus Hierozoici p. 1. l. 3. cap. 1. Utut autem Aristoteles lib. 5. de generatione animalium cap. 6. scripsit leones omnes fulvos esse, tamen quosdam esse nigros constat. Plinius lib. 8. Hist. Nat. cap. 17. *Leonum color tantùm in Syria niger.* Verùm & in India nigros esse leones autor est Ælianus lib. 17. de Animalibus cap. 26. Oppianus lib. 3. de venatione testatur se suis oculis vidisse Æthiopicum leonem nigricolorem. In epistola Hebraica Regis Abyssinorum, quam Munsterus edidit, quatuor leonum in Abyssinis colores numerantur, aureus, fulvus, albus & niger.

Catulus

Catulus Leonis. Heb. כפיר *leunculus*, qui tantùm differt à, גור יאריה *catulo leonis*, quantùm à vitulo juvencus, aut ephebus à puero, ut patet ex Ezech. 19. v. 2, & 3. *Mater tua leæna*, inquit Propheta, *eduxit unum, de leunculis ſuis*, Heb. לביא רביה, *è catulis ſuis, leo*, Heb. כפיר, *leunculus, factus eſt, & didicit capere prædam.* Itaque cùm primùm catulus leonis à lacte depulſus prædari incipit, & ſibimet victum quærere ſine matris opera, tum deſinit eſſe גור, & rectè vocatur כפיר pro כביר à verbo *cabara* apud Arabes uſitato, *adoleſcere*, ut ſit *leo adoleſcens.* Sic à verbo *ſabala*, *adoleſcere* ab ipſis Arabibus idem leo adoleſcens vocatur *ſablon.* Hujuſmodi λεοντίδιον ita deſcribit Horatius lib. 4. Od. 4.

Quolémve lætis caprea paſcuis
Intenta, fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulſum leonem
Dente novo peritura vidit.

15. *Vadens revértar*, &c. Q. d. Ut leones ſatiati prædâ ad luſtra ſua redeunt, ſic ego cùm in vos animadvertero, quieſcam, nec vobis ſuccurram, donec malorum experientiâ edocti me adverſante omne hominum auxilium vanum eſſe, ad meam opem tandem recurratis.

CAPUT

CAPUT VI.

1. IN *tribulatione*, &c. Q. d.

——*Oculos tunc pœna recludet,*
Quos nunc culpa premit clausos, & cæca voluptas.

Manè consurgent ad me. Id est, diligenter & sollicitè ad salutem sibi à me petendam se communi pœnitentiæ studio mutuò provocabunt.

2. *Quia ipse cepit*, &c. Q. d. Nos populus ejus, & oves pascuæ ejus pastorem contemnentes, ipsum experti sumus leonem; qui tamen nos non eò rapuit, ut devoraret penitùs, sed ut captum pecus in suam ditionem, potestatémque redigeret. Captas oves mitescere atque parêre volentes non vorabit, sed sanabit, & curabit, quæ inter capiendum inflixit vulnera: tanta est ejus bonitas, & ad misericordiam propensio.

3. *Vivificabit nos post duos dies, & in tertia die suscitabit nos.* Id est, intra breve tempus sanos, incolumésque reddet nos. Binarius & ternarius numerus in Scriptura passim paucitatem designat. Sic 3 Reg. 17. v. 12. *En colligo duo ligna*, id est, paucissima. Esa. 17. v. 6. *Relinquetur in eo* (Israële) *sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami.* Id est, tam pauci remanebunt, quàm solent post strictores paucæ in olea remanere baccæ, quæ diligentiam stringentis evaserint. Jerem. 3. v. 14. *Assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione*, id est, paucissimos.

Vivemus in conspectu ejus, &c. Q. d. Perpetuò intentis in nos Dei oculis, perpetuâ fruemur felicitate; omni studio ipsius cultum sectabimur, ipséque radiis paternæ suæ providentiæ intentata in nos mala repellet, quemodo diluculum repellit noctis tenebras, & omnium bonorum copiam nobis faciet.

Imber, &c. Respicit Oseas ad promissionem factam Deut. 11. v. 14. *Dabit pluviam terræ vestræ temporaneam & serotinam.* Vide Commentarium nostrum in Joël 2. v. 23.

4. *Quid faciam*, &c. *Parentis in perditos filios monstrat affectum, juxta illud quod in Esaia legimus: Quid est quod ultrà*

debui facere, & non feci? Et in Michæa: Populе meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? Respondе mihi. B. Hier.

Misericordia vestra, &c. Q. d. Siquâ pietatis cogitatione, & curâ vos aliquando tacti estis, ea, ut nubecula matutina solis calore discussa, & sicut ros matutinus, cujus vim aura & calor priùs consumsit, quàm herbæ atque fata experirentur., statim evanuit. Vox חסד *chesed*, *misericordia* propriè significat studium impensum & enixam voluntatem circa quemquam, & circa bonum illius. Dicitur autem & de Deo, ut significetur ardens ipsius studium homines ad salutem provehendi, & de hominibus, ut exprimatur flagrantissimus eorum in Deum amor, & studiosissima ad cultum divinum applicatio. Hinc fit ut Hebræi eosdem nominent חסידים, quos vulgò viros religiosos dicimus, & autor Macabæorum retento nomine Hebræo, & mutatâ duntaxat inflectione vocat Assidæos.

Ros manè pertransiens. Id est, ros maturinus; nam ros alius manè pluit, alius ipsâ nocte, utriusque nomenclationem vide in Commentario nostro in Canticum Canticorum cap. 5. v. 2.

5. *Dolavi.* Dolare hîc sumitur in sensu figurato, quomodo quod Anglicè dicimus, *To strike one with a stick soundly*, Horatius dixit, *dolare lumbos fuste.* Dicitur autem Deus eos dolasse in Prophetis, quos dolandos, seu cædendos per Prophetas prædixit. Quippe ex Scripturæ phrasi Prophetæ id facere dicuntur, quod futurum præeuntiant. Sic Gen. 49. v. 7. secundum veritatem Hebraicam dicitur, *Divisi eos in Jacob, dispersi eos in Israël*, id est, dividendos, & dispergendos prædixi. Jerem. 1. v. 10. *Ecce constitui te hodiè super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & dispergas, & dissipes, & ædifices, & plantes*, id est, ego te præfeci gentibus, ut ipsis prædicas suam destructionem, evulsionem, &c. Ezech. 43. v. 3. *Quando venit ut disperderet civitatem*, id est, ut disperdendam civitatem prænuntiaret. Heb. 11. v. 7. *Fide Noë, responso accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domûs suæ, per quam damnavit mundum*, id est, mundum diluvii pœnis addicendum prædixit & vaticinatus est.

Occidi eos in verbis oris mei. Quod mox dixerat, *Dolavi vos in Prophetis*, hoc more Scripturæ familiari aliis verbis repetit. Sic, suprà v. 3. quod dixerat, *Vivificabit nos post duos dies*, Statim aliis verbis repetit, dicens, *In die tertiâ suscitabit nos.*

Et judicia tua quasi lux egredientur. More Prophetis familiari, à tertia personâ subitò transit ad secundam, statimque iterum

iterùm à secunda ad tertiam, cùm tamen semper de eadem persona sit sermo. Sensus autem horum verborum idem est, ac si dicat, Hæc universa feci, ut omnibus promulgaretur, & ipso clariùs sole appareret acre illud ac severum judicium, quo te peccantem & non pœnitentem pœnis acerbissimis quidem, at commeritis sum addicturus. Itaque vox *judicia* non causæ cognitionem, sed ad ipsam consecutum justissimi judicis calculum, & edictum. *Egredi* autem, seu *exire* passim est in Scripturis Promulgari. Dan. 2. v. 13. *Egressâ sententiâ sapientes interficiebantur.* 6. v. 7. *Consilium inierunt omnes principes regni tui magistratus & satrapæ, senatores judices, ut decretum imperatorium exeat, & edictum.* 9. v. 25. *Ab exitu sermonis ut iterùm ædificetur Jerusalem,* id est, à promulgatione edicti Artaxerxis Longimani, quod datum est anno imperii ejus vigesimo, mense Nisan, ut iterùm ædificaretur Jerusalem, ut videre est 2 Esd. 2. v. 1. Sic Luc. 2. v. 1. *Exiit,* id est, promulgatum est, *edictum à Cæsare Augusto.*

6. *Quia misericordiam volui,* &c. Misericordia hîc sumitur pro pietate, seu impenso studio, & enixa voluntate circa Deum & ipsius cultum. Ubi autem separantur ea, quæ ex instituto Dei conjunguntur, Scripturæ mos est eligere partem meliorem absolutéque rejicere minorem, quia illa sine hac, hæc non sine illa ipsi placet. Vide Commentarium nostrum in Mat. 9. v. 13.

Et scientiam Dei plusquam holocausta. Aliis verbis repetit quod mox dixerat, *Misericordiam volui & non sacrificium.* Itaque scientia Dei hîc dicitur ea Dei cognitio, quâ quis eum intuetur, quærit, & metam viæ suæ habet, in eo deliciatur, & ad nutum ejus se totum componit. Vide dicta suprà cap. 4. v. 1.

Heu primæ scelerum causæ mortalibus ægris,
Naturam nescire Deûm,
Inquit Silius Italicus.

7. *Ipsi autem sicut Adam,* &c. Vox *Adam* est appellativa, sensúsque hujus versiculi est idem ac si dicat, Sicut solent homines inter se rumpere fœdus, sic illi ruperunt Legem sibi positam, hâcque ruptione non tam Legem abjecerunt, quàm me Legis latorem, ut servirent diis alienis.

8. *Galaad,* &c. Q. d. Amœnissima ac uberrima illa regio Galaad dimidiæ tribui Manasse trans Jordanem concessa, im-

pio idolorum cultu, & innocentium cœdibus fœdata est.

9. *Et quasi fauces virorum latronum.* Quæ scilicet sitiunt sanguinem. Heb. וכחכי איש גדודים, quod optimè reddit Angligana versio, *As a troop of robbers wait for a man, sicut latronum turma præstolatur virum.*

Particeps sacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem. Id est, quisquis est de societate sacerdotum fanaticorum Bethaven, qui euntes Sichimam, ut inde Jerusalem irent victimas Domino immolaturi, interficiebant. Heb. חבר כהנים דרך, ירצחו שכמה. id est, *Societas sacerdotum in via interficiunt humero*, hoc est, ut habet editio Anglicana, *by consent, consensu uno.* Hieronymus ait se accepisse ab Hebræo quòd *sacerdotes Bethel, imò fanatici Bethaven, temporibus Paschæ, Pentecostes, & scenopegiæ, quando per Sichem, quæ hodiè appellatur Neapolis, eundum erat Jerosolymam, ubi solùm licebat victimas immolare, ponebant in itinere latrones, qui insidiarentur pergentibus, ut magis vitulos aureos in Dan, & in Bethaven, quam in Jerosolymis, & in Templo adorarent Deum.* Hæc Hier.

Quia scelus operati sunt. Q. d. Societas ista fanaticorum sacerdotum ideò turmæ latronum sanguinem sitientium non sunt absimiles, quia quicquid excogitare potest malitia, hoc operandum susceperunt.

10. *In domo Israël vidi horrendum.* Heb. *turpitudinem.* Quæ autem sit illa turpitudo horribilis, quam viderit Deus in domo Israël, ipse explicat dicens:

Ibi fornicationes Ephraim, &c. Q. d. Vidi in domo Israël Regem Jeroboam fornicantem cum idolis, & illo fornicante decem tribus repentè impio eorumdem idolorum cultu se se contaminarunt.

11. *Sed & Juda pone*, &c. Imperativo utitur pro futuro, q. d. Tu quoque, O Juda Regum Israël vestigiis insistens, propediem comparaturus es tibi idolorum segetem, cùm videlicet captivos Judæos è manibus Ephraimitarum ad fines suos reduxero. Hujus reductionis historia, & inductæ paulò pòst ab Achaz Rege Juda idololatriæ messis extat 2 Paral. 28.

CAPUT.

CAPUT VII.

1. *Cum sanare vellem*, &c. Q. d. Israëli undique insultatur, quia rectum veritatis iter deseruit; nam cùm resecassem vulnus idololatriæ inustum Israëli, ex quo in Ægypto versabatur, ut patet ex Ezech. 20. v. 8. Rex Jeroboam è tribu Ephraim oriundus, vitulos aureos excitavit, quos Samaria Israelitici regni caput pro vero Deo colendos suscepit.

2. *Et ne fortè dicant*, &c. Id est, Ne querantur se immeritos multari pœnâ, quam præterita parentum peccata commeruerant, cùm propriæ ipsorum machinationes impiæ, me vidente, impræsentiarum eos undique circumdent, ac velut in orbem cingant.

3. *In malitia*, &c. Q. d. Regi Jeroboamo & ceteris principibus ad impium idolorum cultum provocantibus assensi sunt, sicque à pio veri Dei cultu ad pravam & perversam idololatriam deflectentes exhilararunt Regem & Principes, qui timebant ne si verum Deum culturi ascenderent Jerosolymam, abjecto sceptro suo, ad stirpem Davidis redirent Israëlitæ.

4. *Omnes*, &c. Q. d. Jam omnes magno feruore idololatriæ sunt dediti. Et quia *quicquid necessitate fit, citò solvitur: quod voluntate arripitur, perseverat*, ut loquitur Hieronymus, Jeroboam non vi adegit populum ad idolorum cultum, sed arte idololatriæ studium clam fovebat in populo, donec corrumperetur penitùs ut massa fermento, & universus populus instar clibani igne succensi æstuaret pari libidine, & ardore colendi idola. *Quievit paululum civitas.* Heb. ישבות מעיר, *quievit ab excitando*, id est, qui succendit clibanum non excitavit ignem. *A commixtione fermenti*, Heb. מלוש בצק, quod optimè vertit Anglicana editio, *after he hath kneaded the dough, postquam massam subegit.*

5. *Dies Regis*, &c. Q. d. Universus populus idololatriæ fermento corruptus gestiens clamabat, Hic est dies festus, quem nobis constituit Rex, Principes bacchationi ad morbum & furorem usque indulgebant, ut Regi festi institutori adularentur, & placuit hæc Regi adulatio. Aptè autem instituta in idolorum honorem solemnia vocat Vates *dies Regis*, quia, non Deum, sed Regem habebant autorem. Ipsi vituli aurei non dii, sed *dæmonia*, שעירים, vocantur 2 Paralip. 11. v. 15. horum Mystæ non כֹּהֲנִים, *sacerdotes*, sed כְּמָרִים

culi, Vulgat. *æditui* nuncupantur infrà cap. 10. v. 5. Locus eorum cultui dedicatus antiquâ appellatione *Bethel, Domus Dei*, exutus, cœpit appellari *Bethaven, domus iniquitatis*, ſcu, *idoli*: Mutato enim unguento in venenum lethiferum, non debuit manere pyxidis inſcriptio.

6. *Quia applicuerunt*, &c. Q. d. Quia cùm Rex clàm tentaret dolis populum à cultu veri Dei abducere, plerique ſe faciles præbebant corruptioni, atque ita ſecurus fuit de ſucceſſu; unde poſteà in apertam prorupit inſaniam, & nequaquam per inſidias, ſed impudenter a Dei cultu ad idolorum ceremonias tranſiliit.

7. *Ad me.* Paſſim Vates perſonam Dei ſuſtinet.

8. *Ephraim*, &c. Hoc eſt, Iſraël gentibus impiis commixtus, ab ipſis deſpicatui eſt habitus inſtar libi ſuper carbones conjecti, quod non verſatur, proindéque eâ parte, quâ ignem accipit, exuritur, & perit; ſuperiori verò parte, quâ humorem conſervat, non probè coquitur.

9. *Comederunt*, &c. Q. d. Eæ autem gentes, quibus miſcebatur Iſraël, opes ipſius abſumſerunt; *tantæque vecordiæ fuit, ut devoratum eſſe quicquid virium habere poterat, neſciret: aut certè ignoraret cauſam propter quam fuiſſet devorantibus traditus: denique uſque ad ſenectam, id eſt, uſque ad ultimam captivitatem in cæpto errore permanſit.* B. Hier.

10. *Et humiliabitur.* Alii vertunt, *teſtificabitur.* Græci & Chaldæus paraphraſtes, *reſpondebit.* Utut eſt, ſenſus hujus verſiculi eſt idem ac ſi dicat, Cúmque Iſraël palàm daret pœnas ſuperbiæ ſuæ, nec ſic humiliati pœnitentiæ ſtudiis ad Deum, à quo deſciverant, revertebantur.

11. *Et factus eſt*, &c. Q. d. Ut columba ſimplex & vecors, palea in agro projectis, eſcas eſſe putans, aucupis inſidias non antè præviđet, quàm incidit; ſic Iſraël pericula non præcavens, ſe ipſum in hoſtium poteſtatem conjecit.

Seđuđa. Heb. פתה, *fatua, ſimplex.*

Non habens cor. Id eſt, prudentiæ expers. Quo ſenſu Martialis vocem *cor* uſurpat dicens,

—*Solus in cunctis animalibus hircus habet cor.*

12. *Et cùm profecti*, &c. Q. d. Ego Aſſyriis atque Ægyptiis, ad quos ſuſtidii cauſa ierit Iſraël, utar pro retibus, eorúmque operâ de dignitatis ſuæ gradu dejicietur, non ſecus ac aves, quæ libere per aërem vagantes aucupis arte decidunt.

Cadam

Cædam eos, &c. Id est, castigabo Israëlitas prout minaciter prædixi eorum patribus Deut. 28.

13. *Ego redemi eos*, &c. Id est, ex Ægyptiaca servitute liberavi eos, & ipsi mendaces de vitulis aureis dixerunt Exod. 32. v. 8. & iterùm 3 Reg. 12. v. 28. *Ecce dii tui Israël, qui eduxerunt te de terra Ægypti.*

14. *Et non clamaverunt*, &c. Q. d. Exululabant domi, cùm angustiâ premerentur, at nunquam eis venit in mentem ut meum implorarent auxilium. Jumentorum instar nihil nisi cibum & potum ruminabant, cùm à me bonorum omnium largitore ingrati ac rebelles recederent.

15. *Erudivi.* Sc. ad bellum.

Confortavi brachia eorum. Sc. ut arcum chalybeum tendere possent.

Et in me cogitaverunt malitiam. Q. d. Ingrati contra me suas erexere cervices: *Non quòd aliquid possint facere & nocere creatori suo, sed quod solùm facere potuerunt, cogitaverunt mala contra me.* B. Hier.

16. *Reversi*, &c. Q. d. Excusso Legis meæ jugo, ad falsa numina confugerunt, & a me fugientes arcum retrò egerunt, ut inversis blasphemiarum sagittis me ferirent. Hanc Dei querimoniam fere iisdem verbis expressit Vates regius dicens: *Et averterunt se, & non servaverunt pactum, quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.* Alluditur ad illum sagittandi modum, quo jaculatores periti sagittam sub axillis, vel super humeros dirigentes, etiam fugiendo hostem feriunt. Quam industriam veluti Parthis propriam passim jactitant Scriptores.

Virg. Georg. 3.

Fidentémque fugæ Parthum, versísque sagittis.

Ovid. lib. 1. De arte,

Teláque Parthorum, Romanáque pectora dicam
Teláque ab averso quæ jacit hostis equo.

Horatius lib. 2. Carm. Od. 2.

——————*perhorrescit*——————
Miles sagittas, & celerem fugam
Parthi, catenas Parthas, & Italum
Robur.

Et lib. 2. Epist. 1. ad Augustum.

Invenior Parthis mendacior——————

Nempe mendaces Parthi dicuntur qui cùm fugâ simularent se pugnam refugere, fugiendo maximè pugnabant. Verùm ut

mentiri, ſic & hic pugnandi modus non ita fuit Parthis proprius, quin & Syris, & Palæſtinis antè uſui eſſet, ut ſimilitudines paſſim ex hac ſagittandi ratione petitæ docent.

A furore linguæ ſuæ, Id eſt, ob furorem linguæ ſuæ, quo Deum blaſphemare, & vitulos aureos appellare deos ſunt auſi.

Iſta ſubſannatio eorum in terra Ægypti. Q. d. Cùm principes, qui infelicem populum deceperunt, blaſphemiarum ſuarum pœnas luerint & gladio perierint, deriſui erunt Ægyptiis.

CAPUT

CAPUT VIII.

1. IN *gutture*, &c. Q. d. O Propheta faucibus tuis, tamquam tubâ clamita, & dic Judæ contentâ voce, ut omnes audiant, Ecce, quia transgressi estis fœdus meum, & multa contra Legem per summum nefas perpetrastis, juxta ejusdem Legis minas Deut. 28. v. 49. adducam Chaldæos & Assyrios, qui, Nabuchodonosor duce, totam regionem tuam devastent, Jerosolymam solo æquent, & Templum igne consumant, idque tam celeri impetu, quàm aquila in prædam obviam irruit. Hinc & iidem Jerem. 4. v. 13. Thren. 4. v. 19. Hab. 1 v. 8. conferuntur cum aquilis ad escam properantibus, & in prædam involantibus.

2. *Me invocabunt*, &c. Jam ad decem tribus sermo convertitur, q, d. Frustrà Israëlitæ ad me inadulabilem Dominum clamabunt: Deus meus, te solum esse Deum cognoscimus.

3. *Projecit Israël*, &c. Q. d. Cùm enim Legem à me sibi datam projecerint, meámque vocem audire abnuerint, ego quoque ad eorum preces & vota me surdum præbebo, & vexationi hostium sibi insensissimorum illos permittam.

4. *Ipsi regnaverunt, & non ex me.* Id est, decem tribus ignorantes consilium meum Ahiæ Prophetæ revelatum 3 Reg. 11. v. 31. contra legem meam expressam defecerunt à domo Davidis per summum scelus, & ejus vero & legitimo hæredi substituerunt Jerobamum, qui regnum à me sibi promissum non patienter expectavit, quomodo David fecerat, sed per rebellionem nefariè occupavit, & occupatum pessimè administravit. Hinc. & 4 Reg. 17. v. 20, & 21. inter causas rejectionis Israëlitarum, etiam id memoratur, quod abjectis Davidis posteris, Jeroboamum sibi Regem constituerunt.

Regnaverunt. Heb. המליכו, id est, ad verbum, *regnare fecerunt.*

Principes extiterunt. Heb. השירו, quod optimè Anglicana editio vertit, *They have made Princes*, *Principes constituerunt.* Quod in mox præcedenti hemistichio dixerat, aliis verbis repetit.

Et non cognovi. Id est, me inconsulto, nec probante. Quomodo Deus ea nescire dicitur, quæ non probat, Thren. 3. v. 56. Mat 7. v. 23. Præclarè Hieronymus, *Non statim quia Deus Salomoni iratus regnum ejus dividi voluit, idcircò Israel benè susceptt Regem; debuerat*

huerat enim juxta Legis præcepta interrogare Dominum an vellet hoc fieri. Nam & de Salvatore dicitur quòd oporteat Filium hominis tradi, ſed væ illi per quem tradendus ſit.

Argentum, &c. Q. d. Nec ſuffecit eis hoc ſcelus, niſi majori impietate facinus duplicarent, argentum & aurum, quod à me ad divitias & ornatum acceperant, vertentes in idola.

Ut interirent. Particula *ut* eventum notat, non cauſam. Senſus eſt idem ac ſi dicat, Inde Iſraëlitis clades propè internecinæ, quæ poſtmodùm ſubſecutæ ſunt.

5. Projectus eſt vitulus tuus, Samaria. Hoc per numeri enallagen dicitur de duobus vitulis aureis, quos Jeroboam erexerat. Heb. זנח עגלך, quod Anglicana editio vertit quàm optimè, *Thy calf hath caſt thee off, vitulus tuus projecit te*, ſcilicet, à facie mea. Hoc mox aliis verbis dicit, *Iratus eſt furor meus in eos*, id eſt, excanduit ira mea in Samariæ incolas, qui vitulos adorabant.

Samaria. Vituli ſubinde Samariæ tribuuntur à Prophetis, quia Samaria erat regni Iſraëlitici caput. *Alioquin in urbe Samaria vituli non erant, ſed in Dan, & in Bethel*, inquit B. Hier. Hinc Sergius, vel Mahumetes, vel autor Alcorani quiſquis eſt, Scriptor omnium, quos novi, longè futiliſſimus, & vitulum illum, qui ætate Moſis conflatus eſt, à Samaritanis eſſe profectum, adeóque ipſum Aaronem fuiſſe Samaritanum putavit apud Seldenum Azoarâ trigeſimâ, quæ Arabibus vigeſima eſt. Hoc ſecutus Nubienſis Geographus Clim. 2. part. 5. Samaritanos deſcribit in quandam maris inſulam deductos *à Judæis illis, qui genus ſuum referunt ad Samaritanum* (Aaronem) *vituli autorem tempore Moſis, cui ſit pax.* Et Lexicon Arabicum inſcriptum Alcamus, *Samaritanus, qui coluit vitulum, fuit proſelytus ex honoratioribus, aut magnatibus è filiis Iſraël.* Fallitur doctiſſimus Seldenus, cùm *Samari* exponit *cuſtodem*, quaſi ſic dicatur Aaron, quia, Moſe abſente, Dei populus illi commiſſus fuerat. Nam, utut Hebræis שומר *ſchomer* ſit cuſtos, tamen Arabicè *Samari* nihil quidquam, quàm Samaritanum ſonat. Aaroni porrò hoc cognomen ab imperitis hominibus non alia de cauſa fuit inditum, quàm quia aurei vituli fabricatio, & cultus communis illi fuit cum illis Iſraëlitis, quorum Samaria erat metropolis. Qui immanis eſt error, ſed ab iis profectus, quibus ſolemne eſt hic impingere etiam in rebus maximè obviis. Et Chriſtus ipſe, Joan. 8. v. 48. *Samaritanus* vocatus eſt ab iis, qui cùm Samaritanis eum ſentire putabant.

Uſque quò, &c. Q. d. *Quæ iſta inſania eſt, me dante locum pœnitentiæ, illos ad ſanitatem nolle converti?* B. Hier.

6. *Quia*

6. *Quia ex Iſraël*, &c. Q. d. Samaria, ſeu Iſrael colit vitulum non ab aliis gentibus ſibi obtruſum, ſed quem ipſi manu artificis formatum, inito conſilio, Deum ſuum eſſe voluerunt, cùm non ſit ullâ divinitatis notâ inſignitus.

In aranearum telas. Heb. שבבים. Hieronymo videtur impoſuiſſe Hebræus ille quiſquis fuerit, qui שבבים ei interpretatus eſt *aranearum fila per aërem volantia, quæ dum vidéntur, intereunt, & in atomos, atque in nihilum diſſolvuntur.* In Hebræorum ſcriptis profectò nihil tale reperitur. Quin Talmudicis שבב eſt *frangere*, & שובא מכש ראַ, *fragmentum de trabe.* Itaque Chaldæus שבבים reddit hîc לנ׳סרי לוחין, *in fragmenta tabularum.* Doct. ſſimus Joannes Plantavitius Pauſanus Lodovenſium in Gallia Epiſcopus in præclaro opere inſcripto, *Theſaurus Synonymicus Hebraico-Chaldaico-Rabinicus*, שבבים interpretatur *fragmenta quæ fabri materiarii ex ligno dejiciunt, ſchidia, ramenta, ſegmenta, ſegmina.* Atque ita Oſeas prædicit fore ut vituli aurei à Samaritanis culti in ſcobem comminuantur, quomodo olim Aaronis vitulus contritus eſt. Exod. 32. v. 20. Deut. 9. v. 21.

Vitulus Samariæ. Enallage numeri, id eſt, vituli a Jeroboámo erecti in Dan & Bethel. Vide dicta ſuprà v. 5.

7. *Quia ventum*, &c. Q. d. Cùm Iſraëlitæ maximo labore & ſumtu vanorum deorum cultui operam dederint, gravem, celerrimam, & huic vanitatis ſtudio congruam ultionem referent; pleræque eorum ſegetes ad ſpicam culmúmve non ſunt perventuræ, ſiqua autem pervenerit, aut erit farinæ vacua, aut farinæ plena in alienigenarum uſum cedet. Atque ita ſimiles erunt eis, qui cùm ſemen inane & effœtum ſeminaverint, nullum fructum inde percipiunt; aut illis, quorum labores, hoc eſt, magnis laboribus paratas opes alieni comedunt.

8. *Devoratus eſt*, &c. Rem futuram ut præteritam propheticâ ſecuritate dicit, & ſenſus eſt fore ut Iſraëlitæ fortunis & divitiis exhauſti faſtidiantur ab omnibus inſtar vaſis *quo ad ſuſcipienda ac projicienda ſtercora uti ſolemus*, ut loquitur Hieronymus.

9. *Quia ipſi*, &c. Q. d. Iſraëlitæ enim fruſtrà miſſis amicitiæ atque ſocietatis cauſâ muneribus Aſſyrii opem imploravere, cùm Aſſyrius ſit onager ſolitarius ſibi, id eſt, ſibi ſoli proſpiciat, nec aliorum ſalutem curet. Quin & Mahammedes Addamirius, qui vulgò Damir dicitur, in opere ingenti ex viginti minimùm ſcriptoribus collecto de animalibus in capite de laliſione notat de homine cùm eſt ſolitarius in propoſito ſuo dici, בחש וחד, *Is eſt laliſio ſolitarius.*

Onager

Onager solitarius. Id est, Onager eremicola. Hinc Job 24. v. 5. *Quasi onagri in deserto.* Jerem. 2. v. 24. *Onager assuetus in solitudine.* Et Jerusalem in desertum redigenda dicitur Esa. 32. v. 14. futura *gaudium onagrorum.* Sic Nabuchodonosor ab hominum consortio remotissimus dicitur Dan. 5. v. 21. habitasse cum onagris. Ecclesiastici 13. v. 23. *Venatio leonis, onager in eremo.* Verùm etsi onager in solitudine degat, non est tamen solivagus, neque congenerum societatem fugit, siquidem, ut ait Leo Africanus, *Onagri confertim incedunt, cùm vel pabulantur, vel potant,* & ut testantur Solinus, Isidorus Hispalensis, & Oppianus post Plinium lib. 8. Hist. Nat. cap. 30. *Mares in eo genere singuli fœminarum gregibus imperitant;* Quinimò Julius Pollux diserte affirmat Onagrum esse gregarium animal, Ἀγελάζονται δὲ καὶ πλήθει, *gregatim colliguntur.*

10. *Sed & cum,* &c. Q. d. Verùm cùm Israëlitæ dederint dona gentibus, & mercede ad auxiliandum sibi conduxerint nationes, efficiam ut eædem, stipendio accepto, adversus ipsos armatæ congregentur.

Et quiescent pauliſper, &c. Id est, vix Israelitæ vel tantillâ quiete potientur, oppressi tributis, quæ Rex & Principes imperabunt, ut bellum adversus gentes defendere possint. Hèb. וַיָּחֵלּוּ מְעַט, quod ad verbum vertit Anglicana editio, *and They shall sorrow a little, & ipsi dolebunt aliquantùm.* Ironicè autem *aliquantùm dolebunt* dicit Vates, ut significet fore ut graviter doleant.

11. *Quia multiplicavit,* &c. Q. d. Quia Israël idololatriæ opportunitates quamplurimas sibi esse voluit, primis idolorum altaribus nova etiam altaria addidit per omnes montes & colles, quasi hereditatem paternæ impietatis ampliaturus.

12. *Scribam ei,* &c. Id est, frustrà ego Israëli tradiderim venerabiles leges meas, quas sibi per Mosen scripto traditas, quasi ad se non pertinerent despicati sunt, & abjecerunt.

13. *Hostias immolabunt,* &c. Q. d. Siquas ex donis meis offerunt victimas, non mihi, sed ventri suo immolant, neque ut me colant, sed ut devorent, & epulentur ipsi pecudes immolant; quare ego Dominus oblationes eorum aversatus jamjam ulciscar ipsorum iniquitates, neque per fugam in Ægyptum ultricem meam justitiam effugient. Vide infrà cap. 9. v. 6.

14. *Et Oblitus est,* &c. Id est, Israël veri Dei sui oblitus, delubra, & basilicas multas ædificavit, quæ ad vanorum deorum cultum, & ad populi in rebus adversis profugium aptæ, accommodatæque essent; Juda quoque permotus clade decem tribuum, arces construxit, quibus se tueretur, nec est conversus ad Dominum

minum. Verùm justo Dei judicio vallatæ urbes Judæ, & munitissima Israëlis templa vastabuntur & subvertentur.

CAPUT IX.

1. *Noli lætari*, &c. Id est, Ne læteris Israël ita, ut cetera rarum gentium instar exultes, quòd à Deo tuo recedens, in omnibus locis, & agris idola colueris.

Dilexisti mercedem. Nempe, ut meretrix. Israël deserens Dei cultum dicitur *fornicari à Domino*, & idola colens, dicitur *meretricari*; quia verò id facit alicujus temporalis commoditatis causâ, dicitur meretricis in modum *diligere mercedem.*

2. *Area* &c. Q. d. Nam agri & vineæ sterilescent, nec spei & labori respondebit fructus.

3. *Non habitabunt*, &c. Hoc est, exulabunt à terra sancta, quam suis fornicationibus polluërunt; pars in Ægyptum ibit, pars in Assyriam, ubi fœda eis in cibum vertent. Vide Ezech. 4. v. 12, & 13.

4. *Non libabunt*, &c. Id est, sacra, quibus Dominus placari solebat, convertentur in cibos fœtidos, & luctu contaminatos, quorum esu omnes polluentur, neque pro expiatione animæ oblata in domum Dei admittentur. Alludit Vates ad morem apud Hebræos usurpatum ut amici mitterent lugentibus epulas & vinum, Jerem. 16. v. 7. & Ezech 24. v. 17. Erat autem cibus iste, quem lugentes comedebant, impurus, quia lugentes impuri habebantur Levit. 21. v. 1, & 4. Hinc Agg. 2. v. 14. quivis cibus ab eo tactus, qui immundus erat à contagione mortui, pollutus esse declaratur, & omnia, quæ in domi mortui erant, polluta dicuntur Num. 19. v. 14.

5. *Quid facietis*, &c. Q. d. Neque statis diebus solemnia repetere, & juxta Legis præscriptum festa celebrare vacabit.

6. *Ecce enim*, &c. Q. d. Namque brevi vobis vastitatem terrarum vestrarum fugientibus, Ægyptus non erit asylum, sed sepulchrum, omniáque ædificia vestra, quæ nunc auro, argentóque nitent, spinis atque urticis horrida erunt, in desertúmque incultum vertentur. Simili locutione Virgilius Eclogâ quintâ dixit:

Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

Memphis.

Memphis. Urbs Ægypti excisa, olim regia, à Mevi Rege juxta Herodotum, ab Epapho filio secundum Eusebium condita ad sinistram & occiduam Nili ripam apud verticem Deltæ, è regione Babylonis novæ, à vertice MD. Passum in austrum distans. Hujus nomen Hebraicum *Moph.* & *Noph.* Esa. 19, & Ezech. 30. Chaldæus interpres *Mephis* reddit. In tres olim distincta partes, quarum tertia Albus murus dicta.

Lappa. Heb. חוח, quod est, Clarissimo Joanne Plantavitio Pausano Lodoventium Episcopo interprete, *spina aculeos tenues & recurvos habens, vestibus tenaciter adhærens. Lappa.* ξάνθιον.

7. *Venerunt*, &c. Q. d. Impendet vobis vestrorum scelerum ultio, ô Israël; quæ cùm ingruerit, noscetis tandem propter incredibilem vestrum iniquitatis amorem, & dementer pertinax justitiæ odium, datos fuisse vobis stultos & insanos, qui viri spirituales seu prophetæ haberentur, dum insaniâ & furore correpti contra prædictiones Prophetarum divinitùs afflatorum prospera pollicebantur.

Virum spiritualem. Hebraismus; Hebræo enim idiomate propheta vocatur *vir spiritualis*, seu, *vir habens spiritum.* Hinc illud Michææ 2. v. 11. *Utinam non essem vir habens spiritum.*

8. *Speculator Ephraim*, &c. Hoc est, qui se profitetur esse speculatorem & Israëlitico populo ex Deo prædicere vera, insanis consiliis, vanisque prædictionibus, præpedit eum, ne ad bonam frugem se recipiat, eidémque autor est insani odii in ædem Dei sui, hoc est, in Templum Hierosolymitanum ab ipso Deo selectum in locum habitationis suæ, ubi videlicet singulari modo præsentem, & beneficum se suis cultoribus ostenderet.

9. *Profunde peccaverunt*, &c. Q. d. Israël pseudo-Prophetarum hortatu in impietatis barathrum demersus est, ad instar Gabaitarum illicito concubitu Levitæ Bethlehemo revertentis uxorem necantium, qui Gabaitæ neque rogati, obsecratique ab infanda libidine desistere voluerunt, ut dicitur Judic. 19. Verùm qui nunc per patientiam videtur oblitus, recordabitur Israëlis scelera & flagitia, similéque in eo editurus est severitatis exemplum, atque olim in Gabaitis Judic. 20.

10. *Quasi uvas*, &c. Q. d. Majores populi Israël post exitum ex Ægypto, ut desideratos, primos ac præcoces fructus cum gaudio excepi. Sic Jeremias cap. 2. v. 2. *Hæc dicit Dominus: Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur. Sanctus Israël Domino, primitiæ frugum ejus.*

Ipsi autem, &c. Id est, post innumerabilia mea in se beneficia abjecerunt ingrati cultum meum & ædem Moabitarum idolo

idolo dicatam ingressi, pudendis illius sacris se addixerunt: atque ita mihi Deo vivo abominabiles facti sunt sicut filiæ Moab, quas efflictim amabant. Vide Num. 25. Hoc Jeremias cap. 2. v. 5. his verbis exprobrat: *Hæc dicit Dominus: Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt se à me, & ambulaverunt post vanitatem, & vani facti sunt?*

Beelphegor. Chamos idolum Moabitarum à monte Phegor, sive Phogor (nam anceps est scriptura Num 23. v. 28.) in quo colebatur, cognomentum habebat Beelphegor. *Sonat Baal, siquis interpretari velit, Jupiter. Ergo Baalphegor, Jupiter Phegorius, sicut dicimus, Jupiter Olympius, Jupiter Capitolinus,* inquit clarissimus Drusius.

Abalienata sunt in confusionem. Id est, à Deo recesserunt, ut idolo se manciparent. Passim autem in Scriptura idolum vocatur בשת *pudor, confusio,* quia juxta Psal. 97. Heb. 97. v. 7. confunduntur *qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.* Proinde cùm Baal esset infame idolum, ex Scripturæ phrasi בשת est idem quod Baal, ideóque multa nomina promiscuè vel in Baal, vel in בשת desinunt. Sic Gedeon vocatur Judic. 6. v. 32. Jerobaal, & 2 Sam. 11. v. 21. ירבשת. Gedeonis quidem esse fratrem Jerobaalem scribit Georgius Syncellus, & in libro Judicum haberi. τὸν Ἰεροβάαλ συνοικῆσαι τῷ ἀδελφῷ Γεδεὼν περὶ τὰ τέλη αὐτοῦ. Sed ut rectè Scaliger, hæc est insignis allucinatio, cùm hujus rei ne minima quidem suspicio extet in Græca editione, aut si extaret, adversus veritatem Hebraicam esset. Idem Esbaal 1 Paralip. 6. v. 33, & 9. v. 39. & Isboseth 2 Sam. seu Reg. 2. v. 8. Idem Meribbaal 1 Paralip 8. v. 34. & Miphiboseth 2 Sam. seu Reg. 4. v. 4.

11. *Ephraim,* &c. Q. d. Incredibili festinatione exscindetur populus Israël, qui in multitudine sua modò gloriatur; filii quippe illius vel in ipso conceptu peribunt, vel aborsu tollentur, vel vix in lucem editi extinguentur.

12. *Quòd etsi enutrierint,* &c. Q. d. Siqui verò nati cum ætate adoleverint, sterilescent ne filiorum procreatione genus suum propagare possint. Quinimò miserrimam, acerbissimámque vitam degent Israëlitæ, cùm fuerint paternâ meâ providentiâ & curâ destituti, & in potestatem infensissimarum sibi gentium traditi.

13. *Ephraim,* &c. Q. d. Quamdiu misericorditer respexi populum Israël, multiplicis partûs gloriâ efflorescebat ut Tyrus Phœniciæ metropolis civibus frequentissima, nullísque rebus quæ opulentas, beatásque Respublicas facere possunt, destituta; nunc verò à me desertus quos habet filios, assiduis bellis

bellis vexatus quotidiè hoſtibus ad necem producit.

14. *Da eis*, &c. Deum rogat Vates ut potiùs liberi non naſcantur, vel ſtatim à nativitate lactis defectu pereant, quàm ſummâ curâ educati à crudeliſſimis hoſtibus maximo parentum cum mœrore atque luctu neci tradantur.

15. *Omnes nequitiæ*, &c. Q. d. E terra ſancta, quam præ ceteris orbis regionibus inhabitat Deus, juxta illud, *Notus in Judæa Deus, & in Iſraël magnum nomen ejus*, detrudam in captivitatem, nec ultrà in eundem aut patriæ, aut gratiæ meæ locum revertentur; etenim in Galgal idololatriæ, & omni ſcelerum generi ſeſe addixerunt, operibúſque & ſtudiis pravis me ad ſui odium provocarunt, & principes eorum omnes in me rebelles extiterunt.

16. *Percuſſus eſt*, &c. Metaphoram ſumit Vates ab arbore, quæ ramis reſectis vivit, aliósque profert ramos, ſed trunco ſecurim graviter paſſa, etſi non omninò cadat, tamen ex vulnere ſolis & aëris injuriam ſentit; quæ cùm ad radices uſque permanat, cauſa eſt ut perareſcat, quia radicum vitium toti arbori interitum affert. Sic regni Iſraëlitici truncus fuit tribus Ephraim, rami & folia reliquæ novem tribus, radices verò Reges, atque Principes: impetus in truncum factus, principes victi, capti, occiſi, & abducti ſunt, rami ergo fructum nequaquam facient. Contigit autem in arefactâ radice flores aliquando & fructus quoſdam prorumpere, qui tamen citiſſimè cum totius arboris interitu decidunt. Sic Deus dicit de Iſraëlitis, *Quòd etſi genuerint, interficiam amantiſſima uteri eorum.* Vide dicta ſuprà v. 11, & 12.

17. *Abjiciet eos*, &c. Q. d. Abjicientur à Deo meo, qui jam non vult vocari Deus eorum, quia ipſius monitis parêre noluerunt, & erunt vagi in nationibus, non habentes civitatem propriam.

CAPUT

CAPUT X.

1. *Vitis*, &c. Q. d. Cùm Israël jampridem degeneris naturæ vitem expresserit moribus, nihil mirum si partus sibi similes ediderit, & quò magis increscebat in multitudine populorum, eò plura ædificaverit altaria, quantóque opulentior ac ditior erat, tantò plures opes in superstitioso vanorum simulachrorum cultu insumserit, juxta illud Virgilii Eclog. 7.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.

Vitis frondosa. Heb. בוקק נפן, *an empty vine, vitis vacua*, cui opponitur Esa. 27. v. 2. כרם חמר, *vitis vini*, id est, multo vino fertilis. *Vites, quæ putatæ à vinitore non fuerint, in flagella frondésque luxuriant, & humorem, quem debuerant in vina mutare, vanâ frondium & foliorum ambitione dispergunt*, inquit Hieronymus.

2. *Divisum est*, &c. Q. d. Magna est inter eos dissensio, cùm alius aliud idolum colat; ast brevi suo quisque interitu, simulachris suis confractis, arisque divinitùs excisis suam fatebitur, agnoscétque stultitiam.

3. *Quia nunc dicent*, &c. Hoc est, jamjam enim exprientur adversus mala imminentia, impendentémque cladem in Rege nullum se habituros auxilium; quia timore Dei veri Regis abjecto, nihil opis Rex homo afferre potest.

4. *Loquimini*, &c. Q. d. Inutiles confingite visiones cuiâ singulari, summóque consilio nefaria sancite fœdera; hæc omnia majus judicium, seu severiorem damnationem vobis acquirent, ut quibus nocentes herbæ suâ naturâ fœcundæ in culto, & inarato agro feruntur, abundantior multò, & uberior veneni copia colligitur.

Amaritudo. Heb. ראש, quod vocabulum propriè significat herbæ amaræ genus in segetibus nascens, quæ cum absinthio sæpè jungitur ut æquè amara. Exempla vide Deut. 29. v. 18. Jerem. 9. v. 15. Thren. 3. v. 19. & Amos 6. v. 12.

5. *Vaccas Bethaven.* Jeroboam in consilium adhibitis seculi hujus prudentibus, qui dummodò stet Res-publica, religionem susque deque habent, erexit duos vitulos aureos, qui de-

inceps pro vero Deo colerentur. Horum alter, qui erat in Bethel, cum enallage numeri vocatur hîc per contemtum עגלות, *vitulæ*, à vulgato interprete, *vaccæ*. Quomodo Homerus Iliad. B'.

Ἀχαΐδες οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.

Et Virgil. Æneid. 9.

O *verè Phrygiæ, nec enim Phryges*——

Hinc 3 Reg. 12. v. 28. Ubi de Jeroboam dicitur, *Excogitato*, id est, inito, *consilio fecit duos vitulos aureos*, Græci interpretes habent δύο δαμάλεις χρυσᾶς, duas juvencas aureas. Ita etiam Josephus 8 Antiq. 3. Et vetus versio Italica, quâ usus est Lucifer Episcopus Calaritanus lib. 1. De Regibus apostaticis, *Fecit duas vitulas aureas*. Tobiæ etiam cap. 1. v. 5. ubi Vulgata editio habet, *Cùm irent omnes ad vitulos aureos*, Græcè habetur, πᾶσαι αἱ φυλαὶ αἱ συναπαστᾶσαι ἔθυον τῇ Βααλ τῇ δαμάλει, *Omnes tribus, quæ defecerant, sacra faciebant Baali juvencæ*. Neque dubium quin illud extenuationis genus multùm valuerit apud Hebræos, qui deorum sexus nesciunt. Fœminino igitur genere vocantur idola Jeroboami, *juvencæ, vitulæ, vaccæ*, ut eò magis constet illa non posse haberi pro vero Deo, cujùs decem nomina Hebraica omnia masculina sunt. Sic apud Diogenem Laërtium in præfatione à Chaldæis Magis ii imprimis damnantur, qui dicunt ἄῤῥενας εἶναι θεοὺς, καὶ θηλείας, *deos esse mares & fœminas*.

Quia Luxit, &c. Præteritum pro futuro, q. d. Cùm propediem populus Bethaven, & æditui, Heb. כומרים, id est, sacrificuli (vide dicto suprà cap. 7. v. 5.) vitulum suum sibi per Assyrios ablatum publico plangore, maximóque luctu sint prosecuturi, qui anteà super eum, seu, ut legit Hier. *Super eo*, exultaverant. *Ut ostenderet vaccas Bethaven unum in Bethel vitulum sentiendum, non intulit, Luxit super eis populus, sed super eo, id est, vitulo aureo*, inquit Hieronymus. Si Judæis credimus in Seder Olam majori, anno vicesimo Phaceæ Regis Israël, Theglathphalasar Rex Assyriorum abstulit è Dan vitulum aureum: quod colligere se putant ex 2 Paral. 28. v. 21. Et duodecimo Regis Achaz, id est, octavo post anno etiam alter vitulus è Bethel à Salamanasar ablatus est, ut Oseas hoc & sequenti versiculo prædixerat. In quo morem agnoscis veterum ducum, qui non solum de victis gentibus, sed & de diis triumphabant. Proinde Philistæi arcam abducunt 1 Sam. seu Reg. 5. v. 2. Babylone captâ, Babyloniorum idola, Bel & Nabo in captivitatem abierunt, Esa. 46. v. 1, & 2. Moabitide itidem excisâ,

Jeremias

Jeremias cap. 48. v. 7. vaticinatur fore ut Chamos Moabitarum Deus in captivitatem eat. De Melchom Ammonitarum deo idem prædicitur Jerem. 49. v. 3. & Amos 1. v. 15. Quo eodem exemplo Ptolemæus Evergetes, victo Seleuco Callinico, & Syris, deos eorum captivos ducit in Ægyptum, Dan. 11. v. 8. Quod ipsum à Romanis sæpè usurpatum. Ita Plutarchus in Marcello, eum accusatum fuisse scribit, quòd invidiam conflaret urbi, in qua non solùm hominès, ἀλλὰ καὶ θεῶν, οὓς αἰχμαλώτων, ἀγομένων ἐν αὐτῇ καὶ πομπευομένων, *sed & dii tanquam captivi cum pompa in triumphis agebantur.* Idem in Paulo Æmylio, ubi de triduano ejus triumpho, Ἡ μὲν πρώτη (ἡμέρα) μόλις ἐξαρκέσασα τοῖς αἰμαλώτοις ἀνδριάσι, καὶ γραφαῖς, καὶ κολόσσοις, ἐπὶ ζευγῶν πεντήκοντα καὶ διακοσίων κομιζομένοις· *Prima dies cùm vix suffecisset captivis statuis, & picturis, & colossis, qui vehiculis ducentis & quinquaginta vehebantur.* In Appiani Mithridatico tertium Pompeii triumphum decorant θεῶν βαρβαρικῶν εἰκόνες, *deorum barbaricorum imagines.* Ita igitur Assyriæ Reges, cum universa gente, Israëlis quoque deos in captivitatem abduxerunt, & idola, quæ Prophetæ suis concionibus non potuerant subvertere, ab aliis idololatris subversa sunt, atque aliò transvecta.

Super eum. Hieronymus vertit, *super eo.*

Æditui super eum exultaverunt. Deest pronomen relativum, *qui,* ut relativum, *quæ,* in illo Psaltis, *Judica me Domine secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me,* hoc est, quæ est super me.

6. *Siquidem,* &c. Q. d. Neque enim multò post ablationem vituli aurei ex urbe Dan, auferetur quoque ab Assyriis vitulus aureus ex urbe Bethel, & in puluerem comminutus mittetur in munus Assyriorum Regi. Tum demum regiam familiam, decémque tribus pudebit, quòd cùm debuissent rem totam Deo committere, qui regnum ipsis poterat inter quævis pericula sartum tectúmque tueri, ad malas artes confugerint, &, quod solitant principes, religionem ad sua commoda detorserint.

Regi ultori. Heb. *Regi Jareb.* Vide dicta suprà cap. 5. v. 13.

7. *Transire fecit,* &c. Id est, Hieronymo interprete, *Sicut spuma, quæ super aquam est, citò dissolvitur, regnum decem tribuum velociter finietur.*

8. *Et dispergentur,* &c. Q. d. Excelsa, in quibus nefariè populus Israël idolis immolare & adolere solebat, funditùs diruentur, ut ne parietes quidem, & extrema ædificiorum vestigia relinquantur & ipsa altarium sacrilegorum loca spinis & urticis inhorrescant. Tunc omnes præ pavore & incredibili for-

midine mori & repentino montium casu obrui præoptabunt, quàm suis oculis diutiùs cernere tam triste opprobrii sui spectaculum.

9. *Ex diebus Gabaa*, &c. Hieronymus hunc & sequentem versiculum sic enarrat, *Ex eo die, quo uxorem Levitæ turpiter atque crudeliter interfecit Benjamin in urbe Gabaa, Judic.* 19. *peccavit mihi omnis Israël: non quia ultus est injuriam, & scelus sanguine vindicavit: sed quia dolore maritali prosiluit ad pugnam, & sacrilegium in Deum suum noluit vindicare: eo quòd in domo Michææ Ephod & Theraphim, quæ pro idolis adorabantur, neglexerit. Hîc igitur stetit Israël, ibi suum repressit gradum, ne ultrà ambularet in viis Domini: idcircò non eos comprehendet propter Gabaa prælium, sive captivitas, sicut ipsi putant: ibi enim benè fecerunt, ut persequerentur filios iniquitatis, sed, Corripiam, inquit, eos, atque erudiam totâ animi mei voluntate, & congregabo adversus illos populorum multitudinem, quia duas fecerunt iniquitates, vindicando hominem, & Dei sui injuriam negligendo. Sive duas iniquitates: quia primùm peccaverunt in idolis Michææ, secundò in vitulis Jeroboam. Vel certè duos vitulos Samariæ in Dan & Bethel possumus duas iniquitates appellare, de quibus & Jeremias cap.* 2. *loquitur: Duo pessima fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi lacus contritos. Hæ duæ iniquitates contra duo Decalogi præcepta, in quibus dicitur: Ego Dominus Deus tuus: Non erunt tibi dii alii absque me.*

11. *Ephraim vitula*, &c. Suprà cap. 4. v. 6. Israël cum juvenca indomita, & refractaria confertur; hîc verò planè alio sensu cum vitula domita comparatur. Nempe florebant Israëlitarum decem tribus, cùm earum Rex Phacee Romeliæ filius Regi Syriæ Rasin fœdere junctus, Judæam devastaverat, Judæorum centum viginti millia uno die jugulaverat, & captivorum ducenta millia abduxerat, quos tamen à Propheta Oded monitus gratis remisit 2 Par. 28. v. 6. & Seqq. Itaque prosperum Israëlitarum statum hîc describit Oseas, & ut laborem detrectare, genióque indulgere doceat, eos assimilat vitulæ, quæ soli trituræ assuevit, neque aliâ re delectatur: nam in trituratione boves non ligabantur sub jugo, sed vel singuli pedibus triturabant, vel trahas, aut plostella rotis ferreis agebant; quibus grana è siliquis elicerent, & liberum illis erat de frugibus subinde aliquid arripere, quia lege cautum erat, ne is eis obligaretur. Huic igitur operi incumbentes mirum in modum pinguescebant. Et cùm arantium boum collum sub jugo atteratur, atque exulceretur, in hac vitula colli pulchritudinem laudat Deus, *Ego*, inquit, *transivi super pulchritudinem*

nem colli ejus. Quod dici puto per Hypallagen. Deus enim hîc agit tanquam armentarius, qui super boves non transit, sed sub ejus virga boves transeunt, ut dicitur Levitic. 27. v. 32. Sensus itaque est idem ac si dicat, Juvencæ hæc pulchro collo transiit sub virga mea, proindéque eam pro mea agnovi, & in armento meo recepi. Sed quia triturationem præcedit aratio, & occatio, & cetera, quæ ad terræ cultum pertinent, si Israëlitis solus triturationis cura fuit, quæri potuit quosnam alios ad rustica hæc opera adhibuerit. Cui quæstioni Oseas facit satis dicens: *Ascendam super* (Heb. *equitare faciam*) *Ephraim: arabit Judas, confringet sibi sulcos Jacob.* Hoc est, tribus Juda durissimam servitutem serviet, dum lauto & opiparo dominatu potietur Israël. Nempe quia equitans dominatur currui suo, metaphoricè dicitur *equitare*, qui dominatur & rerum potitur, ut observat Majemonides P. 1. Doctoris perplexorum cap. 70.

Super pulchritudinem colli. Juvenca nitore placet & pinguedine. Hinc Virg. 3. Georgic.

Pascitur in magnis sylvis formosa juvenca.

Sic Jerem. 46. v. 20. *Vitula elegans, atque formosa Ægyptus.* Heb. עגלה יפהפיה, *vitula formosissima*; geminatio enim radicalium significationem intendit apud Hebræos.

12. *Seminate*, &c. Servat ab agricolis semel cœptam translationem, & cohortatur Israëlitas, ut dent operam religiosis, sanctisque officiis, & omni conatu quærant Deum, qui eos veram justitiam edocere vult & potest, sicque expectent à Deo misericordiam.

13. *Arastis*, &c. Q. d. Experti enim estis quàm damnosa fuerit vobis hactenùs vestra impietas, quámque nocivum iniquis consiliis vestris, numerosique exercitûs robori præfidisse.

14. *Consurget tumultus*, &c. Q. d. Bellum concitabitur internecinum contra populum tuum, quo nulli ætati vel sexui parcetur, quomodo sævitum est à Salman in victos loci *Domus Arbel* dicti, seu, ut alii interpretantur, quomodo Gedeon Judic. 8. interfecto Salmana Madianitarum principe, occidit matres & filios, qui castra sequebantur. Græci interpretes volunt sensum esse eundem ac si dicat à Gedeone interfectum Salmana, quòd ipse Salmana eò fuerit grassatus, ut pueros atque infantes de domo Jeroboam (lege, Jerobaal) in conspectu matrum, deinde matres saxis collisas crudelissimo mortis genere necaret.

Sicut vastatus est Salmana. Heb. ad verbum, *Secundum vastationem Salman.* Quæ verba alii activè sumunt, & volunt Oseam loqui de historia suo ipsius tempore omnibus nota cujusdam Salman, qui locum dictum בית ארבאל pervastaverat; alii verò cum Hieronymo sumunt passivè, & putant Vatem loqui de vastatione, qua vastatus est Salmana Rex Madian à *Beth-arbel*, à domo ejus qui judicavit Baal, id est, à Gedeone. *Haud dubium quin Gedeonem significet, qui ex eo quòd destruxit fanum Baal, lucúmque succidit, & ille se vindicare non potuit, cognomentum Jerobaal sortitus est, id est, ulciscatur se Baal. Arbel* ארבאל *idipsum significante, quod & Jerobaal, sed breviori, disertoríque sermone,* inquit B. Hier.

15. *Sic fecit,* &c. Q. d. Tam ingenti clade ab Assyriis vastabitur Bethel ob nequitiam vestram, quâ Ægyptios deos, seu, vitulos aureos colendos suscepistis.

CAPUT XI.

1. *SIcut mane,* &c. Id est subitò, in ictu oculi Rex Israël penitùs exscindetur. Hoc ad verbum ex Hebræo expressit versio Anglicana, *In a morning shall the king of Israel utterly be cut off.* Quod adimpletum legitur 4 Reg. 17.

Quia puer, &c. In veritate Hebraica caput undecimum ab his verbis incipitur, & meritò, verbis mox præcedentibus caput decimum clauditur. Sensus itaque est idem ac si dicat, Primis temporibus dilexi Israëlitas, & eduxi eos ex Ægypto, de quibus dixi Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israël.* Sic Christus qui κατ' ἐξοχὴν dicitur & κατ' ἐνοὶν est Dei Filius, cujúsque respectu filii adoptivi omnes sunt quidam duntaxat typi, in pueritia sua ex Ægypto vocatus est, Mat. 2.

2. *Vocaverunt, &c. Veteris recordatur historiæ, quòd vocaverit Israëlitas per Moysen & Aaron ut egrederentur de Ægypto; ipsi verò vocati recesserunt a facie eorum vertentes eis terga, mentis duritiam gestu corporis indicantes. Nec eis sufficit vocantes contemnere, nisi immolarent Baal, sculptilibus, sive simulachris adolerent incensum. Adorasse eos Baal primùm sub Achab Rege Israël legimus 3 Reg. 19. Ergo disiantia peccata temporibus, uno sermone conjungit.* B. Hier.

3. *Et*

3. *Et ego*, &c. Hebræum textum ſic ad verbum exprimit Anglicana verſio, *I taught Ephraim alſo to go, taking them by their arms*, id eſt, *ego quoque Ephraimum brachiis tenens, eum ad ambulandum aſſueſceram.* Exprobrat Deus Iſraëlitis, quòd ingrati non agnoverint quantâ benignitate ſeſe ad ipſorum infirmitatem accommodaſſet.

4. *In funiculis adam traham*, &c. Futurum hîc, ut & alibi paſſim potiùs conſuetudinem, quàm tempus deſignat. Senſus eſt idem ac ſi dicat, Licèt populus Iſraël eſſet quaſi vitula refractaria, tamen eum non ſolebam trahere vinculis violentis & crudelibus, quibus mancipia, aut pecudes conſtringuntur, ſed humanis, & amicis quibus humaniter filii tractantur: gubernatio mea fuit amica, humana & paterna, haud plus æquo præceptis onerabam, pœnas ſeverè non exigebam pro merito, ſed exorbitantem moderatè caſtigabam, noviſque in diem beneficiis a perditione ad emendationem paternè revocabam.

Exaltans jugum ſuper maxillas. Subauditur relativum, quod, ut ſenſus ſit idem ac ſi dicat, Tollebam jugum, quod erat ſuper maxillas. Reticentiam hujuſmodi jam obſervavimus ſuprà cap. 10. v. 5. Fit autem hîc alluſio ad earum regionum morem, in quibus boves non in fronte, ſed in cervicibus juga ſuſtinent; namque eo modo jugum maxillis imminet.

Et declinavi, &c. Q. d. Detracto jugo pabulum ei offerebam, quo recrearetur, demittens Mannam & coturnices.

5. *Non revertetur*, &c. Id eſt, Cùm reverti cuperet Iſraël meæ erga ſe clementiæ immemor in Ægyptiacam ſervitutem, ab Ægyptiis auxilium efflagitans, Aſſyrius ſubjugavit eum renuentem converti ad me clementiſſimum Dominum ſuum, & ſingulare præſidium.

6. *Cæpit gladius*, &c, Q. d. Medias civitates hoſtis introibit, & eas, fortiſſimis quibuſque ferro abſumtis, pervaſtabit propter impia Iſraëlitarum conſilia.

Comedet capita. Id eſt, proceres conſumet. Heb. & Chal. *Comedet de conſiliis*, id eſt, eos, qui proceribus à conſiliis ſunt, devaſtabit.

7. *Et populus meus pendebit ad reditum meum.* Q. d. Populus enim meus continuè propendet ad retroëundum à me. Hoc Anglicana editio clarè ſic exprimit, *And my people are bent to backſliding from me.*

Jugum autem, pro Hebræo עַל *al*, Hieronymus legit עוֹל *ol*, id eſt, *jugum.* Hanc lectionem ſi ſequamur, mens Prophetæ erit eadem ac ſi dicat, Quia jugum meum leve ferre detrectant, imponetur omnibus pariter jugum graviſſimum perpetuæ ſervitutis. Sin verò hodiernam textûs Hebræi, lectionem ſequamur, ſenſus erit, quem Anglicana editio expreſſit, *Though they called*

them to the most high, none at all would exalt him, id est, quamvis ad Altissimum vocarentur à prophetis, ne unus quidem exaltavit eum & magnificavit.

8. *Quomodo*, &c. Cùm Deus commeritam in Israëlitas protulisset sententiam, rursùm parentis affectu, & misericordiâ quasi victus inducitur austeritatem judicis mitigans pietate patris, q. d. Adeò quasi coactus pœnas repeto, ut mihi cor dolore convellatur, statímque ut locutus sum Israelitas à me exarmatos hostibus tradendos, & ut urbes Adama & Seboim Sodomæ & Gomorrhæ socias internecione delendos, commota sunt viscera mea, & pœnituit me consilii mei. In his verbis est sapientissima Dei συγκατάβασις, de qua præclarè Aug. 15. Civ. Dei 27. *Neque enim sicut hominem ita & Deum cujusquam facti sui pœnitet, cujus est de omnibus omninò rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Sed si non utatur Scriptura talibus verbis, non se quodammodo familiariùs insinuabit omni generi hominum, quibus vult esse consultum, ut & perterreat superbientes, & excitet negligentes, & exerceat quærentes, & alat intelligentes. Quod non faceret, si non se priùs inclinaret, & quodammodo descenderet ad jacentes.* Vide Commentarium nostrum in Joël 2. v. 14.

Protegam te. Heb. אמגנך, quod *Aquila transtulit* ὅπλῳ κυκλώσω σε, *id est, scuto circumdabo te. Quod cùm in bonam partem putaremus intelligi, & significare protectionem, ex editione Symmachi contrarius nobis sensus subjicitur, dicentis,* ἐνδύσω σε, *id est, tradam te. Ex translatione quoque Theodotionis non prospera, sed adversaria demonstrantur,* ἀφοπλίσω σε, *nudabo te, & auferam à te* ὅπλον, *hoc est, scutum, quo te ante protexeram.* B. Hier.

9. *Non faciam*, &c. Q. d. Itaque modum tenebo in vindicta sceleum ab Israëlitis repetenda, neque disperdam eos, ut sunt commeriti; *Deus enim ego sum, & non homo. Homo ad hoc punit ut perdat; Deus ad hoc corripit ut emendet. In medio tui sanctus, & non ingrediar civitatem. Hoc est, non sum unus de his, qui in urbibus habitant, qui humanis legibus vivunt, qui crudelitatem arbitrantur justitiam: jus summum summa malitia est: mea autem lex, meaque justitia est salvare correptos.* B. Hier.

10. *Post Dominum ambulabunt.* Id est, convertentur Israëlitæ ad Dominum Deum suum.

Quasi leo rugiet, &c. His & sequentibus verbis Theodoretus cum Hebræis Judæorum reditum ex captivitate Babylonica prædici existimat, q. d. Ut terribili leonis rugitu audito, animalia metu percelluntur: sic, cùm Deus opem tulerit Israëli, hostes ejus terrebuntur instar filiorum maris, id est, piscium ne minimum quidem crepitum terræ valentium, in aquas se abdentium. Mystice per leonem intelligitur Christus, qui cum agnus in

morte

morte fuerit, in resurrectione factus est leo, postquam diabolo & inferis morte suâ devictis, omnem accepit potestatem in cœlo, & in terra, & nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur. Hujus leonis rugitu hîc ab Osea prædicitur futura restauratio spiritualis, & vocatio gentium, quæ facta est per Evangelii prædicationem. Nec immeritò rugitus appellatur evangelii prædicatio, cùm tam sit clara & sonora, ut per totum orbem audita fuerit, nec solum aures, sed & auditorum animos vi suâ perculerit & sollicitos reddiderit de salute sua cum metu & tremore procuranda.

11. *Et avolabunt*, &c. Theodoreto interprete, his verbis significatur fore ut, cùm hostes Israëlitarum quasi rugitu leonis attoniti obtorpuerint, ipsi Israëlitæ Zorobabele duce tum ex Babylone, tum ex Ægypto in Chananæam postliminiò tantâ alacritate, támque festinanter pristina sua domicilia repetituri redeant, quàm aves, & columbæ potissimùm in suos nidos revertuntur. Pro *avolabunt*, Heb. habetur יחרדו, *trepidabunt*, id est, trepidè accurrent. Sic 1 Sam. 16. v. 4. cùm Samuel venit Bethlehem, ויחרדו, *& trepidarunt*, id est, trepidè accurrerunt seniores urbis in occursum ejus. Et suprà cap. 3. v. 5. *Pavebunt ad Dominum*, id est, יש בו במהרה במרוצא פחץ; פחאום *redibunt festinanter, cursim, citò, velociter.* Nempe trepidandi verba subinde ad festinationem pertinent. Virgilius Æneid. 9.

Ne trepidates meas, Teucri, defendere naves,

Id est, *ne festinetis*, ut advertunt Servius & Nonius Marcellus. Et Livius lib. 22. *Dum in sua quisque ministeria discursu trepidat*, id est, festinat, *ad prima signa.* Ita omnino ab Osea trepidaturi ut columba dicuntur, qui erant summâ festinatione fugituri, quia columbæ volatus est perniciissimus, & ut advertit Rabbi David Kimchius ad Esa. 60. v. 8. *Citiùs volant cùm redeunt ad nidos suos, quam cùm ex iis exeunt, quia ad pullos, quos reliquerunt, redire properant, ut cibum, quem in ore habent, iis offerant.*

12. *Circumdederunt*, &c. Q. d. Ne miremini, si in præsenti affligo decem tribus, quia ad regiam dignitatem evectæ me negârunt, & idola coluerunt; cùm Judas etiam imminutus, ex quo decem tribus, ipsius dominio se subtraxerunt, semper in Dei cultu testimoniisque versaretur, & cum antiquis patribus de religione retinenda, fidéque servanda consentiret.

CAPUT

CAPUT XII.

1. *Ephraim*, &c. Q. d. Israël aurâ pascitur & ventis, inaniqué fidit somno, dum sperat inviolabili fœdere sibi devincire Assyrios, & muneribus conciliare Ægyptiorum amicitiam, cùm ab utrisque illum maneat certissimum exitium & detrimentum.

2. *Judicium ergo.* Heb. וְרִיב, *lis quoque.* Sensus hujus versiculi est idem ac si dicat, Non decem tribus modò, quæ nomine Ephraim designari solent, humanæ fragilitati confidentes, sed & reliquæ duæ tribus, quæ Judæ appellatione denotantur, totæ displicent Domino; proindéque universam prolem Jacob, hoc est, universas duodecim tribus commeritis pœnis afficiet.

3. *In utero supplantavit*, &c. Id est, Jacob in utero Rebeccæ, tenuit plantam fratris sui Esau, quo significabatur eum à se supplantatum iri, & viribus sibi divinitùs datis luctatus est cum Angelo.

4. *Et invaluit*, &c. Id est, colluctatori Angelo prævaluit Jacob, eúmque devicit.

Flevit, & rogavit eum. Nempe Jacob etsi firmiter, quantùm poterat, post victoriam reportatam retineret colluctatorem, noverat tamen apud se tantum virium non esse, ut eum detinere invitum posset. Itaque ad preces & lachrymas conversus ipsum detinuit, ut benedictionem expetitam flagrantissimo voto obtineret, dicens: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Gen. 32. v. 26.

In Bethel invenit eum. Id est, Cùm Jacob patris matrisque consilio fugeret in Mesopotamiam, Gen. 28. aut postquam reversus est de Mesopotamia, Gen. 35. invenit eundem Angelum.

Ibi locutus est nobiscum. Id est, cum illo, & quia ex illo descendimus patre, eum alloquens, nos allocutus est ex eo prognatos.

5. *Et Dominus*, &c. Q. d. Et ex eo tempore locus vocatus est Bethel, domus Dei, in perpetuam cœlestis apparitionis memoriam.

6. *Et tu*, Q. d. Cùm hæc ita se habeant, & tu, ô populs ad sanctitatem vocate, patris tui exemplo ad Deum tuum convertere, sis benignus, ut aliis facias, quæcunque tibi fieri velis, sis & justus, ne quæ tibi fieri nolis, aliis facias, spémque tuam

colloca

colloca in Deum vivum, cujus universæ viæ misericordia & veritas.

7. *Chanaan*, &c. Per Chanaan mercator intelligitur, quomodo Prov. 31. v. 24. *Cingulum tradidit chananæo*, id est, mercatori. Sensus hujus versiculi est idem ac si dicat, Hic populus ita fraudis studiosus est, ut instar mercatoris fraudulenti, dum sibi consulat, quemvis fraudare pro nihilo ducat.

8. *Et dixit Ephraim*, &c. Q. d. Gloriatur nihilominùs hic populus Israël dicens: Utique mihi ditescere contigit, & exoptatam inveni ingentem auri atque argenti vim, neque tamen in rebus studiisque meis quicquam doli mali potest deprehendi, adeò cuncta justo labore parta, honestóque usu à me tractata sunt.

9. *Et ego*, &c. Q. d. Ego verò Dominus Deus tuus, qui te eductum ex Ægypto, ubi nulli tibi agri, nullæ divitiæ, sed summa miseria & inopia fuerat, traduxeram ad hanc regionem, in qua tibi opes effuse affluunt, nunc te aurum instar idoli colentem, & quâvis fraude illud augentem, ex hac regione abducam, vagúmque domo & patriâ exulem habitare faciam in tabernaculis, ut soles in solemnitate Scenopegiæ; tumque demum cognosces quàm iniquè & dolosè te gesseris.

10. *Et locutus*, &c. Hoc est; ut consilium meum tibi testatissimum facerem, multifariàm, multísque modis tibi per Prophetas meos variis similitudinibus me adumbrans prænuntiandum curavi, ut sic tandem resipisceres.

11. *Si Galaad idolum*. Supple, frustrà erat, q. d. Si Galaaditis nihil proderat idolorum cultus, profectò & Galgalenses pari idololatriæ mancipati nihilo magis promovebunt. Nam & Galgalensium aræ brevi diruentur, & erunt גלים, *ut lapidum acervi*, qui sunt in agris. Est autem allusio vocis גלגל *Galgal* ad *Gallim*, quomodo Sophon. 2. v. 4. עזה עקרון, תעקר. Sic in Pseudo-Sibyllinis,

Καὶ ῥύμη ῥύμη ἔσται, πόλις πόλιν.

Et in historia Susannæ σχίσει, σχίσαι alludunt ad arborum nomina σχῖνος & πρῖνος.

12. *Fugit Jacob*, &c. Redit ad historiam Jacob; & ait eum fugisse metu fratris Esau in Mesopotamiam, ibique serviisse Labani, ejúsque oves custodiisse, ut Rachel sibi daret uxorem.

In regionem Syriæ. Heb. שדה ארם *Sedeh-Aram*, supple, נהרים, *Naharajim*, id est, in agrum sativum aut compascuum Syriæ duorum fluminum, quæ Syria vocabulo Græco Μεσοποταμία dicitur, quia inter Tigrim & Euphratem media est, & Latinè

Latinè melius dicatur *Interamna*, quàm *Medamna* cum Priſciano, cujus verba ſunt,

Indigenæ populi pro re dixere Medamnam.

Itaque quod Moſes Gen. 28. v. 2. *Paddan-Aram*, פדן ארם dixerat, hoc Oſeas exponit *Sedeh-Aram*. Nec immeritò, cùm in lingua Arabica, quæ Hebrææ dialectus eſt, idem ſit פראן *Phaddan*, quod Hebraicè שדה *ſedeh*, ſcilicet arvum, aut ager compaſcuus, uti fuſè demonſtravit clariſſimus Bochartus in ſuo Phaleg lib. 2. cap. 6. Porrò *Paddan* vel *Sedeh-Aram*, vel *Paddan-Aram*, id eſt, pars culta Meſopotamiæ, altèri opponitur, quæ deſerta & inculta eſt. Prior ab Armeniæ montibus uſque ad amnem Chaboram vocatur à Strabone Meſopotamia felix, à Xenophonte Syria, quia Syri illam tenebant; poſterior inculta & aſpera à Chabora Babyloniam uſque appellatur à Xenophonte Arabia, quia hanc Arabes inhabitabant. Utriuſque egregiam ex Xenophonte deſcriptionem vide apud Bochartum loco mox laudato.

13. *In propheta*, &c. Q. d. Per magnum Prophetam Moſem Jacobi poſteros eduxi de Ægypto, eductósque ſervavi.

14. *Ad iracundiam*, &c. Q. d. At populus tot beneficiorum tantorúmque beneficiorum immemor ſceleribus ſuis acerbè me irritavit; quapropter ſanguis, quem effudit occidendo innoxios, aut idolis ſacrificando, ſuper eum cadet, ſéque diffundet, & commeritas acerbitates, dolores, cruciatúſque perferet. Præclarè Gregorius Theologus Iambico carmine 21.

Θεὸν δ' ἀκέων οὐ γραφεῖς χολούμενον,
Ἢ παῤῥαλεῖ τιν' ἢ παρεισῤῥῶσιν πίθῳ
Ἄρχιον, &c.
Καλῶς ἄκως, μὴ κακῶς, τῷ σοφίσματι.
Πάσχει γὰρ εἰκὸς ὧν ἐγὼ [illegible]αι θεός.
(Μή τις τόδ' εἴπῃ) ἢ γὰρ οὐκ ἐξίσταται
Αὐτὸς παρ' αὐτοῦ· ταὐτὰ γὰρ συνθήσεται,
Καὶ τῷ μαχητῇ ἀργιλῴων ἐν πλείονι.
Ὁ δ' ἐξ ἑκὼν τοῦ ἐυδήλου, ἀτρεπὲς φύσει.
Πῶς δῆτα τυπεῖται ταῦτα, τῆς τροπῆς νόμοις.
Πῶς; ῥεύματ' οὐσι τὰ ἀπλεστέρων ῥρίγας·
Ὥσωιρ τὰ πολλὰ τῶν λόγῳ σθλιμμένων.
Ἀντισῤῥοῖ νέει, (aliquid deeſt) ἢ τὸ πᾶν ἔχεις.
Ἐπεὶ γὰρ αὐτοὶ πλήσομεν χολάμενοι,
Χολᾷ τὸ πλήσαν τοῦς καλοῦς ἐγεφάμεν.

Deum autem in Scripturis iratum eſſe cùm audis, aut pantheram

ram esse, aut ursum æstro affectûs percitum, &c. Rem bono non malo sensu accipe. Neque enim quidquam eorum, quæ patior, patitur Deus. (Hoc nemo dixerit.) Nam extra se ipsum Deus nunquam rapitur. Quod naturæ compositæ proprium est, & eorum, qui pugnare, id est, contrariis affectibus agitari, *dudum cæperunt. Ille autem est immutabilis naturæ, hoc palam est. Quomodo igitur hæc designantur? Tropi legibus. Quomodo? Ut terreat simpliciorum animos, ut multa, quæ verbo significantur. Fac conversionem, & rem omnem habebis. Quia enim ipsi plectimus irati, irasci scripsimus numen, quod plectit impios.* Verùm, ut ait Origenes Hom. 20. in Mat. 22. *Cessabit Deus aliquando esse sicut panthera, & sicut leo, & ursus turbatus, cùm desinentes talia facere jam non opus habuerint homines Deo sicut pantherâ, & sicut leone, & urso turbato, nec ipse habeat eos tales, qui talem necessarium habent. Tunc manifestabit se sicuti est, cùm cessante zelo, & contentione, & reliquis passionibus & peccatis, cessaverimus secundum hominem ambulare, & digni facti fuerimus audire à Deo, Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes: jam non agentes talia, propterquæ dicatur ad nos, Vos autem sicut homines moriemini.*

CAPUT XIII.

1. *Loquente Ephraim,* &c. Q. d. Rex Jeroboam filius Nabath de tribu Ephraim adeò erat formidabilis, ut, ipso loquente, tremor invaderet decem tribus, quæ ipsius jussis continuò se obedientes præbebant; verùm hic idem Rex, ubi ad impia idolorum sacra defecit, abjectus est à Domino, totáque ejus familia extincta.

Deliquit in Baal. Id est, vitulos adorando. Hîc Baal sumitur pro idolo in genere.

2. *Et nunc,* &c. Q. d. Neque tamen ibi restitit malum, sed impio vitulorum cultui addiderunt cultum idolorum, quæ in dies ex divitiis sibi divinitùs datis effingunt.

Vis ipsi dicunt, &c. Id est, Israëlitæ hortantur sacrificulos vitulorum, ut & simulachris de novo in dies confictis honores divinos deferant. Multi, quod dictu horrendum est, his idolis credunt Israëlitas humanis hostiis litasse, quia hæc Oseæ verba, זבחי אדם עגל ם ישקון, Hebræi veteres apud Rabbines-

binos Salomonem & Kimchium reddunt, *Qui ſacrificant homines, vitulos deoſculantur.* Ab hac verſione non multùm recedit Syrus. Græci & Vulgatus pro זבחי legerunt זבחו, ideóque verterunt, θύοντες ἀνθρώπους, *immolate homines.* Quæ Hieronymus, Cyrillus, & Theodoretus ad τὰς ἀνθρωποθυσίας referunt. Sed fatendum זבחי אדם paſſe reddi, *ſacrificantes hominum*, id eſt, ii hominum, qui ſacra faciunt. Sic Eſa. 29. v. 19. אביוני אדם, id eſt. *pauperes hominum*, Vulgat. *Pauperes homines*, vel אביונים מאדם, ut habetur Prov. 30. v. 14. *Pauperes ex hominibus.* In hanc interpretationem ideò ſum proclivior, quia cùm in idolis ſuis ſe verum Deum colere profiterentur Iſraëlitæ, illa haud dubiè colebant eo modo, quo verum Deum; is autem humanas hoſtias à nullo unquam exegit, præterquam ab Abrahamo, cujus manum in ipſo ictu inhibuit, ſolâ voluntate contentus. At ſaltem vel ex hoc loco certum eſt, non ſacrificia necdò, ſed & oſcula in antiquis deorum ſacrificiis numerari ſolita; unde & Job cap. 31. v. 27. negat ſe oſculatum eſſe manum ſuam ore ſuo.

3. *Idcirco*, &c. Variis exprimit Propheta ſimilitudinibus fore ut quàm citiſſimè diſpereant, qui idolorum, quæ colunt, patrocinio ſe tutos arbitrantur.

Quaſi nubes matutina, & ſicut ros matutinus præteriens. Quæ videlicet ſolis adventu diſſipantur. Vide Commentarium noſtrum in Cantic. 5. v. 2.

Sicut pulvis turbine raptus ex area. Heb. כמוץ, *Sicut gluma.* Hinc conſtat olim ſub dio fuiſſe areas illas, in quibus grana ventilabant, vel triturabant, proindéque omni vento patuiſſe. Hinc vellus cœleſti rore imbuendum ponitur à Gedeone in area, Judic. 6. v. 37.

Sicut fumus de fumario. Fumarium hîc eſt *arubbah*, pro quo Græci legerunt *arbeh*, quia hæ duæ voces licèt differant punctis vocalibus, eaſdem tamen habent literas ארבה. Inde nata eſt Græca verſio, ὡς ἀτμὶς ἀπὸ ἀκρίδων, *ut vapor ex locuſtis.* Hoc quidam exponit nebulam ex locuſtis conſtantem, quæ ſolis lucem obſcurat, ſed citò trafiens brevi revaneſcit, redditque ſolis lucem, quam ad breve tempus interceperat. Hieronymus ipſum locuſtarum halitum intelligit, *qui*, inquit, *ita tenuis de ore locuſtæ egreditur, ut non ſentiatur.* Theodoretus exiſtimat ſenſum eſſe eundem ac ſi dicat impios eſſe perdendos, quomodo vapor in aëre excitatus, nube locuſtarum ingruente diſſolvitur. Sed quid Græci ſenſerint non multùm refert, cùm in Hebræo textu aliud habeatur, nempe *fumus ex fumario*, ὡς καπνὸς καπνοδόχης, ut Theodotion rectè reddidit. Atque id ſequuntur Cyrillus Alexandrinus & Vulgatus. Pari ſimilitudine in pari argumento uſus eſt Seneca Troadis actu ſecundo, ——*Ut*

———Ut calidis fumus ab ignibus
Vanescit spatium per breve sordidus;
Ut nubes gravidas, quas modò videmus
Arctoi boreæ dissipat impetus:
Sic is, quo regimur, spiritus effluit.

4. *Ego autem*, &c. Q. d. Ex quo eduxi te è servitute Ægyptiaca, admonui te per Moysen Deut. 6. *Cave diligenter, ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo servitutis. Dominum Deum timebis, & illi soli services, ac per nomen illius jurabis. Non ibitis post deos alienos*, &c.

5. *Ego cognovi*, &c. Id est, cùm in solitudine ageres, ubi rerum omnium penuria, ubi nullæ aquæ: dedi tibi manna de cœlo, & aquarum fontes produxi de petra durissima.

In terra solitudinis. Heb. בארץ תלאובות, quod Rabbi Jonas ex lingua Arabica explicat, *in terra siticulosa*, atque eum sequuntur Kimchius & Aben-Ezra. Nempe לוב nomen Arabicè est *sitis*, & לוב verbum *siti languere*. Inde Africa vocatur Hebraicè לוב, *Lub, Libya*, quia est terra sitiens, quomodo nuncupatur à Lucano lib. 1.

———Per calidas Libyæ sitientis arenas.

Quod nomen sic toti convenit, ut tamen specialiùs videatur posse tribui illi Africæ parti, quam Græci Xerolibyam ex argumento nuncupavarunt; unde in illud Virgilii Æneid. 4. *Hinc deserta siti regio, Dicit*, inquit Servius, *Xerolibyam, id est, partem Africæ quamdam, quæ est inter Tripolim & Pentapolim.*

6. *Juxta pascua*, &c. Q. d. Ubi ad satietatem pavi eos, illicò ingrati superbierunt, & mei bonorum omnium largitoris obliti sunt.

7. *Et ego*, &c. Vide laudata ex Greg. Naz. & Orig. suprà cap. 12. v. 14.

Sicut pardus in via Assyriorum. Alii vertunt ex Hebræo, *Sicut pardus in via speculabor*, nempe ut in prætereuntes insiliam, quomodo pardi solent. Plin. l. 10. Hist. Nat. cap. 73. *Insidunt pardi condensa arborum, occultatique earum ramis in prætereuntia desiliunt.* Quò respexit Jeremias cap. 5. v. 6. dicens, *Pardus vigilans super civitates eorum*, in malum pœnæ scilicet, Jerem. 44. v. 27. Verùm non contemnenda est hunc in Oseæ locum hæc Liveleii nota, *Nihil dubito quin* אָשׁוּר *hic idem valeat, quod* אַשּׁוּר, *quia brevis vocalis in longam mutatio Hebræis familiaris est, ut* הָתֵל *pro* הִתֵּל, *&* אֵקֶל *pro* אֶקֶל, *præter alia*

alia multa. Græci interpretes & Hieronymus ita intellexerunt: atque ex recentioribus Castalio & Mollerus. Calvinus quoque, etsi dubitat in contextu tamen nomen Assur posuit, quasi hanc sententiam magis probarit. Sensus est Deum illis in Assyriam opem quæsitum profecturis obstiturum esse. Consentaneus ille quidem capitis quinti versus decimus quartus, Profectus est Ephraim ad Assyrium, qui eum juvare non poterit. Ego enim illi quasi leo &c. Sic cap. 7. v. 12. euntibus in Assyriam se rete expansurum minatur Deus. Et Jerem. 2. Quid tibi in via Assyriæ? Castigabit te malitia tua, & defectio tua corripiet te.

8. *Occurram eis quasi ursa raptis catulis.* Contendit Kimchius causam esse peculiarem cur ursa catulos diligat ardentiùs, & aliis feris sit ferocior iis amissis; *Quia quod ursa partu emittit est tanquam frustum carnis, cùm fœtus in densa valde secundina totus lateat. Et secundinam illam ursa delingit, & paulatim abscindit, ne fœtui noceat. In quo cùm plurimùm fatigetur, donec totam illam carnem eximat, atque ex ea fœtus prodeat, propter laborem in eo insumtum, dolet acerbiùs, cùm catuli illi occiduntur.* Quod accedit vero propius, quàm quod fabulantur plerique veteres ursas parere massam informem, quæ lambendo paulatim formetur, & figuretur. Quam fabulam Scaliger Exercit. 6. 15. & 182. 2. Camerarius Cent. 2. Emblem. 21. Andreas Laurentius lib. 8. Anatom. cap. 4. Matthiolus in Dioscoridem lib. 2. cap. 37. Dalechampius in Plin. lib. 8. cap. 58. Vossius lib. 3. de Idololatria cap. 54. partim inde ortam habuisse volunt, quod crassæ admodùm sint ursarum secundæ; partim inde, quòd fœtus suos accuratè lambant. Id verò est, quod scribit Kimchius. Non tamen inde sequitur, ursam erga catulos suos teneriùs affici, cùm & reliquis feris id sit insitum, ut fœtus suos lambant, & summo studio delingant. Sed quatuor hîc observanda, primò ursum esse animal longè ferocissimum, quod nemo nescit; deinde ut in pantheris, sic & in ursis fœminam esse mare ferociorem & fortiorem, quod notarunt Arist. lib. 4. Hist. cap. 1. & Plinius lib. 11. cap. 49. tum ursas ut & canes fieri truculentiores, dum habent catulos, ut asserit Aristoteles lib. 6. Hist. cap. 18. Unde postremò colligere est ursam, raptis catulis aut occisis, maxime ferocire, atque immanem in modum. Quod testantur sacri scriptores. Et è patrum choro imprimis Hieronymus, *Aiunt qui de bestiarum scripsere naturis, inter omnes feras nihil esse ursâ sæviùs, cùm perdiderit catulos. vel cibo indiguerit.* Et Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Esaiam. Φασὶ γὰρ τὰς ἄρκους εἰ ἀτεκνωθεῖεν ἀπὸ τοῦ διηρπασμένων αὐταῖς τῶν σχυμνίων, δεινῶς ὀλοφύρεσθαι, καὶ πίμπλασθαι μὲν ἀκρατοῦ μανίας, ὄρη δὲ καὶ νάπας περινοστεῖν, καὶ τοῖς ὑπαντῶσιν ἀσχετῶς ἐπι-

ἐπιπηδᾷν. *Ursas enim aiunt, si catulis orbatæ sint à quopiam sibi ereptis, graviter lugere, & impotenti rabie ferri, montesque, & saltus circumire, nec posse continere se, quin in obvios insiliant.*

Dirumpam interiora jecoris. Heb. *clausuram cordis*, id est, capsulam cordis, seu tunicam à cordis basi natam, quæ ipsum ambit, indéque vocatur pericardium.

Et consumam eos ibi quasi leo. Observat Kimchius ad hunc locum à leone præcipuè cor appeti cùm discerpit, & dilacerat. כן יעשה האריה בטרפו יקרע הגוף הלב ויאכלהו וישתה דמו. *ita facit leo cùm discerpit: dilacerat corpus usque ad cor, quod comedit & bibit sanguinem ejus.* Scaliger contra Cardanum ex Historia Navigationis cujusdam Trogloditæ id ita probat, ut interim profiteatur se nescire quî fiat, ut cor intùs rimetur, ac si sciret ibi esse quod palato magis sapiat. Idem testatur Franciscus Alvarez Navigationis Æthiopicæ cap. 23. *Venit*, inquit, *leo, & hominem interfecit, & cor ipsius discerpsit.* Neque Homerum id latuit, apud quem leo hinnulos dentibus abreptos tulit in lustrum,

——ἀπαλέν τε σφ' ἦτορ ἀπήυρα,——

tenerúmque ipsis cor abstulit, Iliad. λ'. Versu 115. Eòdem referri possunt hæc Apollinaris in Paraphrasi Psal. 7.

Μήποτ' ἐφαρπάξειε λέων ἐμὸν ὅια τις ἦτορ,

Nequando, ut leo aliquis, meum cor rapiat. Et Psal. 56.

ῥύσατο δὲ σκύμνων ὀλοῶν μέσον ἦτορ ἐμεῖο,

Liberavit autem cor meum è medio leunculorum perniciosorum. Avem naturæ similis, nomine *coredulum* fingunt Isidorus Orig. lib. 12. cap. 7. & Vincentius Bellovacensis in Doctrinali; cùm tamen nulla sit avis *coredulus*, sed κορύδαλος, *corydalus*, quæ est *alauda*.

9. *Perditio tua*, &c. Q. d. O Israël, conscivisti ipse tibi interitum, nec est præter me qui tibi opem ferre possit, quia, ut jam dixi suprà v. 4. *Salvator non est præter me.* Verùm etsi Deus hominibus salutem afferre solus meritò dicatur, quomodo dicitur solus corda scrutari, solus futura prædicere, solus miracula edere: minimè tamen hinc efficitur, eum per alios sibi subordinatos ista perficere non posse: cùm ad istiusmodi dictorum veritatem satis sit Deum solum à se ipso ista omnia habere,

bere, nec ullum, nisi ipso largiente ea præstare posse. Hinc enim factum est, ut & Prophetæ, & Apostoli, aliique viri divini ea noverint, ac spiritu viderint, quorum notitia non minùs, quàm cogitationum humanarum cognitio, divinæ, non humanæ sapientiæ est, futuráque prædixerint, miracula patrarint, homines denique salvos fecerint, háncque ob causam salvatores dicti fuerint. Vide 4 Reg. 13. v. 5. Nehemiæ, seu 2 Esdræ 9. v. 27. Rom. 11. v. 14. 1 Cor. 7. v. 16. & 9. v. 22. 1 Tim. 4. v. 16, &c.

10. *Ubi est*, &c. Q. d. Rex, quem postulasti 1 Sam. seu Reg. 8. ut te judicaret, & tua bella bellaret, id nunc præstet.

11. *Dabo tibi Regem in furore*, &c. Hieronymus vertit, *Dedi*, &, *abstuli*, cùm Vulgata hîc habeat, *Dabo*, &, *auferam*. En Hieronymi verba: *Tu dixisti, Da mihi Regem & Principes: itaque dedi tibi Saülem Regem in furore meo: in tantum ut in diebus messis pluviam demonstrarem contra naturam Judææ provinciæ. Et abstuli, inquit, in indignatione mea Regem, videlicet Sedechiam: ut quem cum furore dederam, cum indignatione tollerem. Alii arbitrantur datum in furore Regem Jeroboam filium Nabat, & ablatum in indignatione Oseæ ultimum Regem decem tribuum. Hoc quod exposuimus, Dedi tibi Regem, & abstuli in indignatione, Hebræi ad futurum tempus referunt: Eo, inquit, tempore, quo dicebas, Da mihi Regem & Principes: ego tibi respondebam per Samuelem, quòd daturus tibi essem in furore meo & ablaturus in indignatione mea.* Hæc Hieronymus. Utut est, hinc discimus tam malis quàm bonis Regibus regnum à Deo indultum esse; qui alios ad regnum benignè vocat, alios nobis meritò infensus, ut sint virga iræ suæ; quod de Assyriæ Rege dicitur Isa. 10. v. 5. Itaque nostrum est has virgas pati, cùm illas infligit Deus, & liberationem ab eo patienter expectare, qui corda Regum habet in manu, ut rivulos aquarum.

12. *Colligata est*, &c. Metaphorâ à nummis in marsupio ut diligenter asserventur colligatis petitâ significat Vates peccatum Ephraimi coram Deo reconditum, & altâ mente repostum non impune abiturum.

13. *Dolores*, &c. Q. d. Ephraim insipientiæ suæ pœnas dabit quàm acerbissimas.

Nunc enim non stabit in contritione filiorum. Hoc est, si enim resipuisset, nunc non staret in contritione, seu, ruptura filiorum, id est, in vulva, quæ conteritur & rumpitur in partu filiorum. Q. d. Si enim saperet, non imminerent ei modò omnes aerumnæ, omnes dolores, cruciatúsque parturientis. *Hebræi*, ut verè observat Grotius, *quia potentialem modum non habent, coguntur abuti futuro indicativi.*

14. *De*

14. *De manu mortis liberabo eos.* Q. d. Eruerim enim eos, & liberarem è graviſſimis calamitatibus ipſâ morte acerbioribus, longéque ipſo ſepulchro magis horrificis.

Ero mors tua, ô mors, &c. Id eſt, eſſem mors tua, ô mors, & excidium tuum, ô ſepulchrum; q. d. Horribiles clades, quibus velut ad mortem & ſepulchrum redigemini nullâ ſpe reſtitutionis, abolerem. Paulus hunc locum ad glorioſam corporum reſurrectionem accommodans, ita enuntiat, 1 Cor. 15. v. 53. *Ubi tuus, mors, ſtimulus? Ubi tua, inferne, victoria?* Nimirùm ex verſione LXX. interpretum, qui & ipſi interrogativè legunt. Diverſitas ex ſignificatu vocis אהי oritur, quam alii ut verbum futurum *ero*, accipiunt, alii ut adverbium loci, אי, *ubi* per metatheſin, quomodo ſuprà v. 9. אי מלכך, *ubi Rex tuus?* Quod ſi hæc poſtrema verſio placet, Apoſtrophe erit ad intolerabiles clades, quarum acerbitate parturientis inſtar, cum fœtus eſt in uteri faucibus, enecandi erant Iſraëlitæ, q. d. Si enim peccata ſua correxerint, quid omnia mortifera ipſo ſepulchro tetriora vis & poteſtatis in pœnitentes haberent? Nihil utique, cùm omnia hæc mala ſtimulum, ſeu vim & potentiam efficacem non habeant, niſi per peccatum.

Mors tua. Heb. דבריך, *peſtis*, ſeu *excidio tua.* Pluralis numerus pro ſingulari poſitus videtur ἀνομάλως. Aquila & quinta editio reddunt ex Hebræo, *ſermones tui*, quibus videlicet, ô mors, contendis adverſus hominem, & damnatum, & ſuperatum occidis ſtimulo tuo. quod eſt peccatum. In hunc ſenſum recidit verſio LXX. ποῦ ἡ δίκη σου, *ubi cauſa tua?* Q. d. Cecidiſti cauſâ, & victa es, devicto peccato, *cujus punctu mortificatum eſt genus humanum*, ut loquitur Auguſtinus lib. 3. de peccatorum meritis cap. 11. Non deſunt qui exiſtiment apud LXX. pro δίκη legendum νίκη, victoria, aut νεῖκος, *contentio*; verùm cùm contentio verbis fiat apud Judicem, ut cauſam dirimat, atque victoriâ excidat, qui cauſâ cadit, patet quovis horum vocabulorum eundem efformari ſenſum.

Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis. Q. d. Nunc vero, cùm non ducantur ſuorum ſcelerum pœnitudine, nihil eſt quod me conſolari, id eſt, iram meam ſedare poſſit. Sic vox נחם ſumitur Eſa. 57. v. 6. Porro, *ira Dei non eſt perturbatio concitati, ſed tranquilla conſtitutio juſti ſupplicii*, inquit Auguſtinus in Joannem. *Cum iraſci dicitur Deus*, ait idem in enchiridio cap. 33. *non ſignificatur perturbatio, qualis eſt in animo iraſcentis hominis, ſed ex humanis motibus vindicta ejus iræ nomen accipit.* Ut enim dicit Ambroſius, *Non Deus paſſioni patet ut iraſcatur, cùm ſit impaſſibilis, ſed*

quia vindicat, videtur irasci. Hoc nobis ita videtur, quia ipsi cum commotione vindicare consuevimus.

15. *Quia ipse inter fratres dividet.* Heb. *crescet.* Hoc est, cùm Ephraim creverit opibus & potentiâ.

Adducet urentem ventum, Heb. *Eurum.* Id est, adducet Dominus Assyrios, qui sunt ad ortum.

De deserto ascendentem. Scilicet, ventum. Multæ solitudines sunt in ea via.

Siccabit venas. Hoc est, omnia vastabit, & diripiet Assyrius. Hæc erunt antequam Dominus pœnitens mali, quo populus opprimetur, ipsum de manu mortis, & de sepulchri potestate liberet juxta prædictionem versu superiori positam.

CAPUT

CAPUT XIV.

1. *Pereat.* Non est vox maledicentis, sed futurum prædicentis; unde Græci vertunt per futurum, *Disperdetur.*

Samaria, Id est, regnum decem tribuum, cujus metropolis cœpta dici Samaria 3 Reg. 16. à nomine Augusti postmodùm dicta est Sebaste, id est, Augusta. Prædicit igitur Oseas quàm ingenti clade sint propediem obterendæ decem tribus, quòd dulcissimum Deum in amaritudinem verterint, & quasi invitum exacerbaverint.

2. *Convertere,* &c. Ad pœnitentiam provocatur Israël, ut qui iniquitate suâ ceciderat, jam respiscentiâ, stare incipiat.

3. *Tollite,* &c. Q. d. Hac precandi formulâ Deo supplicate.

Omnem aufer iniquitatem. Ut ferre iniquitatem, est commeritam pœnam luere; ita auferre iniquitatem est, eam impunitam dimittere. Rogatur autem Deus, ut omnem iniquitatem auferat, ut Psa. 50. Heb. 51. v. 11. *Omnes iniquitates meas dele*: frustrà enim partem ignosceret, si vel una superesset, cujus nomine rei essemus apud Deum, quia, *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea.* Gal. 3. v. 10. *Quicunque autem totam Legem servaverit, offendat autem in uno factus est omnium reus.* Jac. 2. v. 10. Itaque Deus iis, quorum misereatur secundum magnam misericordiam suam, omnia omninò peccata remittit. Hinc David Psal. 102. v. 3. *Dominus propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, sanat omnes infirmitates tuas.* Et Psal. 129. *Ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus ejus.* Et Dominus servo nequam in parabola Mat. 18. v. 32. *Omne debitum dimisi tibi.* Et Apostolus Coloss. 2. v. 13. *Donans vobis omnia delicta.* Jer. 33. v. 8. *Emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, in quibus deliquerunt mihi, & spreverunt me.* Mic. 7, v. 19. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* 1 Joan. 1. v. 9. *Emundet nos ab omni iniquitate.*

Accipe bonum. Q. d. Bonum ex misericordiæ tuæ fonte acceptum largire nobis. Cùm enim Deus nullum aliud bonum in nobis reperiat, quàm quod ipse posuit, rogatur ut bonum de suo accipiat, quod nobis conferat. Sic Gen. 21. v. 21. Agar *accepit filio Ismaël uxorem,* nempe quam illi copularet. Ita etiam Psal. 67. v. 59. *Accepisti dona in hominibus,* nempe quæ dares, & distribueres hominibus. Proinde Apostolus hunc versum laudans Ephes. 4. v. 8. habet *Dedit dona hominibus.*

Et reddemus vitulos labiorum nostrorum. Fidelium orationem

sequitur votum, seu promissio, quâ pro acceptis à Deo beneficiis pollicentur laudes & gratiarum actiones, quas Deus ipse vitulorum immolatorum loco habeat. Hæc enim sacrificia Deo fideles sæpè offerebant pro libamine & thure. Hinc David Psal. 115. v. 12. & 13. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo?* Et v. 17. *Tibi sacrificabo hostiam laudis.* Et Psal. 140. v. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Quod sacrificiorum genus etiam sub œconomia Legis Deo longè fuit acceptius, quàm boum sacrificia. Hinc Psal. 49. v. 13, & 14. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis: & redde altissimo vota tua.* Et Psal. 50. v. 17. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Et Psal. 68. v. 31, & 32. *Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude: & placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem.* Oseæ verba Græci reddunt, καὶ ἀνταποδώμεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν, *& reddemus fructum labiorum nostrorum.* Quasi pro פרים שפתינו legerint פרי משפתינו, *fructum è labiis nostris.* Idem sequuntur Syrus, Arabs, & Apostolus huc alludens Heb. 9. v. 15. *Per ipsum,* ait, *offeramus, hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Sed sensus planè est idem. Nam καρπὸς, *fructus* eo loco pro oblatione sumitur, ut in Græca versione καρπωσις, καρπωμα, ὁλοκαρπωσις, ὁλοκαρπωμα, pro sacrificio & holocausto passim occurrunt. Hic fructus labiorum confitentium nomini Dei à Petro spirituales hostiæ per Jesum Christum Deo acceptabiles dicuntur 1 Pet. 2. v. 5.

4. *Assur,* &c. Q. d. In nullis creatis viribus, neque in idolis, ut hactenùs, nobis confidemus, cùm tu solus possis & soleas misereri omni ope pupillorum instar destitutis.

5. *Sanabo,* &c. Conversis ad pœnitentiam, séque, relicto Deo, pupillorum instar omni ope destitutos cognoscentibus, vulnerum medelam, & justissimæ indignationis suæ in misericordissimum amorem ultrò pollicetur Deus conversionem.

6. *Ero quasi ros,* &c. Q. d. Cùm Israëlitas rore meo respersero, hoc est, cùm eis misericorditer benedixero, inconcussam & undequaque perfectam beatitatem sortientur.

Germinabit sicut lilium. In lilio commendatur candor eximius, & excelsitas, ut observavimus in commentario nostro in Cantic. 4. v. 5. Unde lilium summæ, jucundissimæque felicitatis symbolum est, quomodo ejusdem firmitatem inconcussam adumbrant cedri Libani, *quæ quantùm in auras consurgunt vertice, tantùm radicem in ima demergunt, ut nullâ tempestate quatiantur,*

antur, *sed stabili mole consistant*, ut loquitur Hier.

Erumpet, &c. Heb. Projiciet, mittet, radices suas dilatabit.

Ut Libani. Supple, cedri. Continens ponitur pro contento, Libanus pro cedris Libani. Hujus descriptionem vide in Commentario nostro in Canticum Canticorum cap. 4. v. 3.

7. *Ibunt*, &c. Alia Symbola adhibet Propheta, ut exprimat beatitudinem Israëlitis pœnitentibus promissam longè lateque diffundendam, omnibus gentibus fore conspicuam, nullisque vicissitudinibus obnoxiam.

Quasi oliva. Quæ scilicet semper viret.

Odor ejus ut Libani. Montis videlicet omni aromaticarum plantarum genere consiti, ut patet ex Cantic. 4. v. 14. Chaldæus hîc Hebræum לבנון non pro Libano monte, sed pro לבונה thure accipit.

8. *Convertentur*, &c. Perstat Vates in arboris metaphora, cui assimilavit Israëlem, & ait fore ut singuli, ex quibus multitudo filiorum Israël constabit summâ, & nunquam interituræ felicitate fruantur.

Vivent tritico. Id est, Hieronymo interprete, *omnium rerum abundantiâ.* Alii vertunt ex Hebræo, *Reviviscent instar tritici*, quod scilicet, si cadens in terram mortuum fuerit, multum affert fructum; húcque alludunt putant 1 Cor. 15. v. 36. Nempe, ut ait Seneca Epist. 58. *Placet satis, & arbustis animam inesse: itaque & vivere illa & mori dicimus.* Sic Psa. 57. v. 47. *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.* Ad quem versum Kimchius, נם יתכן בצומח מיתה אחר אשר בו נפש הצומחת, *etiam plantæ mors convenit, quia in ea est anima vegetativa.* Hinc Horat. lib. 1. Ep. 12.

Verùm, seu pisces, seu porrum, & cæpe trucidas.

Hinc hæc Jobi de arbore cap. 14. v. 8. *Si tenuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus ejus.* Eòdem facit Ægyptiorum quiritatio ad Josephum Gen. 47. v. 19. secundum veritatem Hebraicam, *Cur moreremur coram te, tam nos, quam terra nostra?* Nempe mori terra dicitur, cum inculta jacet & desolata. Hinc Martialis lib. 13. Epig. 12.

——*Suburbanus ne moriatur ager.*

Et Statius lib. 5. Thebaid. de serpente Archemori interfectore,

——*Percussæ calidis afflatibus herbæ*
Quà tulit ora cadunt, moritúrque ad sibila campus.

Germinabit, &c. Q. d. Tanta erit Israëlitæ cujusque felici-

tas, ut ubertate & commendatione referat generosissimam vitem in optimo plantatam solo, & palmitum multitudine, & præstantissimi vini copiâ nulli secundam.

Vinum Libani. Vinum Libaniticum tam præstans est, ut apud Syros dum de vino sermo est, Libaniticum & præstantissimum pro Synonymis habeantur.

9. *Ephraim*, &c. Q. d. O Israël, quid pluribus opus est ut tibi idolorum vanitatem suadeam? Ego, ego sum, nec est alius præter me, qui te exaudire possit, tibique prospicere & consulere, ut abietis instar virorem tuum nunquam deponas, in diem vigescas, vegetósque fructus afferas.

10. *Quis sapiens*, &c. Q. d. Quàm pauci sunt, qui capiant verbum istud, vias scilicet à Deo præscriptas esse rectas, justósque, qui Deo parent, & in eo spem suam reponunt, in iisdem viis confidenter ambulare; at prævaricatores, qui Deo sunt refractarii, sinuosis errorum & scelerum anfractibus involutos, malè excipientes ea, quæ benè & opportunè à supremo Legislatore sunt præscripta, & excusantes excusationes in peccatis ubique impingere; sicque, ut loquitur clarissimus Theologus Joannes Maury Philosophiæ practicæ cap. 11. v. 5.

Dum justi fortunat iter, dum prosperat illud
Justitia, impietas adversa in plurima pravum
Impingit; præpriisque dolis capiuntur iniqui.

FINIS.

JOELIS

JOELIS PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

OSeam ſequitur Joël: de cujus patria & tribu quamvis parùm inter Hebræos conveniat, Rubenitam tamen facit Epiphanius, ex agro Bethor, vel, ut alii legunt, Bethoron; Dorotheus ſcribit, Bethomeron. Bethoron locus eſt in tribu Ephraimitica. Id ſi ſequamur, Rubenita oriundo fuerit, Bethoronenſis natalibus. *Quid*, inquit clariſſimus Huëtius, *ſi legamus*, Betharan, *quo nomine dictus fuit locus tribûs Gaditicæ, Rubeniticæ propior: vel* Bethnemra, *gaditicæ item tribûs: vel* Betbabara, *vel* Beelmeon, *quæ trans Jordanem in Rubenitica tribu ſita fuere? Lectoris arbitrium eſto.* Unus eſt inter Hebræos natione Gallus Rabbi Salomon, qui exiſtimat Joëlem noſtrum eſſe eumdem cum Joële reprehenſo à Scriptura, filio Samuëlis Prophetæ; Samuëlem autem cognominatum Phatuël, quia inflexit Deum oratione ſuâ 1 Reg. 7. *Phatuël enim ſonat Flexi-Deum*, ut verſione doctiſſimi Genebrardi utar. *Jeroſolymis multa vaticinatus eſt, déque conſummatione Gentium*, inquit Pſeudo-Epiphanius in hujus Prophetæ vita. Neque Scriptura, neque Joſephus de ipſius vaticinationis tempore quidquam meminere. Hieronymus autem ſcribit eum vaticinatum eſſe iiſdem Regibus, quibus Oſee, id eſt, Ozia, Joatham, Achaz, & Ezechia. Hanc ſententiam ſequitur B. Theodoretus in Prologo Duodecim Prophetarum. At Clemens Alexandrinus in primo Stromatum, & B. Aug. lib. 18. de Civ. Dei cap. 27. videntur ſentire cum B. Iſid. Joëlem ſcilicet prophetâſſe temporibus Joath. id eſt, aliquantò poſt eos, qui Ozia regnante vaticinari cœperant. Non deſunt inter Hebræos, qui exiſtiment Joëlem extitiſſe Rege Juda Joſaphat, & Rege Iſraël Joram filio Achab, ac propterea meminiſſe vallis Joſaphat, quamvis in eorum Chronologia *Seder Olam* inſcripta ſub Rege Manaſſe prophetia Joëlis collocetur. Utut eſt nulla regni Iſraëlis mentio in hac prophetia, etſi bis nomen Iſraël occurrat, ut generale eſt, & omnem Jacob Patriarchæ prolem complectitur. Terret autem primùm Vates noſter, & comminatur, ut omnibus perſuadeat

ſuadeat pœnitentiam, & orationem, cujus formam præſcribit. Subdit inſignes conſolationes Judæ & Jeruſalem, nec meminit decem Tribuum, unde multi conjiciunt ipſum prophetâſſe poſtquàm in Aſſyriam & Mediam Iſraëlitas tranſtuliſſet Salmanaſar Aſſyriorum Rex, ut dicitur 4 Reg. 17. v. 6. 18. v. 11. Tob. 1. v. 2. 4 Eſdræ 13. v. 40. & ejuſdem Regis nepos Aſor-Hadd'an, ſeu Aſar-Haddon, ut vocatur 1 Eſdræ 4. v. 2. ſive Asbaſareth, ut appellatur 3 Eſd. 5. v. 69. Gentes ex variis regionibus adductas in civitatibus Samariæ collocâſſet pro Iſraëlitis inde ab avo tranſlatis. Multa de adventu Spiritûs-Sancti ad Apoſtolos, vel ipſo Apoſtolorum Principe interprete prædixit Ubique Horatianum iſtud obſervavit:

Quidquid præcipies eſto brevis, ut citò dicta
Percipiant animi dociles, teneántque fideles.

Faciliùs enim, inquit Velleius Paterculus lib. 1. *cujuſque rei in unum contracta ſpecies, quàm diviſa temporibus oculis, animiſque inhæret.* Ubique *brevis ſermo*, ut B. Paulini verbis in Epiſtol. 1. ad Amandum in Burdigalenſi Epiſcopatu Delphini ſucceſſorem, utar, *dulcedinem ſimul ac vigorem verbi cœleſtis tenet.* Ubique

Senſûs divitias verbi brevitate coarctat,

quemadmodum Alanus in Anticlaudiano loquitur laudans Symmachum Urbis Præfectum ſub Theodoſio Imperatore à nervoſa ſtili brevitate. Itaque vel unius Joëlis lectione experiri quiſque poteſt quàm verè de duodecim Prophetis minoribus dixerit B. Hieronymus in Procemio in Epiſt. ad Philemonem, in iis tam mira, & tam grandia eſſe quæ feruntur, *ut neſcias utrùm brevitatem ſermonum in illis demirari debeas, an magnitudinem ſenſuum.* Denique Joël *in pace mortuus, in patria ſua magnificè ſepultus eſt*, inquit Pſeudo-Epiphanius. Ejus memoria quotannis celebratur in Martyrologio Romano III. Idus Julii.

CAPUT

CAPUT I.

1. *Verbum Domini.* Voluntas Dei seſe quocumque modo revelans nuncupatur verbum Dei. *Cùm voluntatem ſuam indicat, locutus eſſe dicitur Deus*, ait Origenes Hom. 5. in Gen. de circuncisione Abrahæ. Ut autem obſervat B. Basilius in Pſ. 28. *Vox Dei diverſa eſt ab iis vocibus, quæ in ſenſum aurium cadunt; id enim accidit cùm mens hominum, quibus ille vocem ſuam tradere vult viſione quâdam informatur, perinde atque in ſomniis. Nam ut in his animus noſter quorumdam veluti verborum notis imbuitur, nullâ voce ad ſenſum auvium accidente, ſed ipſâ mente quibuſdam rerum inſignibus informatâ; ſic putanda eſt Dei vox, quam Prophetæ audiſſe dicuntur.* Quoties itaque Deus mentem alicujus ita informat, ut non ſolùm res abſconditas, tanquam præſentes oculis cernat, ſed etiam ſibi divinitùs revelari ſentiat, & perinde afficiatur, ac ſi Deum loquentem audiat, audita intelligat, toties Deus dicitur verba facere ad hominem; & is ad quem ſic verba facit, dicitur Prophetа; quódque hoc modo ei revelatur, Prophetia nuncupatur.

Quod factum eſt. Didymus Alexandrinus lib. 2. de Spiritu-ſancto, ait quòd: *Cùm in Prophetis Spiritus ſanctus ſit faciens eos futura præcinere, & alia quæ prophetalis operationis ſunt, verbum Dei ad eos factum eſſe dicitur.*

Joël filium Phatuël. Traditio eſt Hebræorum, cujus meminit B. Hieronymus ad initium Commentariorum in Sophoniam, patres & avos qui ponuntur in titulis Prophetarum, ipſos quoque fuiſſe Prophetas; inſuper omnis Prophetæ, cujus patria ſiletur, patriam eſſe Jeruſalem. Hujus traditionis fides ſit penes ipſius autores. Ego verò iis ſubſcribo, qui putant illos Prophetas initio prophetiæ ſuæ habere nomen parentis & avorum adſcriptum, quorum patres vel avi fuere in illo ævo clari & celebres, ut videlicet ex eis innoteſcat Prophetæ perſona.

2. *Audite hoc*, Supple, quod mox narraturus ſum.

Senes. Primò ſenes compellat, qui ætatis beneficio plura videre, atque audire poterant. Traditur ab Hebræis in libello inſcripto *Pirke Avoth, Capitula Patrum* בן ששים לוקנה, id eſt, *eum ſenem eſſe, qui ſexaginta annos natus eſt.* Hoc autem aiunt laudati libelli Interpretes colligi ex illo dicto Eliphas in libri Job capite 5. v. 26. *Ingredieris in abundantia*

(ſcilicet

(scilicet ANNORUM, Hebraïcè enim habetur בכלח, id est, in senectute,) *sepulchrum. Vox enim* בכלח, inquiunt, *numero efficit sexaginta, Hinc mos invaluit, ut sexagesimum ætatis annum egressi epulum faciant, quòd morte præmaturâ non fuerint abrepti.* Apostolus 1 Tim. 5. v. 9. agens de viduis Ecclesiæ ministerio deputandis (ut probat Chrysost.) *Vidua eligatur*, inquit, *non minùs sexaginta annorum*, ut quotidiano cum Episcopis Clericisque, quibus obsequi debebat, colloquio nullam obtrectandi materiam præberet, & senectus ipsi omnium venerationem conciliaret; est enim inditum naturæ præceptum istud Levit. 19. v. 32. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.*

Omnes habitatores terræ. Supple, Judææ, ad quam hæc prophetia dirigitur. Observat B. Hiéronîmus in præfatione in hunc Prophetam & in Es. 5. vocem *terra*, cùm significat regionem, de ea esse accipiendam, de qua sermo habetur.

Si factum est, &c. Q. d. Veteres volvite annales, & cum memoria vestra pugnate, nunquam invenietis tale quidpiam contigisse, quale est istud, quod mox enarro. Particula *si*, hoc loco significat, *an.* Sic Malach 1. v. 8. *Si placuerit ei aut si susceperit faciem tuam*, id est, an placebit ei munus tuum; aut, an honorabit te, grato animo accipiens munus tuum? Sic Terentius dixit: *Visam si domi est. Est-ne intùs? Si sit rogas*, &c.

In diebus vestris, &c. Significat Joël à locutis, de quibus statim est dicturus, eam cladem Judeæ illatum iri, qualis ei regioni nulla memoratur ab omni ævo iliata. Sic cùm de Ægyptiis locutis legitur Exod. 10. v. 14. *Sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec posteà futuræ sunt*: Hæc ad Ægyptum sunt restringenda; alioqui cum Joële pugnaret Moses, aut cum Mose Joël. At blasphema & mendacissima apud Eusebium Pamphili lib. 5. Hist. cap. 13. est Apellis vox: *Prophetias seipsas redarguere; esse enim eas à se invicem discordes, mendaces, & sibi ipsis contrarias.*

Patrum, id est, majorum.

3. *Super hoc filiis vestris narrate*, Cicero diceret, *Narrate hoc*, vel, *de hoc.*

Narrate. Memoriam factorum Dei posteris tradendam passim præcipit Scriptura, *ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Domini, & mandata ejus exquirant*, inquit Vates Regius Ps. 77. Heb. 78. v. 6.

Et filii vestri filiis suis, &c. Hoc Virgilius 3. Æneid. ex Homero, & ipse Homerus ex Orpheo dixit:

Et

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

4. *Reſiduum erucæ comedit locuſta*, &c. Id eſt, quod è terræ frugibus reliquum faciet eruca, comedit locuſta, & ſimiliter reliquias locuſtæ conſumet bruchus, denique reliquias bruchi abſumet rubigo. Quod autem ab Helleniſtis & à Vulgato interprete hîc redditur, *eruca*, *locuſta*, *bruchus* & *rubigo*, Hebraïcè eſt, *gazam*, *arbe*, *jelek* & *chaſil*. Has verò quatuor locuſtarum ſpecies quatuor annis continuis, *gazam* nempe primo anno, *arbe* ſecundo, *jelek* tertio, *chaſil* denique quarto Judæam devaſtaſſe putant ſcriptores Hebræi. Quod mihi fit parùm veriſimile, primò quia ſi locuſtarum ſpecies, *gazam* dicta, in Judæam primo anno fuiſſet immiſſa, non poneretur ultimo loco infra cap. 2. v. 25. his verbis: *Et reddam vobis annos, quos locuſta* (*arbe*,) *bruchus* (*jelek*,) *& rubigo* (*chaſil*,) *& eruca* (*gazam*;) & in his plagis enumerandis Propheta eundem utrobique ſervaſſet ordinem. Præterea ſi ſingulæ ſpecies ſingulis annis aſſignatæ fuiſſent, non diceretur *arbe* comediſſe reſiduum ♆ *gazam*, & *jelek* reſiduum ♆ *arbe*, & *chaſil* reſiduum ♆ *jelek*; neque enim hujus anni proventus ſunt præcedentis reliquiæ, nec quæ futuro provenient in hujus anni reliquiis haberi poſſunt. Itaque ſive annotina fuerit hæc locuſtarum plaga, aut, quod ex laudato verſu capitis ſecundi vigeſimo quinto videtur rectè concludi, in plures annos propagata; non tamen ſingulas locuſtarum ſpecies ſingulis annis aſſignandas, ſed omnes eodem anno in Judæam puto ingruiſſe: ita ut, uno agmine ex agro aliquo diſcedente, alterum ſuccederet, præcedentis reliquias, ſi quæ eſſent, depaſturum ac conſumturum; ídque repetitum toties, quoties fuit neceſſe, ut nihil omninò quo vel homines vel beſtiæ veſcerentur, in agro ſupereſſet. Nihilo magis probo, quod volunt Rabbini Judaïcam hanc plagam ab Ægyptia in eo differre, quod Ægypto unum locuſtæ genus, *arbe* nimirùm: at Judææ quatuor locuſtarum ſpecies, *arbe* ſcilicet, *gazam*, *jelek* & *chaſil* incubuerint. Quamvis enim *arbe* ἰδικῶς & propriè ſumatur pro certa locuſtæ ſpecie, cùm opponitur reliquis, ut apud Joëlem, & Levit. 11. v. 21. plerunque tamen γενικῶς & latè uſurpatur pro toto genere locuſtarum, quomodo ſumſit Moſes Exod. 10. ubi egit de עלה *arbe* in Ægyptios immiſſo. Quod enim non ſola locuſtarum ſpecies *arbe* dicta, ſed & illæ, quæ Hebraïcè dicuntur *jelek* & *chaſil*, in Ægyptios à Deo immiſſæ fuerint, patet ex Pſ. 77. Heb. 78. v. 46. & 104. Heb. 105 v. 34. Merito igitur apud Georgium Piſidem in Hexaëmero, ſeu Mundi opificio, Deus in Ægyptios inſtruit παρατάξιν τῶν ακρίδων, *locuſtam omnigenam.*

Erucæ

Erucæ. Heb. גזם *gazam*, quæ vox secundum Hebræos significat locustæ speciem, quæ morsibus non solùm gramen, & segetes atque arborum folia, sed & cortices, ipsósque arborum ramusculos ita erodit, ac si amputaret. Sic autem dicta est hæc locustæ species à verbo *gazam*, quod apud Talmudicos & in Æthiopica versione Mat. 3. v. 10. & 7. v. 19. Luc. 3. v. 9. & 13. v. 7. & 9. propriè significat *resecare & amputare ramos arborum*. Proinde mox laudatus Pisides locustarum agminibus tribuit μυριόστομον ξίφος, *ensem decies mille acierum*. Plin. lib. 11. Hist. nat. cap. 29. observat locustas multa contactu adurere, omnia verò morsu erodere, fores quoque tectorum. Et B. Hieronymus in præsens caput primum Joëlis ait: *Judæi putant in diebus Joël tam innumerabilem locustarum super Judæam venisse multitudinem, ut cuncta complerent, & non dicam fruges, sed ne vinearum quidem, & arborum cortices dimitterent*. Amos 4. v. 9. *Multitudinem hortorum vestrorum, & vinearum vestrarum, oliveta vestra, & ficeta vestra comedit eruca*. Heb. גזם *gazam*, locustarum species, cujus nomen Latinum non suppetit, sicut nec *arbe*, *chasil* & *jelek*, Doctissimus Fullerus in Miscellaneis lib. 5. cap. 20. multis suadere conatur *gazam* esse erucam, ut interpretantur Græci & Vulgatus interpres; verùm id non persuadet, cùm quia Hebræi, Chaldæi & Syri pro locustarum specie vocem *gazam* sumunt; tum quia hæc vox à ramorum amputatione dicta, videtur erucæ minùs convenire, quùm locustæ, cujus fortior est morsus. Exurit potiùs, quàm amputat erucæ morsus. Columella,

——————— *serpítque eruca per hortos*
Quos super ingrediens exurit semina morsu.

Itaque ut ab erodendo *eruca*, sic ab urendo *uruca* appellatur. Glossæ veteres Latino Græcæ à Stephano editæ, pag. 347. *uruca* κάμπη. Et Græco-Latina, pag. 501. κάμπη λαχάνου, *eruca*, *uruca*. Pag. 516 λαχάνων κάμπη, *uruca*. Quæ tria loca cùm se mutuò confirment, horum unus non debuit clarissimo Fullero esse suspectus.

Locusta. Heb. *arbe*, ארבה, à verbo *raba*, *multùm esse*, *multiplicari*, quia nullum animal locustis fœcundius. Hinc vulgare Arabum proverbium, *Opes ut locustæ*, id est, valdè copiosæ. Similiter in Scripturis passim res numero copiosissimæ locustis assimilantur.

Bruchus. Heb. ילק *jelek*, à verbo *jalak* lingere, quia sata & fruges *lingit*, id est, absumit, *linguâ suâ*, ut loquitur Abenezra. Nam Hebræis & Arabibus *lingere* est absumere, tribuitúrque locustæ, tineæ, igni & bovi. Quomodo *lambere* sumitur

in

in Vulg. 3 Reg. 18. v. 38. Nonnulli cum Caſtalione per *jelek* intelligunt *erucam* animal valdè hirſutum. Sed hæc verſio ſtare non poteſt. Nam huic inſectæ, Nahum 3. v. 17. volatus tribuitur: *Jelek*, inquit Nahum, *graſſatus eſt, & avolavit.* Vulgat. *Bruchus expanſus eſt, & avolavit.* Eleganter autem B. Hier. in caput quartum Amos Prophetæ: *Non avolat eruca ut locuſta, & huc illuc diſcurrens ſemeſa dimittit, ſed permanet perituris frugibus, & tardo lapſu, pigriſque morſibus univerſa conſumit.* Alii per *jelek* ſignificari volunt inſecti genus, quod Gallicè dicimus *haneton*, & Latinè dicitur vocabulo Græco *melolontha*, quia eſt pomorum pernicies, & *chryſocantharus*, quaſi aureus ſcarabæus, quia figurâ ſcarabæum, aurum colore imitatur. Hujus animalculi deſcriptionem videre eſt apud Ariſtophanem in Nubibus, & Scholiaſtem ejuſdem Ariſtophanis in Veſpis, ubi ab Ariſtophane hoc animalculum vocatur χρυσομηλολάνθιον, & apud Suidam & Julium Pollucem, qui addit à nonnullis non μηλολόνθην ſed μηλολάνθην, ſeu ut doctiſſimus Bochartus, (ex quo hæc omnia depromſimus) ſcribendum exiſtimat, μηλάνθην vocari, ὅτι τὰ ἀνθήσαντα τῶν μηλέων ἢ σὺν τοῖς ἀνθηστὶ γιγνόμενον, *à malorum floribus*, quibus illum inſidere refert Suidas, *aut quòd cum floribus gignatur.* Verùm gratis dicitur per *jelek* ſignificari melolontham, cùm à Prophetis *jelek* ſemper inter locuſtarum ſpecies recenſeatur, & à veteribus omnibus interpretibus conſtanter ubique reddatur *locuſta*, aut *bruchus*. Præterea Jerem. 51. v. 27. ubi in Vulgata habemus, *quaſi bruchum aculeatum*, Heb. habetur כילק סמר, hoc eſt, ad verbum, *quaſi jelek horrentem*, ſeu, *horrendum*, aut, *horripilantem*, ut loquitur ſequior ætas Latinitatis, quod veteres periphraſticè dicerent, *cujus horrore ſtant*, vel, *arriguntur comæ*; hoc autem in melolontham non quadrat, quæ eſt animal glabrum & depile, *quod captum*, ut loquitur Scholiaſtes Ariſtophanis in Veſpis, *pueri pede vinciunt, & in aërem dimittunt.* Fullerus Miſcellaneorum lib. 5. cap. 9. melolontham advolantem aſſiduâ & veloci pennarum quatuor agitatione, herinacei ſpinis undique exſtantibus hiſpidi ſpeciem referre ſibi fingit. Mihi certè non conſtat quid alæ molles, & in extremis obtuſæ, commune habeant cum hericii aculeis. Quamvis, vel ſi verum id eſſet, cauſa non fuerit, cur novi interpretes à recepta verſione recederent; cùm locuſtis etiam & bruchis ſint alæ quatuor, quarum agitatio tam crebra eſt, quàm alarum melolonthæ. De locuſtis igitur tam proclive fuit idipſum fingere, quod ſibi de melolontha fingit Fullerus. At in locuſtam & bruchum optimè quadrat epithetum *ſamar*, id eſt, *horripilans.* Nam ab Alcamo Arabe Lexicographo pili duo, quos

quos locusta habet in capite, vocantur *cornu locustæ*. Hos autem duos pilos cùm sursum erigit, *horripilare* aut *horrere* dici potest, quomodo Ælianus de hœmorroho scripsit lib. 15. Hist. animal. cap. 13. *tanquam quibusdam cornibus caput inhorrescit*. Sed & Claudianus Poëta insignis sic in suis Epigrammatis locustæ descriptionem incipit:

Horret apex capitis, medio fera lumina surgunt
Vertice, &c.

Et in tractatu Talmudico Cholin fol. 65. Glossator agnoscit locustas alias glabro, alias hirsuto capite. Quò fortasse alluditur Apocal. 9. v. 8. dum locustarum capilli assimilantur capillis mulierum. Sic Arabes bruchum hispidum vocant *orphan*, tanquam ab *orph*, id est, *à juba* facto nomine; & *chanthapho* locustam, quæ ut coquatur, depilata & mundata est, ut verè explicat Alcamus, cùm *Alchantouph* etiam dicatur; qui barbam suam vellicat. Quod si *samar* loco laudato Jeremiæ vertatur *horrens*, quomodo verbum סמר sumitur Psal. 118. Heb. 119. v. 120. pro *horrere*, à quo verbo nomen סמר derivatur, potest intelligi etiam de locusta depile. Atque ita cum locustis & bruchis horrore hostis imminentis, & metu periculi perculsis ad defensionem se parantibus, à quorum invasione evadere difficile est, equites magno numero, ut vastent & perdant omnia, in Babylonem ingruituros potuit conferre Jeremias. Denique si verbale nomen סמר *samar*, (quod si laudatum Jeremiæ locum excipias, nusquam occurrit,) vertas *horrendum*, in locustarum agmen id apprimè quadrabit, quo ingruente, conturbantur omnes habitatores terræ, ut patet ex versu primo capitis secundi prophetiæ, in cujus expositione modò versamur. Hinc apud Hesychium legitur, Βρίθιαν φοβερὰν, *locusta horribilis*.

Residuum bruchi. Bruchus juxta Latinos Patres, Hieronymum in Nahum 3. Augustinum in Psal. 104. & Remigium Altissiodorensem in Joëlem dicitur locustæ fœtus cùm nondum habet alas. Hinc B. Isidorus Hispalensis ex Gregorii lib. 33. Moral. cap. 17. *bruchi penè totum corpus in ventrem colligi* asserit, id est, vix quidquam esse præter ventrem, ut pote qui alis prorsùs careat. Mirum autem est sic existimasse Latinos Patres, cùm in Græca & Vulgata versione Nahum 3. v. 16. bruchus legatur avolasse, & Levit. 11. v. 22. inter locustas volucres censeatur tanquam specie & non solâ ætate à vulgari locusta distinctus. Proinde Græci Patres volatum brucho tribuunt, ut Cyrillus Alexand. & Theodoret. in Nahum 3. idémque Theodoret. in Amos 7. v. 1. bruchum diserte distinguit à fœtu locustarum. Verùm revera

varia

varia fuit *bruchi* acceptio. Ionibus enim bruchus fuit locustæ species. Cyprii locusta viridis, Tarentinis attelabus, ut refert Hesychius, Sic Theophrastus in libello de Animalibus quæ repentè apparent, *Graves*, inquit, *sunt locustæ*, sed *graviores attelabi, & ii maximè quos bruchos vocant.* Similiter attelabus Hesychio est locusta parva, & Plinio lib. 29. cap. 5. locustarum minima sine pennis. Unde Græci Interpretes Nahum 3. v. 17. ἐξέλατοεν ὡς ἀττέλαβος, *exiliit ut attelabus*, illi non volatum, sed saltum tribuentes. Nahumi interpres Arabs, qui Græco textui hæret mordicus, verba Græca mox laudata reddit, *exiliit ut locusta nigra.* Quin à doctissimo Bocharto attelabus dictus censetur à verbo ἀττεῖν *salire* & nomine ἔλαφος *cervus*, mutato, ut sæpè fit, φ in ϐ, quasi dicas salientem cervum, seu instar cervi, cujus in saltu agilitas laudatur Esa. 35. v. 6. Huc facit, quòd â Talmudicis inter locustarum species censetur אי"לא קמצא, quod est ad verbum, *cervi-locusta.* Secundum Hieronymum & Remigium Altissiorensem locis suprà laudatis attelabus *parva locusta est inter locustam & bruchum, & modicis pennis reptans potiùs, quam volans sempérque subsiliens.* At à vestutioribus attelabum non sic accipi constat, cùm attelabi partûs & ovorum non semel meminerint, ut videre est apud Aristotelem lib. 5. Hist. anim. cap. 29. Plutarchum in Iside, &c. Imò idem Plutarchus in Symposiacis lib. 2. cap. 3. videtur attelabum sumere pro locusta in genere. Utut est, apud Damirem cùm ex ovo prodit locusta, vocatur *daba*; apud Hieronymum & Remigium, *bruchus.* Cùm alæ suboriuntur apud Damirem, vocatur *gauga*; apud Hieronymum & Remigium, *attelabus.* Variis autem coloribus insigniri cùm occipiunt, ita ut flavescant mares & nigrescant fœminæ, tum à Damire appellatur *girad*, à Remigio & Hieronymo *locusta.*

Comedit rubigo, Rubigo non est animal, sed morbus segetum. Pro eo quod hîc à Vulgato & Græcis interpretibus dicitur *rubigo*, Hebraicè habetur חסיל, *chasil*, quod est locustæ species sic dicta à verbo חסל, *chasal*, *consummare* & *consumere*, quia locusta consumit & perdit omnia. Gravis agitatur quæstio, an quæ de locustis hîc vaticinatur Joël, ad literam sint explicanda? Mysteria enim hîc multi quærunt quasi non veræ locustæ intelligantur, sed Judæorum hostes. Inter utramque sententiam ita fluctuare videtur B. Hieron. ut ad ultimam magis propendeat. Primò enim, *Errucam*, inquit, *quæ Hebraicè gazam, Græcè dicitur κάμπη, Hebræi Assyrios interpretantur, atque Chaldæos, qui de uno orbis climate procedentes tam decem tribuum, quàm duarum, hoc est, Israëlitici populi, cuncta vastârunt. Locustam autem Medos interpretantur & Persas, qui subverso imperio Chaldæorum Judæos habuere captivos. Bruchum, Macedones & omnes Alexandri successores, maximéque Regem Antiochum*

tiochum cognomento Epiphanem, qui instar bruchi sedit in Judæa, & omnes priorum Regum reliquias devoravit, sub quo Machabæorum bella narrantur. Rubiginem referunt ad imperium Romanorum, qui quarti & ultimi in tantum oppressisse Judæos, ut de suis finibus eos pellerent. Idem S. Doctor non ita multò post, *Judæi*, inquit, *putant in diebus Joël tam innumerabilem locustarum super Judæam venisse multitudinem, ut cuncta complerent; & non dicam fruges, sed ne vinearum quidem, & arborum cortices, ramosque dimitterent: ita ut omni viore consumto, aventes arborum rami, & sicca vinearum flagella remanerent. Hoc utrum factum, nescire sit, liquidò affirmare non possumus; neque enim Regum narrat historia, aut Paralipomenon. Quod utique si fuisset, quomodo famem sub Elia trium annorum & sex mensium legimus, nunquam Scriptura tacuisset. Tantùm dicimus quòd sub metaphora locustarum, hostium describatur adventus*, &c. Paulò post quasi inter utramque sententiam ambiguus ait: *Ni fallor, videor mihi in hoc Propheta aliquid reperisse. Narratur impietas hostium sub figura locustarum, & rursum sic de ipsis locustis dicitur, quasi hostibus comparentur: ut, cùm locustas legeris, hostes cogites: cum hostes cogitaveris, redeas ad locustas.* B. Hieronymo videtur assentiri S. Cyrillus Alexand. qui per erucam, locustam, bruchum, & rubiginem intelligit calamitates Judæis illatas à Salmanasar, Nabuchodonosor, Antiocho Illustri, & Romanis. Idem tamen S. Doctor paulò post in versum sextum hujus primi capitis ait: *Verum hoc est, quamvis de locusta forte, ac de brucho & eruca accipiatur.* Theodoret. *Quidam*, inquit, *tropicè ista de Assyriis & Babyloniis interpretati sunt. Erucam quidem Theglaphalasar, locustam verò Salmanasar, Sennacherim autem bruchum appellaverunt, rubiginem denique Nabuchodonosor, qui postremus bellum intulit, funditúsque Judæam universam vastavit, & eos, qui mortem effugerant, captivos abduxit. Ego autem vera hæc quidem esse censeo: existimo autem etiam, quæ ad litteram intelliguntur, revera contigisse.* Chaldæus Paraphrastes litteralem sensum plerunque sequitur. Tamen infrà cap. 2. v. 25. pro quatuor locustarum speciebus *arbe, jelek, chasil* & *gazam*, habet *populos, & linguas, & imperia, & regna vindictæ*, id est, quibus Deus usus est ad ultionem rebellium in populo suo. Ex Rabbinis, Salomon Jarchi, David Kimhi, Aben-Ezra literali sensui mordicùs hærent. Sed Abarbanel his posterior rejecto penitùs literali sensu mysticum à B. Hieronymo allatum sensum unicè amplectitur. Nos cum B. Theodoreto arbitramur à Propheta veras locustas intelligi, quæ populo post prophetiam ejus Judæam devastaverint. Non negaverim tamen, ut idem asserit, per has veras locustas insuper fuisse mysticè adumbratas clades Judæis inferendas ab infensissimis

fensissimis hostibus in Judæam ingruituris; qui hostes non contemtim ut Israëlitæ Num. 13, v. 34. & homines Esa. 40. v. 22. sed numero, & consilio vastandi & perdendi omnia, locustis assimilantur, quomodo suprà diximus Ierem. 51. equites in Babylonem irruituros assimilari locustis horrentibus. Verum qui nonnisi mysticum sensum agnoscunt in dictis à Joële de locustarum in Judæam irruptione, id probare conantur post B. Hieronymum ex silentio Scripturæ. *Si fames & locusta*, inquit Abarbanel quæst. 4. in Joëlem, *tam graves fuerunt, sive in diebus Joram filii Achab, & in diebus Elisæi, aut Manassis tempore, quo in Seder Olam prophetasse dicuntur Joël, Nahum, & Habacuc: Quæritur cur hujus rei nulla fiat mentio in libris Regum? aut si de eo ipso disputatur, cur non meminit Jeremias, qui multa refert non ita magni momenti? Sed neque in libris Paralipomenôn, ubi res prolixiùs narrantur, ullum hac de re verbum occurrit, quod est valdè mirabile.* Quidam cum Theodoreto dicunt calamitatem locustarum à Joële prædictam ut futuram, eandem narrari ut præteritam ab Amos cap. 4. & 7. Sed quàm verè id dicatur non satis scio, cùm Joël & Amos non parum in multis differant. Nam apud Joëlem summa ubique est siccitas, at Amos 4. Deus pluviam alibi dimittit, & parte unâ completâ, altera exaresci t. Ibidem sola locustarum species dicta *gazam*, cum apud Joëlem præter hanc speciem tres aliæ Judæam depopulentur, nec solùm arborum proventum absumant, ut Amos 4. sed & ipsas arbores corrumpant, ac tabefaciant. Populi, quibus Amos 4. objicitur impœnitentia, apud Joëlem ad Deum convertuntur, jejunióque, & precibus Dei misericordiam implorant. Rursus Amos 7. ipse Propheta solus pro Israële intercedens, statim locustas ingruentes avertit, cùm apud Joëlem id nonnisi post plures annos impetrent communibus suffragiis sacerdotes cum universo populo, ipsisque infantulis ab ubere matris pendentibus in domum Dei convocati. Parùm igitur verisimile est eandem cladem ab Amos narrari completam, quam Joël prædixerat futuram, cùm Joël & Amos in tam multis dissideant. Itaque multi aiunt idcirco de gravi locustarum in Judæam irruptione & fame inde secutâ à Joële prædictâ nihil quidquam haberi in his libris Regum & Paralipomenôn, quia Scriptores sacri hoc sibi non proposuerunt, ut referrent historias famis; unde si à capite ad calcem tota Scriptura evolvatur, comperietur nullam unquam famis historiam, nisi obiter referri, & tanquam totius narrationis appendicem. Ita Gen. 12. v. 10. & 26. v. 1. sub Abrahamo & Isaaco recitatur fames oborta in terra Chanaan, ut sciremus quorsum ille in Ægyptum, hic in Palæstinam se contulerit. Septennis fames à Josepho prædicta refertur Gen 41. ut via sternatur ad mirabiles

historias de Josepho, & fratribus ejus, de dura Israëlitarum in Ægypto servitute, ex qua illos asseruit Deus manu forti, & brachio extento. In toto libro Judicum nulla habetur historia de fame, cùm tamen initio libri Ruth narretur Elimelech Bethlehemita in terram Moab secessisse famis occasione, quæ sub Judicibus in Judæa est grassata. Sic quia nos scire intererat, quomodo, familiâ Saülis excisâ, regnum David sit stabilitum, agitur 2 Reg. seu Samuëlis cap. 21. de triennali fame, quæ nonnisi septem viris è Saülis stirpe crucì affixis, sedari potuit. Rursus historiæ famis sub Elia & Elisæo Prophetis referuntur 3 Reg. 18. & 4 Reg. 4. & 8. propter miracula ab ipsis eâdem causâ patrata. Denique Act. 11. v. 28. uno verbo attingitur fames, quæ facta est sub Claudio, ut ab Agabo doceatur fuisse prædicta, & nata inde occasio Christianis Antiochensibus conferendi eleëmosynam fratribus Jerosolymitanis. Præter has novem modò laudatas famis historias obiter, & propter aliud relatas in annorum plusquam quater mille historia, cùm nulla alia legatur in universa Scriptura sacra, non est cur miremur præteritam historiam famis à Joële prædictæ.

5. *Expergiscimini ebrii.* Id est, non tantùm sobrios compello, sed & vos quoque, ô ebrii, quibus prolixior compotatio solet somnum conciliare; ut enim ait Poëta

——áque mero redeunt in pectora sensus.

Flete. Id est, inquit B. Theodoretus, *Convertite intemperantiam, voluptatémque immoderatam in lamenta & ploratus. Non enim vinum bibere, est malum; sed intemperanter bibere, perniciosum.*

Ululate omnes, &c. Q. d. Vos, qui ingurgitatione vestrâ tempus falli, & acerbitatem malorum levari putatis; vos, inquam, plorare & lamentari convenit, quia eo prorsus privabimini, quod voluptatem vobis & lætitiam adferebat.

6. *Gens enim ascendit.* Gens dicitur hîc à Propheta de locustis, quomodo Regum sapientissimus per metaphoram, Proverb. 30. v. 25. *Formicæ, populus infirmus.* Et ibid. v. 26. *Lepusculus*, (Heb. שְׁפַנִּים, id est, ut optimè vertunt Græci Interpretes, Chœrogryllii; Chœrogryllius autem *est animal non majus hericio*, ut loquitur B. Hieron. in Epist. ad Suniam, *habens similitudinem muris & ursi*, in quantum scilicet hoc muris genus instar ursorum incedit bipes, & prioribus pedibus tanquam manibus utitur. *Unde & in Palæstina ἀρκτομῦς dicitur, & magna est in istis regionibus hujus generis abundantia, semperque in cavernis petrarum, & terræ foveis habitare consueverunt.*) *plebs invalida.*

Sic

Sic *gentis* vocabulum de equis, de vitulis, & de ovibus usurpavit Virgilius 3. Georgic. De piscibus 4. Georgic. De apibus ibidem & Æneid. 1. Quod etiam in Columella occurrit lib. 10. cap. 3. 9. & 10. &c. nihilque est hâc metaphorâ apud Græcos & Latinos usitatius. Et ut ceteros omittam brevitatis causâ jam suprà laudatus Pisides in Hexaëmero.

Τίς ἐυσεγλώσσε πλαστὴν ἀκρίδα,
ἢ θηρὸς πτερόεν, ἢς φθορὴν Αἰγυπτίων;

Quis omnigenam locustam instruit, gentem alatam in perniciem Ægyptiorum?

Super terram meam. Deus terram suam vocat, terram populi Israël, quia & populum Israël vocat populum suum.

Dentes ejus, &c. Locustis leonum dentes & molares hîc & Apocal. 9. v. 8. tribuuntur, id est, duri, validi & acuti, *omnia morsu erodentes, & fores quoque tectorum*, ut jam suprà laudavimus ex Plinio. Hanc vim stupendam in tam vili animalculo demirans B. Hieronymus, hîc exclamat: *Quid locustis fortius, quibus humana industria resistere non potest?* Et B. Cyrillus Alexand. *Res est insuperabilis: & prorsus inexpugnabilis est earum impressio, & ad perdendas ruris opes planè sufficit.* Leo Africanus lib. 9. de Locustis: *Arbores ipsas pariter cum frondibus ac fructu esitant.* Porrò passim in sacris Litteris res maximè noxiæ cum leonum dentibus & molaribus conferuntur, ut patet ex hoc & laudato Apocalypsis loco de locustis. Eccli. 21. v. 3. de peccato dicitur, *Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum.* Et cùm tyrannorum potentiam retundit Deus, dicitur molares leonum confringere, aut avellere, ut videre est Job. 4. v. 8. Psal. 57. Heb. 58. v. 7. Quanta autem sit eorum firmitas & duritiei vel hinc colligitur, quòd in quovis animali dentes, præcipuè molares ossa reliqua duritie, firmitate & soliditate longè superant; ossa autem leo habet tam dura, ut ex iis collisis ignis, tanquam ex silice, eliciatur; quod Aristoteles, quamvis id rideat Epicurus in Epistola ab Athenæo laudata lib. 8. cap. 12. ut rem compertissimam asserit subinde, ut lib. 2. de partibus Animalium cap. 6. & 9. &c. Hoc confirmat Ælianus lib. 4. Hist. Animal. cap. 34. qui & addit ossa leonis medullis carere, utpote quæ fistularum modo cava non sunt. Hoc affirmat & Philes.

Ut catuli leonis. Heb. לביא, id est, *leæna*, ut plerunque reddit Hieronymus, adeóque Ezech. 19. v. 2. & 3. disertè sumitur pro leæna, quæ catulos suos lactat. Ita leæna, coptis dicitur λάβοι, Arabibus, *labia*. Habet autem nomen Hebræum

bræum *labi* in plurali terminationem masculinam, ut multa alia nomina fœminini generis, & insuper terminationem fœmininam Nahum 2. v. 13. Nec frustrà *labi* censetur inter leones ferocissimos in Scripturis, cùm leæna robore & feritate leonem æquet, aut etiam superet, ut inter cèteros observat Plutarchus in Tractatu, *Quod bestiæ utantur ratione.*

7. *Posuit vineam*, &c. Vitibus stragem inferunt locustæ, quod de brucho meminit Prudentius in Amartigenia, dum canit:

Aut populata rodit gemmantia germina bruchus,
Aut avibus decerpta feris lacerabitur uva.

Apud Theocritum quoque Idyl. 5. Comata pastor orat locustas, ne vites suas absumant. Tradit Pompeius Vizanius anno Domini CCXXXII. à locustis agros Bononienses fuisse quidem devastatos, majus tamen vitibus, quàm segeti damnum illatum, adeo ut cùm summa esset frumenti penuria, major tamen fuerit vini, ut nuptias sine Baccho celebrarent cives.

Ficum meam decorticavit. Heb. וְתאנתי לקצפה, quod est ad verbum, *& ficum meam in confractionem.* Vox enim קצפה est *confractio*, quomodo hîc redditur ab Hellenistis Scripturæ interpretibus. Hoc patet ëx Arabica lingua, quæ Hebraïca dialectus èst, in qua *katsapha* est frangere, & *alkatsipho* fractus arboris ramus. Porrò arbores à locustis decorticari scribit B. Hieronymus in Oseæ caput 13. *Locusta noxia est in tantum, ut arbores quoque & vineas decorticet.* Et in Joëlis caput 1. *Locustæ in tantum cuncta populantur, ut derodant arborum cortices,* Scaliger in Cardanum Exercit. 192. asserit ex Abyssinorum historiis, à locustis non solùm decorticari arbores, sed & fruticum abscindi truncos, cùm ad aliûs pabuli inopiam deventum est.

Nudans spoliavit èam. Heb. ad verbum, *nudans nudavit eum*, id est, secundum Chaldæum Paraphrastem, *decorticando decorticavit.* Verùm ut nudari dicatur arbor, non est necesse corticem adimi, sed sufficit ut folia, & fructus, vel flores auferantur. Unde Poëta vetus in descriptione quatuor anni tempestatum.

Fronde nemus denudat hyems, amnésque rigescunt.

Theophrastus lib. 4. Historiæ plantarum cap. 16. *Mileti oleas,*

cùm

cùm florent, erucæ erodunt, aliæ frondem, aliæ genere diversæ florem, atque ita ψιλοῦσι τὰ δένδρα *arbores denudant.*

Albi facti sunt rami. Ipse arborum cortex, cùm putrescit. exalbescit. Hinc Theoph. lib. 5. de causis cap. 12. *Alimenti defectu exalbescunt & pereunt arbores.*

8. *Plange quasi virgo.* &c. Id est, ejula, ô Judæa, tenerrimè, gravissiméque, quomodo plangere solet puella nova nupta, dum adolescentem maritum, cui ipsa adhuc virgo nupsit, miserabiliter in thoro mortuum, & exanimem jacentem aspicit. Ita ferè Sanctus Cyrillus Alexand.

Accincta sacco. Saccus & cilicium promiscuè usurpantur passim; sæpiùs saccus sumítur pro eo vili indumento, quod vel despicatissimum, vel subtriste spectantium oculis specimen exhibebat; cilicium verò pro interiori corporis indumento, quod stimulis aculeatis carnem pungit, exarat & triturat, cutem undequaque acutis ex villosa contextura lanceolis feriens. Hujus generis cilicium, quod pluries dicitur saccus cilicinus, Joram Rex Israël carni applicaverat 4 Reg. 6. dum scissis vestimentis à populo est visus. Saccus verò strictè sumtus, prout scilicet à cilicio distinguitur, in mœstitiæ funestæ, dolorísve feralis signum assumebatur, & erat exterius syrma, sive ex vimine, sive ex storea, sive ex alio hispido filamento. *Divite aliquo mortuo*, inquit Chrysost. Homil. 3. ad populum Antiochenum, *non servos solos & ancillas, sed & equos necessarii sacco amicientes, & agasonibus tradentes ad sepulchrum sequi jubent, calamitatis magnitudinem ostentantes.* Hinc proverbij specie dicitur sacco accingi, qui in squalore & sordibus versatur; & è converso, sacco solvi, qui luctu & mœrore levatur.

9. *Periit sacrificium.* Vulgatus interpres hîc & Levit 6. v. 14. sacrificium peculiariter vocat illud sacrificij genus, quod Hebraïcè dicitur מנחה, quam vocem exprimit Latinè vox *fertum*, quod erat genus libi in sacris, ut ait Festus. Hujus ferti pars secundum Legem incendebatur, pars sacerdotibus tradebatur ut videre est Levit, 6. v. 16.

Et libatio. Libamen de vino solebat offerri, ut fertum de simila, id est, de farina mundissima sine fermento.

De domo Domini. Quæ scilicet nondum est excisa, sed adhuc exstat.

Et luxerunt sacerdotes. Q. d. Ideóque luxerunt sacerdotes, scilicet partim quia cessavit sacrificium & libamen, patrim quia deesse cœperunt victui necessaria; nam ex sacrificiis & libami[illegible]s vivebant sacerdotes.

10. *Luxit humus.* Lugere Terra dicitur, ut apud Hebræos quæcunque vastata & desolata sunt, & in deterius mutata,

ut Es. 24. v. 7. *Luxit vindemia, infirmata est vitis.* Thren. 2. v. 8. *Luxitque antemurale.* Eodem tropo confusum dicitur vinum, & oleum languere, quomodo infrà versu duodecimo vinea dicitur confusa, tanquam pudore affecta, quòd hominum expectationi respondere non possit. Sic Es. 33. v. 9. *Luxit, & elanguit terra, confusus est Libanus.* Lugenti terræ opponuntur apud Sallustium Histor. lib. 2 *Frugum pabulique lætus ager,* & apud Poëtam *lætæ segetes,* & quòd prata ridere dicuntur. Hinc & fimus, quo stercorantur agri, vulgò lætamen vocatur teste Servio in lib. 1. Georgic.

11. *Confusi sunt agricolæ,* &c. Est hîc transpositio verborum. Ordo enim est: *Confusi sunt agricolæ super frumento & hordeo quia periit messis agri: ululaverunt vinitores, quia confusa est vinea.* Talis χιασμὸς est Cant. 1. v. 4. Vide ibi Commentarium nostrum.

Super frumento & hordeo. Id est, propter triticum & hordeum.

12. *Ficus elanguit.* Id est, succo suo & fructu spoliata ficus, non ampliùs usum sui præbet.

Omnia ligna agri aruerunt. Arbores tabefacere, & herbam marcidam reddere locustas disertis verbis testatur jam suprà laudatus Pisides in Mundi opificio. *Saliva locustæ,* inquit Damir Arabs, *plantis & arboribus venenum est præsentissimum, ita vt, in quamcunque incidat, eam perdat.* Quod idem post Valeriolam tradit Muffetus Anglus: *Nec solùm morsu segetibus, pascuis, pratis, hortis, pomariisque nocent* locustæ, *sed stercore item nigro, viridi, mordace, gravi, bilioſoque imprimis atque acri salivâ, quam multam ex ore inter vodendum fundunt.*

Confusum est gaudium à filiis hominum. Messe scilicet à locustis perditâ, defecit ac periit unà gaudium, quo homines afficiuntur messis tempore, cùm fructus colligunt. Unde Es. 9. v. 3. *Lætabuntur coram te sicut qui lætantur in messe.*

13. *Accingite vos.* Supple, sacco; lugentes enim accingebant lumbos saccis, ut patet ex 3. Reg. 20. v. 32. Hoc dixit in Vulgata editione Jeremias cap. 4. v. 8. *Accingite vos ciliciis;* ubi cilicium sumitur latè, pro sacco scilicet propriè dicto, quo plangentes induti intuentium oculis prospectabantur, ut videre est Esther 4. v. 2. Jonæ 3. &c. Lib. 4. Esdræ cap. 6. v. 2. legitur, *Præcingite vos saccis & ciliciis.* Vide quæ diximus suprà versu 8. Ut autem placandi Dei gratiâ sacrificia, aut oblationes faciebant Hebræi, hic etiam orandi causâ jejunabant, flebant, saccum induebant, sese cinere conspergebant, humi prosternebant, atque omnino omnes humiliandi corporis rationes exquirebant: idque aut publicè, aut privatim. Publicè jejunium universo populo indicentes: privatim, pro sua quisque pietate id obeuntes. Publicum jejunium ex præcepto Legis unicum erat, die scilicet decimâ septimi

ſeptimi menſis, qui dicitur *Tiſri*, & reſpondet partim Septembri, partim Octobri noſtro, in feſto Expiationum; Unde Joſephus lib. 6. Belli Judaïci: *Die Expiationum jejunare mos fuit cunctis.* Hinc & feſtum Expiationum vocatur *jejunium & dies jejunij* ſine addito. At cùm arbitrium aut neceſſitas ferebat, extra ordinem publicum jejunium indicebatur, cujus exempla videre eſt Judic. 20. v. 26. 1 Reg. 7. v. 6. 2 Paralip. 20. v. 3. 1 Eſdræ 8. v. 21. Judith 4. v. 8. & ſeqq. Jerem. 36. v. 9. 1 Mac. 3. v. 47. 2 Mac. 13. v. 12. Privati jejunij ratio elicitur ex Num. 30. v. 14. 2 Reg. 12. v. 16. 3 Reg. 21. v. 27. 2 Eſdræ 1. v. 4. 4 Eſdræ 5. v. 13. & ſequentibus. Judith 8. v. 6. Quemadmodum verò ſacrificia juſtitiæ & laudis dilexit magis Deus, quàm victimarum & ſanguinis; ſic juſtitiam, ſive charitatem potiorem jejunio habuit, atque omnino cordis contritionem, ſeu perfectam converſionem, quàm corporis afflictionem, ut indicat Joël infrà cap. 2. v. 13. & Eſaias cap. 58. v. 5. & ſeqq. Appoſitè hanc in rem de Ninivitis pœnitentiâ ſuâ flagellum Deo quaſi extorquentibus loquens Chryſoſt. Homil. 3. ad pop. Antioch. ait: *Videamus quid inevitabilem illam iram ſolverit, num jejunium ſolum & ſaccus? Nequaquam; ſed totius vitæ mutatio, quoniam quiſque converſus eſt à viis ſuis malis, pœnituit mali quod dixerat facere ipſis Dominus. Honor enim jejunij non eſt ciborum abſtinentia, ſed peccatorum fuga. Jejunas? Demonſtra mihi per ipſa opera. Qualia, inquis, opera? Si pauperem videris, miſerere: ſi inimicum videris, conciliare: ſi amicum laudabiliter agentem videris, ne invideas; ſi mulierem videris ſpecioſam, præterea. Non enim os tantùm jejunet, ſed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis noſtri membra. Jejunent manus, à rapina & avaritia mundi: jejunent pedes, ad illicita ſpectacula curſum reprimentes: jejunent oculi, diſcentes nunquam formoſis obtutibus inſilire, nec alienas curiosè pulchritudines ſpectare, cibus enim eſt oculorum ſpectatio: jejunet & auris, aurium autem jejunium eſt detractiones & calumnias non ſuſcipere: jejunet quoque os à turpibus verbis & convitio. Quæ enim utilitas, cùm avibus quidem & piſcibus abſtineamus, fratres verò mordeamus & comedamus?*

Plangite Sacerdotes. Ad officium provocantur Sacerdotes hoc verſu, deinde verſu ſequenti jubentur alios provocare.

Miniſtri altaris. Id eſt, qui Deo in altari miniſtratis.

Ingredimini, &c. *Sacerdotes*, inquit B. Gregorius Nazianz Orat. 1. *horratur, ut Templum ingreſſi, atque in cinere & ſaccis, ac perquam demiſsè & abjectè in terram proſtrati, humilitate miſericordiam attrahunt.*

Quoniam interit, &c. Eenè obſervat B. Theodoretus quòd *futura*

futura ut præterita dicere proprium est divinæ Scripturæ; quæ ita facit non solùm ob translationem verborum de linguâ in linguam alteram, sed etiam ad confirmationem eorum quæ dicuntur. Sic enim, inquit, ista verè accident, ut ea tanquam facta cernamus, & tanquam de factis sermonem habeamus.

14. *Sanctificate jejunium.* Hebraïsmus, id est, indicite jejunium, seu, ut vertit Tertullianus in lib. de Jejuniis cap. 16. *Sancite jejunium.* Severianus Gabalorum Episcopus Orat. 1. de creatione Mundi, *Id ita dictum*, inquit, *à Propheta, pro eo quod est, ut jejunium sanctum serveimus.* Elias Cretensis in Orat. 1. Sancti Gregorii Nazianzeni interpretatur, *Instar votivi cujusdam donarii aut sacrificii, verè purum ac sanctum jejunium efficite. Quod quidem tum demum existit, cùm propriæ voluntates, atque ipsæ commotiones, hoc est, ira & libido, compescuntur, cum quibus etiam omnis obtrectatio & mendacium extinguuntur.* Hoc luculentiùs explicat S. Cyrillus Alexand. *Sanctificate jejunium*, inquit, *id est, tanquam anathema, & sacrificium verè sacratissimum, & à reprehensione alienum usurpate jejunium*, &c. Similiter B. Theodoretus. *Sanctificate*, inquit, *posuit pro segregate. Ad hoc enim, inquit, vos segregate, sanctè & purè jejunium peragite.* B. Gregor. Magn. Homil. 16. in Evang. *Illud*, inquit, *jejunium Deus approbat, quod ad ejus oculos manus eleëmosynarum levat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire; ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur*, &c. *Jejunium sanctificare est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Cessent iræ, sopiantur jurgia. Incassùm enim caro atteritur, si à pravis voluptatibus animus non refrænatur, cùm per Prophetam Dominus dicat: Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* Attendant hæc, qui studiosiùs jejunia, quàm charitatem amplectuntur, & cibum faciliùs fastidiunt, quàm peccatum averfantur.

Vocate cœtum. Heb. ad verbum, *proclamate diem interdicti*, quo scilicet omne servile opus interdicitur, ut omnes congregati vacent orationi & rebus divinis. LXX. *Prædicate curationem*, συναγωγὴν, id est, si Hieronymo credimus, jejunium, quo curantur peccata, aut potiùs, ut Tertullianus interpretatur in lib. de Jejuniis cap. 16. *Officia curantia Deum*, quasi dicat, officia ad Dei cultum spectantia. *Unde*, ait idem ibidem, *& qui in idolis comendis, & in aris ornandis, & ad singulas horas saltandis adulantur*, CURATIONEM FACERE *dicuntur.* Hinc fortè & ij, quibus commissa est plebs in his, quæ ad cultum Dei spectant, curanda, nuncupantur CURATI.

Con-

Congregate ſines. Id eſt, non ætate, ſed honore præſtantes; tres enim ordines olim erant in Republica Judaïca, quorum primus erat Sacerdotum; ſecundus, Senum, quos Jeremias ſubinde *Principes* vocat; tertius, Plebis, quæ ab eodem Jeremia dicitur *Populus terræ*, & hîc à Joële intelligitur his vocibus, *omnes habitatores terræ*, id eſt, omne vulgus promiſcuum. *Jam oſtendemus*, inquit diſertiſſimus Judæorum Philo in lib. de his verbis, RESIPUIT NOE, *non ætate, ſed honore præſtantes nominari Seniores. Quis enim verſatus in ſacris Libris ignorat, quòd ille ſapientiſſimus Abraham brevioris ævi, quàm ullus penè omnium Majorum ſuorum inducitur? Illorum tamen, qui diutiſſimè vixerunt, nemo quod ſciam, ſed ſolus hic dicitur Senior. Dicunt igitur ſacra Oracula, quòd Abraham erat Senior, & Dominus benedixit Abrahamo, rebuſque ipſius omnibus. Quod mihi videtur ſubjunctum tunquam cauſa præcedentium, cur Senior dicatur ille Sapiens. Cùm enim à benigno Deo benè afficitur animæ pars rationalis, nec unam modò, ſed omnes benedictionis ſpecies accipit, ſeniliter ſapit, atque ita fit Senior. Sic & cari Deo populi Conſiſtorium, quod cogitur ex decies ſepteno numero,* (ſcilicet præter Præſidem; conſtabat enim hoc Conſiſtorium ſeptuaginta & uno Senatoribus, ſi unus omnium Princeps ceteris hujus ſupremi univerſæ Judææ Senatûs Judicibus annumeretur) *Seniores ſolent nominari. Dicitur enim: Convoca mihi ſeptuaginta viros è Senioribus Iſraël, quos tu ipſe noſti quòd Seniores ſint. Ergò non eos, quos vulgus Senes exiſtimat, quippe curandis ſacris præpoſitos, ſed quos ſolus hic Sapiens novit, Seniorum appellatione dignantur. Quos enim hic reprobaverit, tanquam bonus menſarius, falſum virtutis moretum habentes, juvenili, temerariòque ſunt omnes animo; quos autem commendare voluerit, probati, & juxta prudentiam Seniores cenſendi ſunt.* Hæc Philo. Plura ſi ſcire cupis de hoc Conſiſtorio, quod dicebatur Synedrium Magnum, & non erat niſi unicum in univerſa Judæa, vide Commentarium noſtrum in Matth. 5. v. 21. & 22.

15. *A, a, a, diei.* Heb. אֲהָהּ, effectu naturaliter vox, quâ Hebræi exprimunt animi dolorem ex præſenti miſeria. Q. d. Væ diei, quem certè venturum video, hoc eſt, væ hominibus in illa die!

Dies Domini. Quo ſcilicet Dominus ſedebit tanquam judex, ut in Judæos animadvertat, locuſtarum agmine in eos immiſſo. Eſt autem *dies Domini*, ut Docti rectè obſervârunt genus loquendi forenſe, quaſi dicas judicium Domini, quemodo Apoſtolus 1 Cor. 4. v. 3. diem humanum dixit, quod nos diceremus judicium humanum. Sic loqui Cilices, unde Paulus erat oriundus, ſcribit S. Hieronymus in Epiſt. 151. ad Algaſiam, q. 10.

Quaſi

Quasi vastitas à potente veniet. Q. d. Dies Domini veniet repente, subitò, ex improviso, ut venire solet vastitas à Deo omnipotente importata. Hinc discimus, ut advertit B. Hieronymus, quòd *Omnis afflictio Deo judice dispensetur, qui potens est & animam & corpus perdere in gehennam.*

16. *Perierunt.* Locustis nimirùm nihil intactum relinquentibus.

De domo Dei nostri. Hinc rursus apparet agi à Propheta non de Templo à Chaldæis subverso, ut vult Abarbanel, sed de Templo adhuc stante.

Lætitia & exultatio. Quâ nempe juxta Legis jussum Deut. 12. v. 6. & 7. 16. v. 10. & 11. illi affici solebant, qui sacrificiis & primitiis in Dei Templo oblatis hilares vescebantur, ut videre est 1 Paralip. 29. v. 21. & 22.

17. *Computruerunt jumenta in stercore suo.* Quia videlicet locustæ absumserant herbam & fœnum, quibus jumenta pascerentur. Græcè, *subsultaverunt juvencæ in præsepibus suis*, præ fame corruentes, pedésque ad terram allidentes. Syrus, *dormierunt vitulæ jejunæ in præsepibus suis.* Chaldæus, *effluxerunt dolia vini sub operculis suis.* Hebraïcè, עבשו פרדות תחת מגרפותיהם, in quibus quatuor verbis cùm tria sint, quæ nusquam alibi reperiantur, mirum non est tantum esse in iis vertendis interpretum dissensum, ut vix uspiam occurrat major. Hebræi ea sic reddunt, *putruerunt grana sub glebis suis*, quod est Anglicè, *The grains are rotten under their clods.* Quæ versio videtur maxime genuina. Nam verbum עבש videtur esse idem ac Talmudicis עפש, quod est *putrescere.* Solent quippe apud Hebræos passim litteræ *Beth* & *Pe* inter se permutari. Et פרדות grana verè exponi suadet, quod Syris פרדא est granum. Denique מגרפות esse glebas suadet similitudo vocum גרף, unde מגרפות, & רגב, quarum hæc occurrit Job 38. v. 38. pro gleba. Porrò grana seu semina solent sub glebis putrescere, cùm nimii sunt imbres, & vanescere, cùm nimia est siccitas. Proinde Plinius lib. 10. cap. 24. *Sationem locis humidis celeriùs fieri ratio est, ne semen imbre putrescat: siccis seriùs, ut pluviæ sequantur, ne diu jacens atque non concipiens vanescat.* Itaque si de granis Joëli hîc sermo est, ut volunt Hebræi, non existimandum est ea computruisse ex nimiis imbribus, sed ex summa siccitate, quam ipse Joël mox describit versibus 19. & 20. Quâ siccitate, si strictè & propriè loqui velimus, semina non tam putruisse, quàm vanuisse sunt dicenda.

Confusum est. Id est, defecit.

Horrea. Heb. אוצרות, *conditoria.* Vox אוצר redditur horreum à Chaldæo Paraphraste tum hîc, tum Genes. 41. v. 56. &

& Proverb. v. 10. & à LXX. Ierem. 38. v. 11. *Domus subterraneæ.*

Confusum est triticum. Id est, inquit Petrus à Figueïro Lusitanus celeberrimæ Congregationis Sanctæ Crucis Connimbricensis Canonicus Regularis, *defecit, & deficiendo homines confudit, pudefecit, & spe frustratum est.* Vide quæ de hac loquendi formula diximus suprà v. 10.

18. *Greges armenti.* Græcè βουκόλια βοῶν, *armenta boûm*, quæ à Lucretio lib. 2. vocantur *greges buceriæ.*

19. *Ignis comedit*, &c. Per ignem & flammam significatur à Propheta immodicus æstus siccitate summâ infestans omnia. Sic Ps. 82. v. 15. *Sicut ignis qui comburit sylvam, & sicut flamma comburens montes.* Hæc nimia siccitas, cujus hîc Joël meminit & versu mox sequenti, causa fuit cur locustæ uberiùs provenirent. De iis enim ita Plinius lib. 11. Hist. cap. 28. *Vernis aquis intereunt ova, sicco Vere major proventus.* Et de attelabis Aristoteles lib. 5. Hist. cap. 22. *Eorum ova corrumpuntur Autumnalibus aquis, si multæ sint. At sicco Autumno largior est attelaborum proventus, quia tum similis non est illorum corruptio.* Hinc Tertullianus de Anima cap. 32. *Siccitatibus gaudent locustæ, papiliones, chamæleontes.* Si Possidonio credimus apud Strabonem lib. 17. Geogr. in Libya & Æthiopia, quòd in partibus Septentrionis non pluat, & parvis fluviis irrigentur, propter siccitatem pestis sæpè incidit, lacus cœnosi fiunt, & locustæ abundant. Meminere item Historici infandæ siccitatis per annos ferè quinque, quam locustarum exercitus ingens secutus est anno M. D. LIII. Itaque ut locustarum ova destruantur, ex Valeriola, & Peucero docet Muffetus, in eorum loca primo Vere derivare torrentes, qui totam terræ superficiem, aut maximam ejus partem humectent abundè.

Speciosa deserti. Hæc interpretatur B. Hieronymus, *Aut plana camporum, aut pratorum florentia, aut viventia herbis loca, quæ pascua præbuere jumentis.*

Flamma. Id est, ardor solis torridissimi. Hinc loca ardore solis retorridâ vocantur Jerem. 17. v. 6. חררים, id est, *ardentia*, seu *adusta.* Vulgata additio sensum non verbum reddens, hanc vocem reddit *siccitatem.*

20. *Sed & bestiæ agri.* Supple, graviùs, ardentiúsque sitientes, ut nempe aëa ficca solet imbrem sitire.

Suspexerunt ad te. A quo scilicet sibi necessaria expectant, juxta illud Ps. 103. v. 27. *Omnia à te expectant ut des illis escam in tempore.* Et Ps. 144. v. 15: *Oculi omnium in te sperant Domine, ut des illis escam in tempore opportuno. Illud verò suspexerunt ad te*, inquit B. Theodoretus, *non ut de ratione utentibus dixit, sed ad misericordiam allicere volens Dominum, sic vocavit expressum ab inopia mugitum.*

Advertit

Advertit autem hîc B. Cyrillus quòd Joël *intensissimè Deum precatur, & utiliter, docens minimè apud alium quærendam depulsionem calamitatis, & soli supplicandum illi qui salutem afferre potest, & iratus repellere, quæ habere molestiam consueverunt. Non enim cogitandum hujusmodi mala per se contingere, sed ex ira Divina potiùs inferri, quod nobis universorum Dominus per os alterius Prophetæ indicat: Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus? Haud enim quicquam eorum, quibus civitates & regiones afflinguntur, Deo non immittente evenerit. Servat enim quos vult, & malorum immunes reddit. Suadet igitur Propheta, eorum, quæ nocent, repulsam a Deo petere, opinione illâ procul ejectâ falsorum deorum opem, manum, & auxilium in his rebus sibi esse implorandum.*

CAPUT II.

1. CANITE *tubâ in Sion*, Id est, date signum adventantis locustæ, ut excitetur populus ad pœnitentiam.

Ululate in monte sancto meo. Aliis verbis repetit, quod mox dixerat, *canite tubâ in Sion.* Sic Sion vocatur mons sanctus Dei Psal. 2. v. 6. Hic mons situs erat ad Aquilonem, ut colligitur ex Ps. 43. v. 3. habebátque duos, aut ut alii volunt, tres colles, unde Trijugus appellatur. Primus peculiariter *Sion* dicebatur, secundus *Moria*, in quo erat Templum, unde specialiter vocatur, *mons sanctus Domini*, *mons Domini*, *mons domûs*, id est, Templi, *Domini*; tertius *Acra*. *Tres fuere colles in Urbe*, inquit Josephus lib. 5. de bello Judaïco, *unus, in quo urbs, quam David construxerat, quæ Civitas David vocatur. Alter, in qua erat arx, qui undique declivis erat, & subjectam urbem inferiorem habebat. Tertius humilior, in quo erat Templum.*

Dies Domini. Sic dicitur tempus, quo venturæ sunt locustæ, quia tum reis diem dicet Dominus, & ab eis pœnas reposcet. Vide dicta cap. 1. v. 15.

2. *Dies tenebrarum & caliginis.* Ut lux res secundas, ita tenebræ in Scripturis adversas notant. Idem significatur aliis verbis per diem nubis & turbinis.

Quasi mane expansum. Ut significet propheta locustarum cladem & latè & citò diffundendam, confert eam cum aurora super montes

montes expansa; auroræ enim lumen ubique spargitur puncto temporis. Eodem sensu dixit Esaias cap. 58. v. 8. *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum:* Nempe, *in fulguris modum à Deo cum impetu & cursu dimissum,* ait ibi B. Cyrillus Alexandrinus.

Super montes. Mane dicitur expansum super montes, quia lux in montibus primùm apparet, unde illud Virgilii Æneid. 12.

Postera vix summos spargebat lumine montes.

Populus multus & fortis. Ut suprà cap. 1. v. 6. locustarum multitudinem vocavit Propheta gentem fortem & innumerabilem, ita hîc vocat populum multum & fortem: quæ metaphora loco laudato explicata est.

Similis ei, &c. Negat harum locustarum multitudinem similem in Judæa unquam extitisse, aut extituram esse. Vide quæ diximus suprà cap. 1. v. 2.

3. *Ante faciem ejus ignis vorans,* &c. Sunt qui locustas ipsas cum igne & flamma conferri volunt hîc; & suprà cap. 1. v. 19. & 20. quia autore Plinio Hist. nat. lib. 10. cap. 29. *Multa contactu adurunt.* Unde est quod in S. Aphraatis Anachoretæ vita B. Theodoretus Hist. lib. 4. cap. 24. locustas describit *ignis instar omnia consumentes.* Itaque locustas Grammatici dici volunt à locis ustis. Verùm locustam à locutione appellatam evincere videtur quòd tam loquax sit, quàm cicada, quæ passim adhibetur ut loquacitatis symbolum. Unde Meleager Poëta Græcus locustis tribuit loquaces alas, quasi locusta ipsis loquatur alis, & ut videre est apud Hesychium ἀπὸ τῆς ἀκρίδων, à locustis formatum verbum κατακριδεύειν, quasi *locustare* dixeris, quod significat loquacitatem à aliquem obtundere. Itaque tam hîc, quàm suprà cap. 1. v. 19. & 20. per ignem & flammam putamus summam siccitatem designari; unde mens horum verborum, *ante faciem ejus ignis vorans,* eadem esse videtur, ac si diceretur, Ante adventum innumerabilis locustarum populi præcedet nimia siccitas.

Post eum exurens flamma. Id est post discessum ejusdem locustarum populi non minor erit siccitas. Sic Zachariæ 7. v. 14. *Terra desolata est ab eis,* seu, ut alii vertunt, *post eos* id est, ab eorum recessu, seu post eorum migrationem.

Quasi hortus voluptatis terra coram eo. Id est, dum advenit ingens locustarum multitudo, Judæam invenit amœnam, & cultam ad instar horti voluptatis consiti à Deo in prima mundi conditione.

Post eum. Id est, post ipsius recessum.

Neque est qui effugiat eum. Q. d. Omnia sic absument locustæ, ut nihil planè sit residuum.

4. *Quasi*

4. *Quasi aspectus equorum*, &c. Sic Apoc. 9. v. 7. Locustæ describuntur *similes equis paratis in prælium*. Hoc doctissimus Drusius refert ad ferocitatem in aspectu, & velocitatem in cursu; at erudissimus Bochartus hoc refert insuper ad caput, aut faciem equinæ non absimilem, à qua locustæ ab Italis vocantur *cavalette*. Hinc Albertus Magnus de Animalibus lib. 25. *Caput habens figuram equi*. Et Ulysses Aldrovandus nuperus Scriptor, *Equinum quodammodo caput habent*. Et multò ante hos autores hoc in præsentem Joëlis versum Theodoretus adnotavit his verbis: *Locustæ caput si quis attentè consideret, id equi capiti reperiet valdè simile*. Muhammiuddin Assathuriensis apud Arabes Poëta non incelebris, *Habent*, inquit, *locustæ femur camelorum, crura struthionis, alas aquilæ, pectus leonis. Cauda iis ut viperarum terræ, & decorant eas equorum species in capite & ore*. Et alius Arabs apud Damirem, *In locusta quamlibèt infirma, est decem magnorum animalium natura*. 1. *facies equi*. 2. *oculi elephantis*. 3. *collum tauri*. 4. *cornua cervi*. 5. *pectus leonis*. 6. *venter melainaëti*. 7. *alæ aquilæ*, scilicet alterius speciei. 8. *femora cameli*. 9. *pedes struthionis*. 10. *Cauda serpentis*. Abarbanel anxiè disquirit, quorsum Assyrii, de quibus Joëlem vult hîc agere, cum equis aut equitibus conferantur. Et modò equorum nomine Centauros intelligit, quibus similes fuerint Chaldæorum equites: modò illorum pedites veris equis, proceritate, viribus, & celeritate similes fuisse contendit. Quæ quàm absurda sint nemo non videt. Centaurorum hîc neque vola, neque manus apparet, nec quisquam sanus crediderit Chaldæos à Propheta dici similes animali, quod nusquam est. Pedites autem cum equitibus conferri novum est & inauditum. Denique quis dixerit Assyrios fuisse quasi equites, cùm reverà equites fuerint, iique magno numero, ut videre est Ezech. 23. v. 6, 12, & 23. 26. v. 7, 10, & 11. Nahum 3. v. 2. Habac. 1. v. 8. &c.

5. *Sicut sonitus quadrigarum*, &c. Hoc locustis prorsus convenit, quæ magno strepitu volant, & in agros decidunt, & segetes dentibus commolunt. Hinc Joannes de locustis Apoc. 9. v. 9. *Vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum*. Plin. Hist. nat lib. 11. cap. 29. *Tanto volant pennarum stridore, ut aliæ alites credantur*. Remigius Altissiodorensis in præsentem Joëlis locum, ait, *Magnum sonitum faciunt, quando mittuntur; in tantum, ut à sexto milliari possit audiri sonitus earum*. B. Cyrillus Alexand. *Eas non citra strepitum in agros decidere aiunt: sed & tenuem quemdam sonum dentibus edere, dum prostratas fruges mandendo comminuunt, tanquam venti flammam agitantis*. Præterea locustis propria

vox

vox tribuitur. Proinde Philosophus In Mirabilibus ait, quòd *locusta in scorpionem depugnans, circa illum circumiens stridet.* Ab Æliano lib. 6. Hist. animal. cap. 19. locusta dicitur bombilare. Fatendum tamen vocem locustarum incertæ esse originis; Plinius loco suprà laudato ait: *Vox earum proficisci videtur ab occipitio: eo loco in commissura scapularum habere quasi dentes existimantur, eósque inter se terendo, quasi stridorem edere circa duo æquinoctia, sicut cicadæ circa solstitium.* Sed idem cap. 51. ait locustas credi sonum edere pennarum & femorum attritu. Poëtæ ad alas hanc qualemcunque locustarum vocem referunt; Philosophus lib. 4. Hist. animal. cap. 9. ad crurum posteriorum attritum. Quamvis autem nihil sit elegantiæ in voce locustæ, sicut nec in voce cicadæ, utramque tamen passim à cantu laudant Poëtæ Græci, quorum verba vide apud doctissimum Bochartum tom. 2. de Animalibus Scripturæ lib. 4. cap. 5.

Velut populus fortis, &c. Transiens Propheta à locustarum voce & sonitu ad earum militarem ordinem, eas non dicit populum, sed velut populum indicans se metaphoricè locutum, ubi suprà earum copias gentem & populum vocavit, quæ reverà non sunt gens & populus, sed *velut populus fortis præparatus*, Heb. ordinatus, *ad prælium.*

6. *A facie ejus cruciabuntur populi.* Meritò quidem, ut enim ait B. Hieronymus, *Quid locustis innumerabilius & fortius, quibus humana industria resistere non potest?* Et B. Cyrillus Alexand. *Est innumerabilis, & hominibus prorsus insuperabilis, bruchi & locustæ irruptio.*

Omnes vultus redigentur in ollam. Id est, in nigrorem ollæ. Quasi diceret, omnes ollæ instar atri erunt, non secus ac si mors ipsa ob oculos versaretur. Morientis enim vultus ex metu nigrescit, & atritate repletur. Sic Jeremias Thren. v. 10. *Pellis nostra quasi clibanus exusta est.*

7. *Sicut fortes current.* Id est, strenuorum instar militum locustæ in cursu pugnabunt. Locustarum pugnandi modum ita describit Georgius Pisides in Hexaëmero: *Telum volatile ad metum excitandum, sagittam nubilam ab incerto sagittario* (emissam) *lanceam paratam, hastam per se mobilem, frequentem phalangem, ensem mille acierum, desultorium instabilis pugnæ propugnaculum. Neque enim stat, sed currens ferit, serpens devastat, & volans tumultuatur. Videtur autem fugere, & statim recurrens manet.* Verba Græca sunt,

Τὸ πτυνὸν ὅπλον εἰς ἀνάμνησιν φόβου,
Βέλος νεφῶδες ἐξ ἀδήλου τοξότου,

λόγχην ἑτοίμην, αὐτοκίνητον δόμυ.
Πυκνὴν φάλαγγα, μυριόστομον ξίφος,
Πηδητικὴν ἔπαλξιν ἀστάτου μάχης·
Οὐχ ἵσταται γὰρ, ἀλλὰ πλήττει, καὶ τρέχει,
Ἔρπουσα πορθεῖ. καὶ κλονεῖ πτερουμένη·
Δοκεῖ δὲ φεύγειν, καὶ παλίνδρομος μένει·

Viri. Hebraïsmus, id est, singuli. Q. d. Locustæ quæque.

In viis suis gradientur, &c. B. Hieron. *Hoc nuper*, inquit, *in hac provincia Palæstinæ vidimus. Cùm enim locustarum agmina venirent, & aërem, qui inter cælum & terram est, occuparent, tanto ordine ex dispositione Dei jubentis volitant, ut instar tesserularum, quæ in pavimentis artificis finguntur manu, suum locum teneant, & ne puncto quidem, ut ita dicam, unguéve transverso declinent ad alteram.* B. Theodoretus, *Locustas*, ait, *videre est hostium instar conscendere, & per vias incedere: nec ullâ vi se divelli patientes, sed tanquam mutuâ quâdam conspiratione impetum facientes.* B. Cyrillus Alexand. *Aiunt eas ordine ire, & quasi per acies volare, miniméque sejungi, & tanquam sorores se mutuò subsequi, mutuum illis amorem naturâ dispensante.* Quamvis autem locustæ non habeant apum instar Regem tacito consensu electum, ut patet ex Proverb. 30. v. 27. tamen cùm quælibet, prout sors tulit, prima migrat quæ demergit, seu diversatur, id est, in agrum descendit, ut ibi figat sedes ad tempus, sequuntur universæ, & pariter migrant, vel diversantur, ut docent Arabes apud Damirem. Huc maximè pertinet quod ab Arabico verbo *nadama*, quod certâ serie jungere & connectere significat, quomodo in monili margaritas, locustarum agmen dicitur *mandoum* teste Alcamo Lexicographo Arabe. Proinde Sigebertus de locustarum multitudine, quæ Galliam vastavit anno DCCC. LXXIV. *Quod mirum est dictu, tanto ordine volitavit, præmissis ducibus, qui castra metarentur, ut militaris disciplina in iis animalibus cerneretur.*

8. *Per fenestras cadent, & non demolientur.* Alii vertunt ex Hebræo, *etiam in ensem ruentes non sauciabuntur.* Hæc versio magis videtur quadrare ad litteram Hebraïcam. Reliqua animalia viso homine fugiunt, sed hæc hominem ultrò impetunt. Proinde, cùm locustarum nubes ingruit, omnes in ædibus latent, ut observat Democritus in Geoponicis lib. 13. ne, si prodeant, eas provocent. Nec est quòd armis intentatis has abigi posse speres. Feruntur enim cœco impetu, neque enses timent, aut iis facilè sauciantur. Suâ scilicet levitate, & corpusculi tenuitate quosvis ictus eludunt. Præterea ut à Claudiano rectè animadversum,

——*cogna-*

———cognatus dorso durescit amictus,
Armavit Natura cutem.

Unde Joannes de locustis ait Apocal. 9. v. 9. *Habebant loricas, sicut loricas ferreas.*

9. *Urbem ingredientur.* Usus est Joël Hebraïcè verbo שׁוּר à nomine שׁוֹר, quod crus significat, deducto, ut significantiùs exprimat continuum locustarum gressum; ita enim locustæ gradiuntur, ut non possint averti. Nam, quicquid agas, locustæ pergunt, ac nisi faturæ recedunt.

In muro current, &c. Sic & Moyses de locustis Ægyptiis dicit Pharaoni Exod. 10. v. 6. *Implebunt domus tuas, & servorum tuorum, & omnium Ægyptiorum.* Hinc B. Hieronymus. *Nihil locustis invium est, cùm & agros, & sata, & arbores, & urbes, & domos, & cubiculorum secreta penetrent.* B. Cyrillus Alexand. in hunc Joëlis locum ait: *In ipsas ædes, & urbes ingressum, & atrociter turbantem locustarum exercitum sustinebunt.* B. Theodoretus hîc quoque ait: *Non sufficit murorum altitudo ad illorum hostium ingressum prohibendum. Muros enim facilè transcendent, & furum instar, per fenestras in domos ingredientur. Quòd non solùm ab hostibus, sed etiam à locustis sæpè factum vidimus. Non solùm enim volando, sed & ad muros irrependo, per fenestras in domos penetrant.* Jam suprà quoque ex Plinio didicimus locustas ad domos accedere, morsúque omnia erodere, ne ipsis quidem tectorum foribus exceptis. Sic Hieronymus Mercurialis pestis Venetæ ac Patavinæ signum ponit, quòd per vias ac parietes multi apparuissent bruchi. Damir Arabs plures collegit historias locustarum in mensam decidere visarum, unde liquidò constat eas in Arabum ædes penetrare.

10. *A facie ejus,* Hebraïsmus, id est, ante eum. Hoc Hebræi aliter dicunt, *ante faciem ejus*, locustarum scilicet populi.

Contremuit terra, &c. Sunt, qui terræ motus, tonitrua & eclipses hîc intelligunt. Sed B. Hieronymus hæc dici hyperbolicè sentit, *Non quòd locustarum tanta vis sit, ut possint movere, cælos, & terram concutere; sed quòd adversa patientibus præ terroris magnitudine cælum ruere, & terra fluctuare videatur.* Idem tamen quæ hîc habentur de sole, luna, & stellis, tanquam propriè dicta sic exponit: *Præ multitudine locustarum obtegentium cælum, sol & luna convertentur in tenebras, & stellæ retrahent lumen suum: dum lumen in medio nubes posita locustarum ad terram non finit pervenire.* Ita etiam Remigius in hunc locum, *Suâ densitate & multitudine radios solis solent repellere à*

terra, & quasi nubes obumbrare. Quod in Ægypto accidisse scribunt Onkelos in paraphrasi Chaldæa Exod. 10. v. 15. Historia Saracenica paginâ 98. Eutychius Alexandrinus Patriarcha tom. 2. Annal. pag. 518. Ita locustas Plinius solem obumbrare scribit, & Aloysius Cadamustus cap. 13. Navigationum, eas cœlum obscurare & inumbrare in desertis prope Nigritas. Thuanus in lib. 54. de locustis in Syria, *Densæ nubis instar*, inquit, *die in media luce obscurato, volitantes agrum circumquaque depastæ sunt.* Hinc Marcellus Palingenius Stellatus in Zodiaco vitæ lib. 8. in Scorpio sub finem.

Quid memorem visæ cælo miracula flammæ
Vincentis splendore diem, Tristéque locustas
In morem nebulæ nitidum prætexere solem,
Et teneras avido segetes abrodere morsu?

Atque eò pertinent duo Hebræa locustarum nomina, חָגָב, & צְלָצַל, quorum hoc ab umbra sumtum ait Bochartus, illud à velo, quod soli obtenditur. Arabicè enim velum dicitur *chigab* Mat. 27. v. 51. Et Heb. 10. v. 19. Et *chagib* dicitur janitor Gen. 43. v. 16. & 19. editionis Parisiensis, quia januam claudens ei quasi velum obtendit. Quin ob id ipsum Joël dicit coram locustis moveri cœlos, id est, *calorum virtutes*, ut loquitur Matthæus cap. 24. v. 29. cùm enim præcipua cœli virtus sit in lumine, quo nobis illucescit: quidni eo prohibito, atque, ut sic dicam, extincto; moveri dicatur cœli virtus, adeóque ipsum cœlum? Moveri autem terra dicitur, cùm homines terræ incolæ gravi metu, aut subitâ & improvisâ calamitate concutiuntur. Cujus locutionis exempla in Scriptura passim suppetunt. Si quis objiciat præsentem Joëlis versum non posse referri ad locustas, quia nunquam lunam & stellas obscurant, cùm non volent, nisi interdiu; regeremus cum Plinio à priscis Scriptoribus traditum fuisse locustas non volare noctibus propter frigora, quia ignorabant etiam longinqua maria ab iis transiri, continuâ pluvium dierum fame.

11. *Dominus dedit vocem suam,* &c. Id est, Dominus verbo suo multas conscripsit locustarum copias, ut grave in peccatores judicium exerceat, quódque nemo sustinere possit. Unde est quod locustas Deus vocat exercitum suum, & infrà v. 25. fortitudinem suam magnam. Et Amos 7. v. 1. Deus dicitur *fictor locustæ*, quia non sine speciali Dei providentia accidit, cùm locustæ præter solitum fœcundæ sunt, atque in immensum multiplicantur. Itaque minarum divinæ Legis hæc una est Deut. 28. v. 38. *Sementem multam jacies in terram & modicum congregabis,*

gregabis, quia locustæ devorabunt omnia. Proinde sic loquitur Deus 2 Paralip. 7. v. 13. *Si mandavero & præcepero locustæ ut devoret terram.* Psal. 77. v. 46. Deus dicitur labores Ægyptiorum dedisse locustæ. Et Psal. 104. v. 34. *Dixit* Deus, *& venit locusta, & bruchus, cujus non erat numerus.* Hinc locustas non solùm Hebræi, sed & Arabes appellant Dei exercitum. Sic in Damire lex citatur à Mahumete sancita, & promulgata, *Locustas non occidetis, quia sunt exercitus Dei maximi.* Fabulantur Mahumetani Deum finxisse locustas ex eodem illo luto, ex quo formaverat Adamum, ad earum formationem insumendo portionem ejusdem luti, quæ supererat postquam ex eo formatus erat Adamus. Fabulatur Ibno-omar inter manus Mahumetis cecidisse locustas cum hac inscriptione in alis & in tergo, *Nos sumus exercitus Dei maximi.* Fabulantur eodem Pseudo-propheta sedente ad mensam cum Abdulla, locustam cecidisse cum hac inscriptione in tergo & alis, *Ego sum Deus, neque ullus est præter me locustarum Dominum. qui eas alo, & cùm libet, immitto ut sint esca populis; sed & cùm libet, immitto ut sint eisdem plaga.* Unde Poëta Arabs Anonymus de locustis, *Laus illi sit, qui perdit robustum cibum,* (id est, SEGETES, unde panis,) *per infirmum comedonem,* hoc est, per locustam. Neque aliud sibi volunt hæc Plinii, *Deorum pestis ea intelligitur*, & vota, & sacrificia ab Ethnicis Diis suis oblata ad hoc malum avertendum. Sic Cassii montis incolas, cùm fruges eorum locustæ vastabant, Selevcidum avium adventum à Jove precibus impetrasse, à quibus absumerentur, testatur Plinius lib. 10. Hist. nat. cap. 27. Quod idem ab Apolline in Sarpedonio Templo petiisse Ciliciæ Seleucienses legas apud Zozimum lib. 1. Et Athenis Apollo dictus est *Parnopius* à locustis pulsis, ut habetur in Pausaniæ Atticis. Sic in Oëta Hercules dictus est *Cornopion* teste Strabone lib. 13. Quæ omnia notanda sunt in Arnobium, qui hujusmodi animalcula negavit esse Dei opus, & professus est se nescire à quo condita fuerint. *Non*, inquit lib. 2. *si negemus muscas, scarabæos, cimices, nitedulas, curculiones, & tineas omnipotentis esse opus Regis, sequaciter à nobis postulandum est, ut, quis ea fecerit, instituerit que, dicamus. Possimus enim nulla cum reprehensione nescire quis & illis originem dederit, & obtinere non esse à Deo superiore prolata tam superflua, tam vana, tam ad nullas pertinentia rationes.* Hæc Arnobius hausisse videtur ex Marcionistarum lacunis, qui sic loquuntur apud Tertullianum lib. 2. adversus Marcionem: *Sufficit unicum hoc opus Deo nostro, quòd hominem liberavit summâ & præcipuâ bonitate suâ, & omnibus locustis antecommuni*, id est, omnium locustarum creationi, quam Deo affingitis. Hinc B. Hieron. in proœmio in Epistolam ad Philemonem, *Quòd si non putant*

tant eorum esse parva, quorum & magna sunt; alterum mihi conditorem, juxta Valentium, Marcionem & Apellem, formicæ, vermium, culicum, locustarum; alterum cæli, terræ, maris, & Angelorum debent introducere.

Magnus enim dies, &c. Rabbi Moses in More Nevochim p. 2. cap. 29. *Scias*, inquit, *omnem diem, quo Deus singularem & extraordinariam liberationem vel pœnam immittit, vocari diem Domini magnum & terribilem.* Verùm antonomasticè sic dicitur vulgò dies extremi judicii, quo Deus omnia scelera debito, congruóque supplicio mulctabit. Unde ut monet B. Gregorius Homil. 4. in Evang. *Sic præsentis vitæ agenda est lætitia, ut nunquam amaritudo sequentis judicii recedat à memoria, quatenùs dum mens pavida extremæ ultionis timore transfigitur, quantùm nunc præsens lætitia, tantùm pòst ira subsequens temperetur. Hinc namque scriptum est, Beatus homo qui semper est pavidus, qui verò mentis est duræ corruet in malum: Sequentis enim ira judicii tantùm tunc districtiùs portabitur, quantò & nunc, & inter culpas minimè timetur.*

12. *Nunc ergo.* Q. d. Cùm immineat divina ultio, ne tardetis converti ad Dominum, nec pœnitentiam de die in diem differatis, sed citra ullam moram facite fructus dignos pœnitentiæ. Præclare S. Fulg. de fide ad Petrum cap. 3. *Nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutiùs remanere peccatis, cùm etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutiùs ægrotare. Tales enim, qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præveniuntur repentino Dei furore, ut nec conversionis tempus, nec beneficium remissionis inveniant. Ideò unumquemque nostrùm sacra Scriptura præmonet, dicens: Ne tardaveris converti ad Deum, & ne differas de die in diem, subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ dispendet te. Quis viperam*, inquit Cornelius à Lapide in Eccl. 4. *lethiferam manu ferat, & non statim excutiat? Quis pestem in corpore alat? Quis hostem capitalem intra mœnia ferat? Quis cadaver vermibus horridum domi toleret? Quis dæmonem in mente gestet? Peccatum lethale est vipera, est pestis, est hostis, est cadaver, est dæmon: Illicò ergo ut illud sentis, totis viribus pœnitendo excutias.*

Convertimini ad me in toto corde vestro. Hebraismus, id est, perfecto & sincero corde, sine hypocrisi. Præclarè B. Bernardus Serm. 2. de Quadragesima, *Attende solerter quid diligas, quid metuas: unde gaudeas vel contristeris: & sub habitu religionis animum secularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, & de his accipiendum puto quod dicitur, ut in toto corde tuo convertaris ad Dominum,*

rum. Convertatur proinde amor tuus, ut nihil omnium diligas, nisi ipsum, aut certè propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic & gaudium tuum, & tristitia æquè convertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si nonnisi secundum eum doleas, aut lætèris.

In jejunio, & in fletu, & in planctu. Id est, Hieronymo interprete, *animum pœnitentem jejunio, & fletu, & planctibus indicate, ut nunc jejunantes postea satiemini, nunc flentes postea rideatis, nunc plangentes postea consolemini.*

13. *Scindite corda vestra.* Sciliet, *ut Dei timor ingrediatur*, inquit Cyrillus.

Et non vestimenta vestra. Non prohibetur scissio vestium, nisi quando ei non respondet cordis contritio. Itaque sensus est: Nolite scindere solùm vestimenta, sed etiam corda, ut placeatis Deo, qui magis oblectatur cordis contritione, quàm vestium scissione. Scissionem enim vestium in signum detestationis interioris non displicuisse Deo, vel ex eo potest intelligi, quòd etiam post Christi Adventum Apostoli hac ceremoniâ usi fuisse inveniuntur, Act. 14.

Convertimini ad Dominum Deum nostrum, &c. Præclarè B. Theodoretus, *Hoc est, cogitationes compunctionis mente versate, & animi pervicaciam emollite, & salutaria capite consilia, nequitiæque viâ relictâ, ad Deum compendio perducentem viam ingredimini. Nam misericordiæ & miserationis multi apud eum fontes exsiliunt, & patientiâ utens novit minas reipsâ non exequi.*

Quia benignus, &c. Q. d. *Ne desperetis veniam scelerum magnitudine, quia magna peccata magna delebit misericordia. Est enim benignus, & misericors, malens pœnitentiam peccatorum, quàm mortem. Patiens & multus in misericordia: qui non humanam imitatur impatientiam, sed longo tempore præstolatur pœnitentiam. Et præstabilis, sive pœnitens super malitia: ut si nos egerimus super peccatis pœnitentiam, & ipsum pœniteat comminationis suæ, & mala, quæ comminatus est, non inferat, nostræque commutatione sententia & ipse mutetur. Malitiam autem in hoc loco non contrariam virtuti debemus accipere, sed afflictionem, juxta illud quod alibi legimus, Sufficit diei malitia sua. Et, Si est in civitate malitia, quam non fecerit Dominus.* B. Hieron. *Neque tamen*, ut præclarè pro more B. Theodoretus, *Deus nunc hoc, nunc illud vult, neque similiter ut nos, eum pœnitet eorum quæ facit, sed etiam dum minatur, habet apud se misericordiam, quam his quos peccasse pœnitet largitur, cum rursus bona promittit, non ignorat qui boni sint, quive donis suis indigni: & illis quidem dona præbet, his verò contrà quam pollicetur impertit. Promissionibus enim & mi-*

nis ad utilitatem hominum uti solet: ut hos metuentes, illas exoptantes, honestam vitam consectentur.

14. *Quis scit si convertatur*, &c. Dubitantis particulam adjecit Propheta, cùm ad notandum humanitùs rei difficultatem, tum ad erigendos audientium animos in spem solius misericordiæ Dei, quem ineffabiliter novimus esse clementem, quamvis profundum sapientiæ & scientiæ ipsius ignorantes optare potiùs, quàm præsumere debeamus. Hunc versum sic interpretatur B. Theodoretus, *Verisimile est, minis sine effectu relictis, Deum solitâ nos bonorum copiâ cumulaturum, ut & solitum altari cultum efferamus.* Porrò eodem sensu Deus dicitur converti, quo ipsum pœnitere in Scripturis legimus. Ut autem advertit B. August. lib. 7. de Civit. Dei cap. 7. *Ubi legitur, quòd pœniteat Deum mutatio rerum significatur, immutabili præscientiâ manente divinâ. Ubi ergo non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur.* Similiter *Deus irascitur secundum Scripturas*, ait idem S. Doctor lib. 9. de Civit. Dei cap. 3. *nec tamen ullâ passione turbatur, hoc enim verbum vindictæ usurpavit effectus, non illius turbulentus affectus.* Verùm ut idem observat Ecclesiarum Magister Serm. 40. de tempore, *Ad ista verba salubriter Scriptura descendit, quæ & tu exhortes, ut nec illa quæ magna putas, dignè dicta arbitreris: atque ita si quæras quid ergo de Deo dignè dicitur, aliquis fortassis tibi respondeat & dicat, quia justus est. Alius autem ipso melius intelligens, etiam hoc verbum dicat superari ab illius excellentia, & indignè de illo etiam hoc dici, quamvis congruenter secundum humanam capacitatem dicatur: ut ille cùm de Scripturis probare voluerit, quia scriptum est, Justus Dominus: rectè illi respondeat in eisdem Scripturis positum esse, quia pœnitet Deum: ut quomodo justus non accipit secundum consuetudinem loquentium, sicut solent homines pœnitere. Sic & illud quod dicitur* JUSTUS, *supereminentiæ ipsius non competere intelligat: quamvis hoc Scriptura benè posuerit, ut per qualiacunque verba gradatim animus ad id quod dici non potest perducatur. Justum quidem Deum dicis, sed intelige aliquid ultra justitiam, quam soles & de homine cogitare. Sed Scriptura justum dixerunt, propterea & pœnitentem dixerunt, & nescientem, quod jam non vis dicere. Quomodo ergo illa, quæ jam exhorres intelligis propter infirmitatem tuam dicta, sic & ista, quæ magni pensus pro aliqua infirmitate validiore dicta sunt. Qui autem & ista transire nescit, & de Deo, quantùm homini conceditur, dignè cogitare cœperit, inveniet silentium ineffabili cordis voce laudandum.* Hinc B. Gregorius Magnus 20. Moral. cap. 22. *Pene omne quod de Deo dicitur, eo ipso jam indignum est, quod potuit dici. Nam cujus laudi rea sufficit obstupescens conscientia, quomodò sufficiet loquens lingua?*

Et

Et relinquat post se. Id est, post suam vindictam per locustarum exercitum à se immissum.

Benedictionem, Id est, B Theodoreto interprete, *bonorum suppeditationem.*

Sacrificium, &c. Q. d. Ut ex illa bonorum suppeditatione, seu frugum omnium copiâ ipsi Deo in gratiarum actionem sacrificium farinaceum, Heb. *minchah,* & libamen vini, Heb. נסך *nesech,* crebrò & largè offerre possis.

15. *Canite tubâ,* &c. Id est, tubæ sono jejunium indicite, & omnes ad publicam supplicationem convocate in Sion. *Plenissima peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ una est oratio, & una confessio. Si enim duorum vel trium Sanctorum pio consensui, omnia quæ poposcerit, Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi unam observationem pariter exequenti, & per unum spiritum concorditer supplicanti?* B. Leo Serm. 3. de Jejunio Septimi mensis cap. 2. *Publicâ omnium oratione, quasi manu factâ expostulamus, & vim facimus Deo, sed hæc vis grata est Deo,* inquit Tertullianus in Apologetico. Sic apud Gentiles, *Cùm stupet cælum, & ater annus, nudipedalia denuntiantur: Magistratus purpuras ponunt, fasces retrò avertunt, preces indigitant, hostias instaurant.* Tertullianus lib. de Jejuniis cap. 16.

16. *Congregate populum,* &c. Id est, B. Theodoreto interprete, *In jejunio & Divino cultu omnem populum congregate, ut omnis Ecclesia studiosè det operam pœnitentiæ. Majores autem natu præeant, omnisque ætas intersit, ne infantibus quidem lactentibus exceptis. Et qui nuper etiam sponsale jugum subierunt, nuptialibus conviviis relictis, simul cum reliquo populo pœnitentiæ lacrymas profundant. Sacerdotum autem collegium ad templi fores, & altare quod est præ foribus ejus, lugens & ejulans universorum Deum placare studeat his verbis: Parce Domine,* &c.

17. *Inter vestibulum & altare.* His verbis significatur locus, ubi sacerdotes rem faciebant divinam, qui erat ad introitum Sancti, seu, ut dicitur Ezech. 8. v. 16. *in ostio Templi Domini*; populus autem foris orabat in atrio exteriore, ut patet ex Luc. 1. v. 10. Arias Montanus putat hunc ipsum locum, de quo hîc loquitur Joël Propheta, vocari à Christo Matt. 23. v. 35. *Inter Templum & altare.*

Ne des hereditatem tuam. Id est, populum tuum, de quo dixisti Exod. 19. v. 5. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis,* & Deuter. 32. v. 9. *Pars autem Domini populus ejus: Jacob funiculus hereditatis ejus.* Dicitur autem Dei hereditas populus Israël, tùm quia curæ Deo erat, non secus ac patrimonium, quod alicui hereditate obvenit; tum quia peculiariter ab eo in possessionem

onem libertatis restitutus erat. Non malè etiam exponas *hereditatem tuam* heredes tuos, ut Israëlitæ dicantur heredes ratione terræ Chanaan sibi à Deo quasi hereditario jure in possessionem traditæ. Hoc modo loquendi *captivitas* pro captivis ipsis ponitur.

Ut dominentur eis nationes. Id est, ut fame coacti cogantur sese dedere Gentibus, aut ad eas transfugere annonæ causâ, quemadmodum ab Elimelech Bethlehemita Noëmi marito factum legimus in historia Ruth.

Quare dicunt, &c. Sensus est idem ac si diceret, Ne si fame coacti gentibus subderentur, ipsæ nomen tuum blasphement dicentes, Deus Israël populum deseruit, aut quia esurientes pascere non potuit infirmus, aut si potuit, immisericors & crudelis noluit. Est autem usitata precationis formula in calamitatibus, quâ petimus à Deo, ut propter nominis sui honorem, pœnæ moderetur.

18. *Zelatus est,* &c. Rem futuram narrat, ac si præterita esset, more Prophetico, *Postquam Sacerdotes pro populo deprecati sunt, fecitque populus quod præceptum est, ut sanctificaret jejunium, prædicaret curationem, congregaret multitudinem, sanctificaret Ecclesiam, eligeret senes, parvulos & ubera sugentes congregaret, & egrederetur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, & nequaquam carni & voluptati, sed animæ & fletibus inservirent: Zelatus est Dominus terram suam, quam priùs quasi alienam contemserat, & pessus fuerat locustâ vastante populari; & in tantum pepercit pœnitentibus, ut eos dignos suâ responsione faceret, dicendo, Quoniam omnes fruges vestras locusta vastavit, ideò dabo vobis frumentum, & cetera, quæ Propheta describit.* B. Hieronymus.

19. *Ecce ego mittam,* &c. Q. d. Mittam propediem vobis tantùm frumenti, vini, & olei, quantùm sat erit; non dico, ad necessitatem, sed ad satietatem, ut abundè omnia suppetant, nec ultrà vobis fames sit futura probro in Gentibus.

Non dabo vos ultrà opprobrium in Gentibus. Sensus est B. Theodoreto interprete. *Non permittam vos in miseriis constitutos ludibrio & voluptati esse finitimis vestris, sed vos procurabo & tuebor, ut illi cognituri sint ex meis in vos beneficiis Dei vestri vires & potentiam.*

20. *Et eum, qui ab Aquilone est,* &c. Respectu Jerusalem, in qua urbe Joël videtur prophetâsse, locustæ, à quibus Judæa erat devastanda, vel ad Aquilonem, vel ad Ortum, vel ad Occasum erant futuræ. Australium non meminit, quia cùm Jerusalem fuerit ferè in extremo Austro terræ Chanaan, Australes paucæ fuerunt, respectu Urbis, & sub aliis comprehensæ. His

præmissis

præmissis, verba Prophetæ de veris locustis intellecta nihil habebunt, quod Lectorem remoretur, nec opus erit ut sub locusta, intelligamus Assyrios & Chaldæos, aut alias Gentes ad Aquilonem Judææ degentes.

Eum, inquit, scilicet LOCUSTARUM POPULUM, *qui ab Aquilone*, scilicet, URBIS, *est*, *procul faciam*, id est, removebo, *à vobis: & expellam eum in terram inviam & desertam*, id est, Arabiæ deserta.

Faciem ejus contra mare Orientale. Id est, eam locustarum agminis partem, quæ ad mundi faciem, seu, ad Ortum conversa est, impellam in mare Mortuum, ad Orientem Urbis situm. Hoc mare ab Hieronymo in Commentariis ad hunc locum, vocatur *mare Primum*, & in Epist. 129. *mare Salinarum*, & à B. Eucherio in libros Regum *mare Solitudinis*, à Galeno in Simplicium libris *lacus Sodomenus*. Vocatur quoque *lacus*, seu, *mare Asphaltides*, ob crassum bitumen in eo innatans.

Ex extremum ejus ad mare Novissimum. Id est, dispellam Occidentalem locustarum agminis plagam in mare Magnum, quod alluit Judæam à solis occasu, & vulgò vocatur marè Mediterraneum. Ita & B. Hieronymus exponit hîc *mare Novissimum*.

Ascendet fœtor ejus, &c. Id est, populus innumerabilis locustarum in mare demersus tetrum & virosum odorem exhalabit. Locustas, vento abreptas è terris, quas devastant, sæpè in maria demergi, discimus ex Exod. 10. v. 19. ut ceteros brevitatis causâ omittam, ex Hieronymo in Commentariis ad hunc locum: *Etiam*, inquit, *nostris temporibus vidimus agmina locustarum terram texisse Judæam, quæ postea misericordiâ Domini inter vestibulum & altare, hoc est, inter crucis & resurrectionis locum, sacerdotibus & populis Dominum deprecantibus, atque dicentibus, Parce populo tuo: vento surgente in mare Primum & Novissimum præcipitatæ sunt. Mare Primum quod juxta solitudinem est, & vergit ad Orientem, illud intellige, in quo fuit quondam Sodoma & Gemorrha, Adama & Seboim: quod nunc Mortuum nominatur, eo quòd nulla ibi vivant animantia. Mare autem Novissimum, hoc quod ad Occidentem est, & quod ducit in Ægyptum, in cujus littore Gaza, & Ascalon, Azotúsque & Joppe, & Cæsarea, & ceteræ urbes maritimæ sunt. Cumque littora utriúsque maris acervis mortuarum locustarum, quas aquæ evomuerant, implerentur, putredo earum, & fœtor in tantum noxius fuit, ut aërem quoque corrumperet, & pestilentiam tam hominum, quàm jumentorum gigneret.* Plura hujusmodi possent afferri de tetro & viroso odore ex locustis in maria demersis exhalato, nisi hæc plus satis sufficerent. Vide Aug. lib. 3. de Civitate Dei cap. 31.

Quia

Quasa superbè egit. Id est, quia Deus magnificè damna per locustas illata resarcivit. Idem sensus exprimitur in versu mox sequenti his verbis: *quoniam magnificavit Dominus ut faceret.*

21. *Noli timere terra.* IUDÆÆ scilicet. Præcedentem promissionem exornat Vates divinus eleganti gradatione. *Omnibus*, inquit S. Hieronymus, *quibus supra comminatus fuerat, nunc contraria pollicetur, & lætis tristia mitigat, & lachrymas vertit in risum.* Nam tribus versibus mox sequentibus promittit Propheta Dei nomine fore ut herbescant pascua deserti, & arbores fructum suum proferant, ficúsque & vitis virtutem suam edant, pluviâ tam matutinâ, quàm serâ, primo quoque tempore, à Deo abundè demissâ: & impleantur frumento areæ, mustóque & oleo redundent lacus torcularium; ut sic miseris Judæis restituantur anni, id est, annui proventus, quos locustarum species quatuor absumserant: non singulæ singulis annis, ut suprà monuimus, sed omnes eodem tempore sibi mutuò succedentes. Quæ pestis in quot annos Judæam vexaverit, planè nescimus. Tantum Judæos scimus, & graviter, & in plures annos his locustis foisse afflictos, Deo sic animadvertente in contumaces & nominis sui contemtores. Unde est quòd locustas vocat exercitum suum, & fortitudinem suam magnam.

22. *Animalia regionis.* Id est, bestiæ agrestes.

Speciosa. Id est, pascua.

Dederunt virtutem suam. Est Metonymia; ponitur enim causa pro effecto, virtus pro fructu vegeto & vigoroso.

23. *Dedit.* Id est, dare decrevit. Est autem Hebraismus Scripturæ familiaris, ut animi propositum per ipsam actionem propositam significet. Vide Commentarium nostrum in Matthæum 27. v. 18.

Doctorem justitiæ. Eximius Scripturarum interpres jam supià laudatus Petrus à Figueïro, *Rabbi Selomo*, inquit, *Doctorem justitiæ, seu, ad justitiam, Prophetas interpretatur, qui populum docent, ut ad Dominum convertatur, & ab eo justificetur. Cum Rabbi Selomone sentit Rabbi Japhet, autore Rabbi Abrahamo, dicens, à Deo datum Prophetam populum docuisse viam justitiæ, atque ideò Dei benignitatem, & veram abundantiam advenisse. Quam expositionem sequitur etiam Lyranus. Dionysius verò vel de Christo, vel de Prophetis intelligit. Sed melius ad Christum propriè refertur, præsertim propter articulum emphaticum*; dicitur enim הַמּוֹרֶה *hammore, id est, Doctorem illum, subaudi, à vobis desideratum.* Alii dicunt *hammore* hîc significare pluviam, & volunt *pluviam justitiæ* dici pluviam largam & copiosam, ut Malach. 3. v. 2. *Sol justitiæ*, qui benignè tum lucet, tum calefacit: Alii verò *pluviam justitiæ* idem significare putant ac si diceretur,

ceretur, Tantùm pluviæ, quantùm satis est, & æquitas postulat.

Justitiæ. Quidam vertunt ex Hebræo לצדקה *in*, seu, *ad justitiam.* LXX. *Dedit vobis escas in justitiam*, id est, in pietatis & justitiæ vestræ præmium dedit, seu, dabit vobis Dominus triticum ex pluvia fœcundante agros. Non desunt qui velint justitiam hîc sumi pro benignitate & misericordia, de qua loquendi formula Hebræis familiari vide quæ diximus in Commentario nostro in Matthæum 1. v. 19. & 6. v. 1.

Et descendere faciet, &c. Respicit Propheta ad promissionem factam Deut. 11. v. 14. *Dabit pluviam terræ vestræ temporaneam, & serotinam.* Vocant autem Prophetæ imbrem matutinum, seu ut alii vertunt, temporaneum, sive primorem, qui in Autumno dejuit, cùm sementis fit in Judæa, ut illius grana solvantur, & radices figant in terra. Serotinum verò imbrem vocant, qui in ipso primo anni sacri mense *Nisan*, qui partim respondet Martio, partim Aprili, quo tempore anni messis erat in Judæa. Quocirca cum judicio legendus est B. Hieronymus, cùm in Comment. Amos 4. scribit: *Pluvia serotina est imber, qui cadit sub finem mensis Aprilis, cùm adhuc tres menses usque ad messem supersunt, videlicet Maius, Junius, Julius. Nunquam in fine mensis Junii, aut in Julio in his provinciis, maximèque in Judæa pluvias vidimus.*

24. *Et implebuntur*, &c. Vide dicta suprà v. 21.

25. *Et reddam vobis*, &c. Hic quoque versus expositus est in dictis suprà v. 21.

26. *Et comedetis vescentes*, &c. Id est, comedetis ad satietatem, & inde gratias referetis bonorum omnium largitori, qui vobis escam tam succulentam & copiosam suppeditavit, ut vos abunde satiaret, vegetósque efficeret. Benedictioni hîc promissæ contraria est maledictio Aggæi 1. v. 16. *Comedistis, & non estis satiati*, &c.

Laudabitis nomen Domini. Nomen Domini laudat, qui juxtà monitum Apostolicum 1. Cor. 10. v. 31. omnia in gloriam Dei facit, proinde si laudem Domini semper in ore tuo vivere cupis, ut præcipit Apostolicis vestigiis insistens B. Basilius Magnus Hom. in Julittam Martyrem, *Accumbens mensæ, ora: esitans panem, largitori gratias rependito: bibis vinum, memento ejus, qui illud tibi dedit in lætitiam & infirmitatum solamen: tunicam induens, gratias agito benigno datori: suspicis in cælum & siderum pulchritudinem, procide Deo, & cole eum, qui cuncta hæc in sapientia condidit: pari modo oriente sole & occidente, in somno & vigilia Deo gratias age, qui hæc omnia ad tuum commodum creavit & ordinavit, ut Creatorem agnoscas, ames, & laudes.*

Qui

Qui fecit mirabilia vobiſcum. Hoc ſuprà dixit, *quia ſuperbè egit; quoniam magnificavit Dominus ut faceret.*

Non confundetur, &c. Q. d. Non erit cur poſthàc Gentes populo meo ut probrum objiciant, quòd famem patiatur, quaſi ipſius oblitus fuerit Deus.

27. *Et ſcietis.* Experientiâ ſcilicet magiſtrâ. *Experimento enim percipietis*, inquit B. Theodoretus, *quòd curam veſtri gerens, vobiſcum habitare non gravor, cui cælum thronus eſt, & terra pedum ſcabellum, Cognoſcetis etiam idolorum veſtrorum imbecillitatem, & quòd ego ſolus ſum Deus, qui delinquentes corrigere, & miſereri pœnitentium poſſum. In his autem cogitationibus permanentes, in omni ſecuritate vivetis, neque amplius Gentium opprobria perferetis.*

28. *Poſt hæc. Rabbi Selomo*, inquit Petrus à Figueïro, *exponit, In ſeculo venturo. Similiter Rabbi Jeſus apud Rabbi Abraham. Seculum autem venturum vocant tempus Meſſiæ. Objicit autem apud eundem Rabbi Moſes Sacerdos: Cur igitur dixit Joël* POST HÆC, *& non*, IN NOVISSIMIS DIEBUS? *Fortean hic Vates extitit in diebus Joſaphat, ideóque meminit Vallis Joſaphat. Prophetæ autem & Prophetarum filii eâ tempeſtate plurimi erant. Multi enim proceſſerunt, ut colloquerentur cum Eliſæo, & unus Abdias abſcondit centum.* Rabbi David Kimchi dicit, *Poſt hæc* perinde ſumi atque ſi diceretur, *In extremo dierum.* Huic expoſitioni favet quòd Apoſtolorum Princeps Act. 2. v. 17. hoc Joëlis vaticinium laudat his verbis: *Et erit in noviſſimis diebus.* Verùm nihil obſtat quominùs præſens Joëlis Prophetia ſimul & ad tempus quo vaticinatus eſt, & ad Chriſti ætatem referatur; ut enim obſervat B. Hieronymus in Oſee Caput primum, *Prophetæ ſic multa poſt tempora de Adventu Chriſti & vocatione Gentium pollicentur, ut præſens tempus non negligant: ne concionem ob aliud convocatam non docere de iis quæ inſtant, ſed de incertis ac futuris ludere videantur.*

Effundam. Id eſt, effusè dabo. Theodoretus Mopſueſtenus Antiſtes hoc vaticinium interpretatur de favore, quo proſecutus eſt Deus exercitum Zorobabelis pugnantem contra Scythas; at hanc expoſitionem improbavit & damnavit Concilium Romanum ſub Vigilio Papa, quod ex Bibliotheca Vaticana tranſcripſit Villalpandus procœmio in Ezech. Sect. 3.

Spiritum meum. Id eſt, gratias ſpirituales & gratum facientes & gratis datas, quæ ſunt dona & effecta Spiritûs Sancti, inter quæ eſt & donum prophetandi, unde ſequitur, *Et prophetabunt filii veſtri*, &c. Sic Eſ. 11. v. 2. *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini*, nempe, ut mox ſe explicans ait, *Spiritus ſapientiæ, & intellectûs, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis,*

pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.

Super omnem carnem. Hoc Rabbi Salomon interpretatur, Super eum, cujus cor factum fuerit carneum, id est, ad modum carnis molle, flexile, & obediens. *Quod in centum viginti hominibus*, ut inquit B. Fulgentius in libro de Incarnatione & gratia Christi cap, 31. *in quos Spiritus-Sanctus linguis igneis venit, factum B. Petrus ostendit Act.* 2. *v.* 17. *Unus ergo*, inquit Autor libri de Trinitate apud Tertull. *& idem Spiritus, qui in Prophetis & Apostolis, nisi quoniam ibi ad momentum, hic semper; ibi non ut semper illis inesset, hic ut in illis semper maneret, & ibi mediocriter distributus, hic totus effusus. Cunctis nunc Gentibus gratia Spiritus-Sancti tradita est, neque in paucis, ut in populo Israël, sed in omni credentium multitudine Spiritûs-Sancti gratia manet*, ait B. Isidorus Hispalensis lib. 1. Sentent. cap. 15. Synecdochicè, in Scripturis, *omnis caro, & omnis creatura* hominem tantùm denotat.

Et prophetabunt filii vestri, &c. Per effusionem Spiritûs Sancti, diversas gratias consequuntur fideles; *Alii prophetiam*, inquit Hieronymus, *ut filii & filiæ, qui majoris sunt meriti; alii somnia, ut senes jam provectioris ætatis: alii visiones, ut juvenes, qui vicerunt malignum. Servi verò & ancillæ qui adhuc spiritum timoris habent, & non dilectionis, quia perfecta dilectio foràs mittit timorem, non habebunt prophetiam, non somnia, non visiones, sed Spiritûs-Sancti effusione contenti fidei tantùm & salutis gratiam possidebunt.* Ad hujus loci intelligentiam adverte ex Rabbi Mosè Majemonide in More Nevochim p. 2. cap. 36. quòd somnium & visio non differunt ab invicem, nisi sicut perfectum & imperfectum in eodem genere; *Visio enim*, inquit, *significat quòd ad facultatem imaginatricem tanta à facultate rationali divinitùs mota perveniat actionis perfectio, ut homini res ita appareat ac videatur, ac si exteriùs exhiberetur, eámque sensibus externis perciperet; cum eadem facultas imaginatrix in somnio ad hoc usque complementum non perveniat.* Itaque omnis prophetia, seu omnis rerum naturalem hominum cognitionem fugentium divinitùs facta hominibus revelatio, ad homines pervenit vel per somnium, vel per visionem, juxta illud Num. 12. v. 6, 7. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses*, qui videlicet sine ministerio facultatis imaginatricis audiebat Deum ex propitiatorio inter duos Cherubinos loquentem, ut ait jam laudatus Majemonides in loco citato cap. 45.

Somnia. Doctissimus Rabbi Menasse Ben-Israël in opere inscripto *Conciliator* in Num. 12. *Hebræi*, inquit, *dividunt somnia in vera & fabulosa. Fabulosorum causas constituunt primum naturam*

turam & compositionem corporis humani, in quo hoc vel illud prædominatur. Hinc & Esaias cap. 29. famelicum de cibis, sitientem de potu somniare affirmat. 2. Assignant varias hominis vigilantis cogitationes, unde illud adagium, אין מראין לאדם אלא מהרהירי לבו, *non ostendunt homini quidquam præter cogitationes cordis ejus.* Vide Commentarium nostrum [illegible] v. 2. 3. *Fabulosorum somniorum causam assignant [illegible] judicii in quibusdam hominibus, quæ quandoque tan[illegible] vigilantes quidem possint depellere formas animo se inseren[illegible] minùs dormientes? Verorum somniorum causam p[illegible] subtile ingenium & judicii vim; etenim ut homin[illegible] vigilantes contemplantur rerum causas, ita & animo ab [illegible] sensuum occupationibus libero multò quietiùs ac perfectiùs rerum eventus contemplantur, eâque somnia vera sunt, tametsi identidem permixta vanis phantasmatis. Secundam causam verorum somniorum esse aiunt, dum somniis accedit aliqua inspiratio omnipotentis Dei, licèt somnians eâ indignus sit, quæ quidem somnia prophetica dicuntur, si iis nihil vani immiscetur, seu figuris claris & veritati proximis res ipsa cernitur; at non possunt dici prophetica, si iis immiscetur aliquid, quod ab hominis phantasia proficiscitur. Per primi generis somnia loquitur Deus Prophetis, & per Angelum, hoc est, per potentiam rationalem: per secundi generis somnia aiunt Deum locutum Pharaoni, Labano, &c. At fabulosa somnia aiunt fieri per dæmonium, id est, per imaginativam rationi prævalentem, & de his fabulosis somniis dici Zachariæ* 10. *v.* 2. *Somniatores locuti sunt frustrâ, Heb. Somnia vanitatem loquuntur.* Hæc Rabbi Menasse Ben-Israel. Fabulosorum somniorum nullam habendam esse rationem præcipit Deus Levit. 19. v. 26. Deut. 18. v. 10. Unde 2 Paral. 33. v. 6. Rex Manasses reprehenditur quòd hujusmodi somnia observaret, quæ somniis divinitùs immissis comparata, se habent veluti paleæ ad triticum, ut patet ex Jerem. 23. v. 28. At vera somnia Deus negligi noluit; unde cùm ea immisit, simul etiam id egit, ut homo intelligeret ipsis verum aliquid portendi, ut ea, quæ Joseph & Daniel tanta cum laude ingenii conjecerunt. *Hoc autem insomnii genus,* inquit Cyrus Nicetas in Tetrastichon Greg. Nazianz. 53. *non crebrò, nec quibuslibet, sed præstantibus tantùm viris contingit. Sunt autem insomnia, vel ut rectiùs loquar, insomniorum gurges inenarrabilis, & infinitus dormientibus hominibus occurrens, quem vanitatem vanitatum quispiam propriè appellare queat, ob eámque causam admonet Theologus,*

Μὴ σφόδρ' ἕπεσθαι παιγνίοις ἐνυπνίων·
Μηδ' εὐπτόπτον εἰς ἅπαντ' ἔχειν φρένα·

Μηδὲ

Μηδὲ πτεροῦ μοι δεξιοῖς φαντάσμασι·
Δύχος τάδ' ὅτι πολλάκις τῶν δυσμενοῖς·

Ne somniorum ludicris fidem nimis
Accomodâris: cuncta nec te terreant.
Nec læta rursum visa te tollant nimis.
Laqueos frequenter hos parat dæmon tibi.

Hinc illud veriverbium Rabbinorum in proverbium abiit apud Hebræos, דברי חלומות לא מעלין ולא מזרזין, *res quæ per somnium videntur, neque evehunt, neque deprimunt*, hoc est, somnianti neque prosunt, neque obsunt. Itaque, *Quisquis credulitatem suam significationibus alligat somniorum, planum est, quia tam à sinceritate fidei, quam à tramite rationis exorbitat*, inquit Joannes Sarisburiensis lib. 2. Policrat. cap. 17. Vide Eccles. 5. v. 6. & Eccli. 34. v. 2. & seqq. Gentiles somniis multùm tribuebant, sed vanitatem eorum lepidè irridebat Diogenes apud Laërtium lib. 6. dicens: *Quæ vigilantes agitis, ea non curatis: quæ verò dormientes somniatis, sollicitè perquiritis. Ad felicitatem, vel infelicitatem hominis non tam refert quid patiatur in somniis, quàm quid agat vigilans. Ibi quoties aliquid turpe committit, oportebat metuere deorum iram, ac tristem eventum, non si quid dormientibus sit visum,*

29. *Super servos meos & ancillas.* Hoc non significat quosvis Dei cultores, qui propriè appellantur servi & ancillæ Domini, sed eos duntaxat, qui conditione servi erant & ancillæ, & simul Deum piè colebant.

30. *Dabo prodigia*, &c. Omnia horrenda iræ divinæ documenta cùm in terra, hoc versu, tum etiam in cœlo versu sequenti editurum se promittit Deus. Sensus autem horum duorum versiculorum idem est, ac si diceret Deus, miscebuntur omnia, in terris quidem ferro & flammâ, in cœlo vero portentis horridissimis. Quidam, inter quos Lyranus, putant hîc prædici prodigia, quæ præibunt diem judicii extremi, de quibus Luc. 21. *Erunt signa in sole & luna*, &c. Alii hæc prodigia putant patrata paulò ante excidium Jerosolymitanum per Nabuchodonosor vel Titum, ante quod autor est Josephus multa signa in cœlo & terra apparuisse, etiam armatas per aërem acies concurrisse. Judæi ad tempora sui Messiæ, quum fundentur copiæ Gog & Magog, hæc, ut & ferè quæ reliqua sunt in hoc Propheta, referunt. Quæ sententia à Lyrano non discrepat; Gog enim & Magog nos ab iis dictum putamus Antichristum, quem spiritu oris sui Christus interficiet. *Difficultas autem ex eo oritur,*

tur, inquit Petrus à Figueiro, *quòd D. Petrus in Actis Apostolorum cum superioribus, quæ manifestè jam completa sunt, nimirùm de Spiritûs-Sancti effusione, & donorum largitione, etiam ea quæ hîc sequuntur, attexuit; quæ tamen ad futurum videntur pertinere. D. Hieronymus refert duas expositiones, alteram dicentium ea, quæ generaliter in ultimo tempore repromissa sunt, nunc esse ex parte completa, sed non plenè, nec omni ex parte, quomodo ad finem seculi complebuntur. Altera expositio dicit Apostolicæ esse consuetudinis, juxta illud quod de sancto viro scriptum est, Psal.* 111. *Dispensabit sermones suos in judicio; ut quidquid utile audientibus esse cernebant, & non repugnare præsentibus, de alterius temporis testimoniis roborarent: non quòd abuterentur audientium simplicitate, & imperitiâ, ut impius calumniatur Porphyrius, sed juxta Apostolum Paulum prædicarent opportunè, importunè: & sequentes regulam Prophetarum, quidquid Judæi in ultimo tempore sibi carnaliter repromittunt, spiritualiter in primo adventu Salvatoris dicerent esse completum: maximè cùm illi, & nos quæ promissa sunt in Christo dicamus esse complenda: in hoc tantummodo discrepantes, quòd illi futura contendunt, nos jam facta convincimus. Sic D. Hieron. & est sententia in Prophetarum lectione valdè memoriâ tenenda.* Hactenùs doctissimus Petrus à Figueiro. Utut est, Propheta postquàm promissiones & lætitiæ materiam piis prædixit, nunc judicia impiis denunciat, quibus tamen & pii paternè castigabuntur.

Sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Id est, cædem civium, mirabilia fulgura, & nubes obscuras.

31. *Sol convertetur in tenebras.* Id est, sol obscurabitur. Vide quæ diximus in Commentario nostro in cap. 24. Matt. v. 29 Ovid. Metamorph. 15. similiter loquitur:

Signa dabant luctûs Superi haud incerta futuri.
Sæpè faces visæ, solis quoque tristis imago:
Cærulus & vultum ferrugine Lucifer atrâ
Spargens erat; sparsi lunares sanguine currus.

Lucanus Pharsaliæ lib. 1. monstra enumerans, quæ bellum civile præcesserant, ait:

——————— *Superique minaces*
Prodigiis terras implêrunt, æthera, Pontum.
Ignota obscuræ viderunt sidera noctes,
Ardentémque polum flammis, cælóve volantes
Obliquas per inane faces, crinémque timendi
Sidéris, & terris mutantem regna cometen.

Fulgura

Fulgura fallaci miscuerunt crebra sereno :
Et varias ignis denso dedit aëre formas, &c.
Jam Phœbe toto fratrem cùm redderet orbe,
Terrarum subitâ percussa expalluit umbrâ.
Ipse caput medio Titan cùm ferret Olympo,
Condidit ardentes atrâ caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coëgit
Desperare diem : qualem fugiente per ortus
Sole Thyesteæ noctem duxere Mycenæ.

Et luna in sanguinem. Supple, vertetur. Id est, luna sanguineum colorem referet, quomodo in Apocalypsi cap. 6. v. 12. luna dicitur *facta sicut sanguis.*

Antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis. Id est, antequam veniat dies ille judicii, quo ille omnes est judicaturus, & singulis secundum opera sua redditurus, *quem & occulta non fallunt, & indecora offendunt, & honesta delectant*, ut loquitur Ambrosius.

32. *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Præclarè hunc locum exponit August. in Epist. 89. ad Hilarium. *Omnis*, inquit, *sicut scriptum est, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Non utique salute corporis quam multi habent, & qui non invocant nomen Domini, sed illâ salute, de qua ipse dicit : Non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus : & quid dixerit consequenter exponens, Non veni, inquit, vocare justos, sed peccatores. Justos ergo sanos, peccatores autem dixit ægrotos. Non itaque de suis viribus præsumat ægrotus, quia in multitudine virtutis suæ non erit salvus. Nam si inde præsumit, videat ne vires istæ non sint quales solent esse sanorum, sed quales solent esse phreneticorum : qui cùm sint insani, adeò se sanos putant, ut nec medicum quærant, & tanquam importunum insuper cædant : sicut isti Christum insaniâ superbiâ quodammodò cædunt, cujus gratiæ tam benignum adjutorium ad faciendam justitiam, dato Legis præcepto, necessarium non esse contendunt. Desinant ergo sic insanire, & ad hoc se intelligant habere quantùm possunt liberum arbitrium, non ut superbâ voluntate respuant adjutorium, sed ut piâ voluntate invocent Dominum. Hæc enim voluntas libera tantò erit liberior, quantò sanior : tantè autem sanior, quantò divinæ misericordiæ gratiæque subjectior. Ipsa quippe fideliter orat, & dicit : Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas ? Ut ei autem non dominetur, vide ab illa quis invocetur. Non enim ait : Itinera mea dirige secundum liberum arbitrium, quia non dominatur mihi omnis iniquitas :*

quitas: sed, Itinera mea, inquit, dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Precatur, non pollicetur: confitetur, non profitetur: optat plenissimam libertatem, non jactat propriam pietatem. Non enim omnis, qui viribus suis confidit, sed omnis, qui invocat nomen Domini, salvus erit.

Quia in monte Sion, & in Jerusalem, &c. Jerusalem hîc sumitur pro inferiore civitate, quæ à Græcis ἡ κάτω πόλις vocatur. Mens Prophetæ est eadem ac si dicat, Non alia est evasio terribilis judicii, quàm si quis in montem Sion, & Jerusalem velut in certum salutis asylum confugerit. Hoc est, secundum SS. Patres, Nemo salvabitur, nisi qui fide vivâ crediderit in Christum, ipsiúsque nomen invocaverit, qui prope Sion, & Jerusalem Ecclesiæ typum & figuram, *in crucem actus fuit, & ad supplicia pro nobis datus*, ut loquitur B. Theodoretus.

Sicut dixit Dominus. Scilicet per Esaiam Prophetam cap. 4. v. 3. *Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, Sanctus vocabitur, omnis scriptus ad vitam in Jerusalem.*

Et in residuis, &c. Scilicet, erit salvatio, quasi dicat, In die judicii soli salvabuntur, qui in Sion, seu, in Ecclesia, Deum invocaverint, sanctéque coluerint. Item residui, id est, reliquiæ Judæorum, quæ in fine mundi à Deo vocatæ, & electæ Christi Ecclesiæ aggregabuntur. Rom. 11. v. 26. Simile huic loco est, quod patheticè proclamat Esaias cap. 1. v. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Jam pro *residuis* Heb. est. בשרידים *basseridim*, quod Rabbini nonnulli, teste B. Hieron. putant esse nomen proprium alicujus loci, ut sensus Prophetæ sit, q. d. Calamitatem istius diei pondere gerendorum magni & terribilis effugient, qui in Sion, in Jerusalem, aut in Seridim profugerunt. LXX. In textu Hebræo legerunt בשרים *bassurim*, id est, *evangelizati*, uti legunt codices Romani, licèt Theodoretus *evangelizantes*, & Hieronymus in singulari *evangelizans*, vel *annuncians* activè legat. Evangelium est virtus Dei in salutem omni credenti Rom. 1. v. 16. Unde nemo salvatur nisi evangelizans, vel evangelizatus Evangelio Christi.

Quos Dominus vocaverit. Scilicet, secundum propositum. Celebris est ab Augustino tradita vocationum distinctio, in eam quæ generalis est, quâ universi vocantur, nemine prorsus excepto, in æternam salutem; & in eam, quæ particularis est, & secundum Dei propositum efficax: & huic peculiare est, quod suo nunquam frustretur effectu. Sic enim docet lib. de Prædest. SS. cap. 16. *Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati Filii sui, non eâ vocatione quâ vocati sunt*

qui

qui noluerunt venire ad nuptias; illâ quippe vocatione & Judæi vocati sunt quibus Christus crucifixus scandalum est; & Gentes, quibus Christus crucifixus stultitia est; sed eâ vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus dicens, Ipsis vocatis Judæis & Græcis prædicare se Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Sic enim ait: Ipsis autem vocatis, ut illos ostenderet non vocatos: scíens esse quandam certam vocationem eorum, qui secundum propositum vocati sunt. quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Dixit ergo: Sed ex vocante non quâcumque vocatione sed quâ vocatione fit credens, &c. Non enim vocatione illâ vocati sunt de qua dictum est: Multi sunt vocati, pauci verò electi: sed illâ ipsâ, quâ vocantur electi. &c. Unde subjecit Apostolus: Sine pœnitentia enim sunt dona & vocatio Dei id est, sine mutatione stabiliter fixa sunt. Ad hanc vocationum qui pertinent, omnes aocibles Dei sunt; istorum autem nemo perit, &c.

CAPUT III.

1. QUIA. Heb. כִּי, quæ particula sæpè sumitur pro *sed, verùm*. Ut enim observant Sancti Cyrillus & Theodoretus, *Post prædictionem spiritualium donorum, transit Vates ad aliud argumentum.* Hoc Judæi moderni putant esse cladem, quâ ipsi à Tito & Vespasiano vastati sunt; quasi hîc eis promittatur captivitatis solutio cæsis Romanis, Gog & Magog in valle Josaphat. Hebræi veteres aiunt hîc agi de victoria, quam Josaphat Rex Juda consecutus est de Moabitarum, Ammonitarum, & Idumæorum exercitu supra modum numeroso, cùm ipsi se mutuò trucidarent. Nam ut ait Scriptura 2 Paral. 20. *Irruit pavor Domini super universa regna terrarum, cùm audissent quòd Dominus pugnasset contra inimicos Israël: quievitque regnum Josaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum.* Cyrillus & Theodoretus aiunt ad litteram describi gesta sub Esdra & Nehemia cùm Judæi è captivitate Babylonica redirent. Mariana suspicatur prædici stragem castrorum Sennacherib factam ab Angelo 4. Reg. 19. ac sub ejus typo depingi cladem impiorum in die judicii. Volunt nonnulli joëlem agere de tempore Machabæorum, quo Tyrii & Sidonii tributa pensitârunt Israëli. Sententia receptissima est ad litteram hîc describi diem judicii ultimi, pœnam reproborum, & gloriam electorum in illa die ab omnis pec-

cati & miseriæ servitute liberandorum: fieri tamen allusionem ad stragem Sennacherib & victoriam Josaphat.

Juda & Jerusalem. Q. d. Judæam universam, maximè verò Jerusalem universæ Judææ metropolim. Eâdem loquendi ratione legimus in Evangelio, *Dicite Discipulis & Petro.*

2. *Congregabo omnes Gentes,* &c. Id est, sistam velut judex omnes adversarios coram me & coram cœtu Ecclesiæ. Secundum Cyrillum, Theodoretum, & Aben-ezra *congregabo,* est, *congregari permittam.*

In vallem Josaphat. Scilicet, quæ est inter Jerusalem & montem Oliveti, unde Christus in cœlum ascendit. Vallis autem Josaphat, est vallis judicii & vindictæ divinæ, quam popposcit & impetravit Rex Josaphat 2 Paralip. 20. dum Moabitæ, Ammonitæ, & Idumæi adversus ipsum convenerant. Sensus Prophetæ est idem ac si diceret, Quemadmodum vallis Josaphat, ab ipso Rege Josaphat dicta *Vallis benedictionis,* prope Jerusalem sita est in conspectu urbis, sic quia *Sancti de hoc mundo judicabunt,* ut dicitur 1 Cor. 6. v. 2. Deus deducturus est omnes undique Gentes, quotquot ab orbe condito fuerint, in conspectum totius Ecclesiæ suæ, ut ibi judicentur de facinoribus suis in ipsum Deum ipsiusque Dei populum & hereditatem commissis. Secundum Cyrillum hîc sermo est de finitimis Judææ populis, & aliis eos secutis, qui Judæos post reditum è captivitate Babylonica Templo ædificando, & mœnibus Jerusalem struendis addictos opprimere conabantur, quorum *contrita est,* ut dicitur 2 Esd. 4. *fortitudo & multitudo magna.* Hanc contritionem contigisse in valle Josaphat *ad nos traditione pervenit,* inquit B. Cyrillus. *Frivola,* inquit idem, *& anilia sunt, quæ apud Judæos circumferuntur, olim in valle Josaphat, ubi mortui in vitam redierint, Deum de omnibus judicium habiturum, & quotquot sub cælo sunt, de his quæ adversum ipsos perpetraverint, rationem reddituros. Quæ cogitatio fieri nequit, quin ridicula sit, quandoquidem divinitùs inspirata Scriptura prophetiam completam esse dicit, & pugnâ commissâ in valle Josaphat, à vicinis Gentibus pœnas exactas.*

3. *Et super populum meum miserunt sortem.* Captivitatis tempore Judæam finitimi populi, ut terram dominis & colonis carentem sorte diviserunt. Hic mos per sortem dividendi hostes bello captos, & regiones subjugatas, antiquis in multo usu fuit. Ideò ejus frequens mentio apud Prophetas. Nahum 3. v. 10. *Et super inclytos ejus miserunt sortem.* Abdiæ 11. *Et super Jerusalem mittebant sortem.*

Posuerunt puerum in prostibulo. Heb. ad verbum, *dederunt puerum pro meretrice,* id est, ut transfert Jonathan paraphrastes Chaldæus, *pro scorti mercede,* ut Phædria Eunuchum Thaïdi.

Puellam

Puellam vendiderunt pro vino ut biberent. Id est, quemadmodum pueros Judæos dederunt meretrici pro mercede, ita & puellas Judæas pretio vilissimo & sordidissimo addixerunt, eas more lenonum turpis lucri causâ prostituentes, vel, ut quidam interpretantur, aliis eas vendentes ad conficiendam pecuniam, quam pro vino solverant; sive cauponis eas tradentes in pretium vini quod biberant. Hæc ut & Judææ per sortem diviso tempore captivitatis contigerunt secundum Theodoretum.

4. *Verùm quid mihi & vobis,* &c. Hac loquendi formulâ negat Deus se Tyriis aut Sidoniis aliisve gentibus Israëli conterminis ullam causam dedisse, cur populo suo infesti essent. Et eodem propè sensu apud Curtium hoc loquendi genus usurpant Scythæ: *Quid nobis tecum est? Nunquam terram tuam attigimus.* Porrò, ut hîc ait B. Hieron. *Qui persequitur populum Dei, ipsum Deum persequitur, cujus est populus.* Quod & manifestiùs dixit Christus Dominus, persecutorem Christianorum interpellans, ac dicens, Act. 9. v. 4. *Saule, Saule quid me persequeris? qui dixit, Quis es Domine? & ille, Ego sum* JESUS, *quem tu persequeris.*

Tyrus. Heb. צור, *Tsor*, quod Latino sermone sonat *rupem.* Apud Hesychium etiam legitur Σόρ, τύρος. Hinc apud Gellium Noct. Attic. lib. 14. cap. 6, Tyrus appellatur *Sarra*, & in fragmentis Ennii legimus *Panos Sarrâ oriundos*, à quo Sarranum pro Tyrio apud Virgilium Georg. lib. 2. v. 506.

Hic petit excidiis urbem, miserosque penates,
Ut gemmâ bibat, & Sarrano dormiat ostro.

Et apud Juvenalem quoque Sat. 10. v. 38.

——Et picta ferentem
Ex humeris aulæa togæ.

De Tyro sic Strabo lib. 16, Μετὰ δὲ Σιδῶνα, &c. *Post Sidonem maxima & antiquissima Phœnicum urbs est Tyrus cum illa & magnitudine, & claritate & antiquitate comparanda, multis fabulis celebrata. Poëtæ quidem magis Sidonem celebraverunt. Homerus verò nec Tyri meminit. Coloniæ autem in Africam & Iberiam usque ad loca extra columnas deductæ, Tyrum magis commendant. Ambæ igitur & antiquitùs & nunc claræ & illustres. Controversumque manet inter utrasque quænam earum Phœnicum metropolis dici debeat.* Paulò pòst. Τύρος δ' ἔστι, &c. *Tyrus autem est tota insula, ferè habitata eodem modo, quo Aradus. Adnexa est aggeri ad continentem, quem Alexander construxit, cùm eam obsideret. Duos habet portus, clausum alterum, alterum apertum, quem Ægyptium vocant.* Plin. Hist. Nat. lib. 5. cap. 19. *Tyrus quondam insula, præalto mari septingentis passibus divisa, nunc vero Alexan-*

dri oppugnantis operibus continens, olim portu clara, urbibus genitis, Lepti, Uticâ, & illâ Romani imperii æmulâ, terrarum orbis avidâ Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis ejus nobilitas conchylio, atque purpurâ constat. Circuitus XIX. M. *passuum est.* Hanc insulam fecit continentem Alexander, uti patet ex Q. Curtii lib. 4. cap. 2. Quare Ovid. Metam. lib. 15. canit:

Fluctibus ambitæ fuerant Antissa, Pharósque
Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.

Habuit olim suos reges, inter quos fuit Hiramus, qui Salomonem in Templo extruendo juvit. Eam expugnavit Nabuchodonosor Chaldæorum Rex, ut apparet ex sacra historia, nec non Alexander Magnus, magnâ crudelitate in ejus ciues usus. Duo enim millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus affixi per ingens littoris spatium pependerunt, autore Q. Curtio lib. 4. cap. 4. Oppidani re navali, mercaturâ, & armorum peritiâ excelluere. Urbem per se nobilem, nobiliorem ortu suo fecit acerrimus ille Christianæ religionis hostis, Ethnicæque defensor *Porphyrius*, idcircò Criticorum filiis *Tyrius senex* dictus, tametsi ab aliis *Bataneotes* vocetur. Protulit etiam *Maximum* Philosophum Platonicum, atque *Ulpianum* Jurisconsultum insignem, Alexandri severi Imperatoris consiliarium & prætorem, eidémque gratissimum & familiarem. Hanc antiquitùs clarissimam urbem Baldvinus III. Hierosolymorum Rex A. R. S. H. M. C. XXIV. expugnavit, & anno M. CC, XCII. à Sultano Ægypti capta, & eversa fuit, nunc penè tota jacet in ruinis sub Turcorum imperio, ac *Suri* parùm corrupto priori nomine vulgò vocatur.

Sidon. Urbs Phœniciæ, de cujus amplitudine & antiquitate sacræ literæ non sinunt nos dubitare, quoniam Josuè 19. v. 18. vocatur צידון רבה *Sidon ampla.* Joseph. Antiq. lib. 1. cap. 7. autor est conditam fuisse à Sidone Chanaanis filio, cujus fit mentio Gen. 10. v. 15. Ejus nobilissimæ coloniæ fuere Tyrus & Thebæ Bœotiæ: cujus rei sunt testes, Justinus lib. 18. cap. 13. *Post multos deinde annos à Rege Ascaloniorum expugnati Sidonii, navibus appulsi Tyrum urbem ante Annum Troianæ cladis condiderunt.* Plinius lib. 5. Hist. Nat. cap. 19. *Et Sidon artifex vitri Thebarúmque Bœotiarum parens.* Tyrus purpurâ celebris, Sidon vitri confectione clara, Thebæ Bœotiæ Hercule & Libero Patre alumnis inclytæ fuere. *Antiquis temporibus,* inquit Thomas de Pinedo, *Sidonios & Tyrios mercaturâ & re navali excelluisse nemo unquam dubitavit, quæ nunc in Hollandiam & Angliam migrarunt. Sunt enim sua quibusque terris tempora, de quibus consulendus Strabo lib. 10. Notatu dignum est, Homerum Sidonem & Sidonios celebrasse, Tyri & Tyriorum non meminisse.*

Red-

Reddam vobis vicissitudinem. Id est, ego verò, cùm sine ulla accepta injuria tam malè populum meum tractaveritis, vobis vicem reponam, & quidem *citò velociter*, id est, velocissimè.

5. *Argentum enim meum*, &c. Ætiologia præcedentis denunciationis per congeriem criminum, quæ tunc temporis Syri contra Judæos perpetrabant, atque Philistæi: quorum hi irruentes in Judæam depopulabantur omnia, & captivos abducebant, quos vendebant Tyriis, Sidoniísque 2 Paralip. 28. v. 18. illi verò, ut mancipia miserrima, emtitios servos in regiones longinquas deportabant, ut servituti perpetuæ manciparentur, præcisâ spe reditûs aut redemtionis.

Desiderabilia mea. Id est, quidquid in ædibus populi mei erat admodum desiderabile, & pretiosum.

Pulcherrima. Hæc vox explicat quid per desiderabilia sit intelligendum.

In delubra vestra. Id est, in templa vestra. *Delubra*, inquit B. Isidorus Hispalensis Antistes lib. 15. Orig, cap. 4. *veteres dicebant templa fontes habentia, quibus ante ingressum diluebantur, & appellari delubra à diluendo.* Quæ expressa sunt ex Servio in 2 Æneid. *Alii dicunt delubrum locum esse ante templum, ubi aqua currit, à diluendo.* Et in 4 Æneid. *Delubrum dictum propter lacum in quo manus abluuntur.* De hoc Ethnicorum ritu pleni Poëtarum libri. Similiter frequens usus apud veteres Christianos fontium seu cantharorum præ foribus templi manibus oribúsque lavandis. Eusebius Pamphili lib. 10. Hist. cap. 4. Ἱερῶν δ' ἐνταῦθα καταρσίων ἐτίθει σύμβολα κρήνας ἄντικρυς εἰς περόσωπον ἐπισκευάζων τῶν νεὼ, πολλῷ τῷ κεύματι τῶν νάματος, τοῖς περιβόλων ἱερῶν ἐπὶ τὰ ἔσω προϊοῦσι, τὸν ἀπόρρυψιν παρεκομίνας. *Fontes ex adversa fronte Templi profluentes aquâ redundantes positi, quibus omnes, qui in sacros Templi ambitus introëunt, sordes corporum abluant: qui fontes sacro sancta baptismatis lavacra repræsentant.* Tale labrum videtur Ros-Weydo, quod Constantinopoli nuper erutum exhibetur in Inscriptionibus Gruteri pag. 1046. n. 9. cum hac inscriptione: NIΨON ANOMHMATA MH MONAN OΨIN, *lava peccata, non solam faciem,* Quod desumtum ex libro 6. cap. 13. Anthologiæ veterum Epigrammatum, uti monuit doctissimus Rigaltius. Habetur ibi inter cancrinos versus metricos mirâ dexteritate compositos per repedationem, quos retrogradè eosdem relegere est non motis litteris, quos Sidonius lib. 9. Ep. 14. *Recurrentes* vocat Scriptum erat hoc Carmen ad Diomedis sepulchrum, quem Ros-Weydus existimat S. Diomedem medicum, qui Nicææ tempore Diocletiani martyrium subiit, cujus celebris extat memoria XIV. Augusti in Menologio Græcorum, & Martyrologio Romano. Cedrenus in Basilio meminit Templi, quod

Con-

Constantinopoli Diomedi Martyri erectum est, quod ille splendissimis donariis ornavit.

6. *Filios Juda, & filios Jerusalem.* Id est, Judæos, maximè verò Jerosolymitanos.

Vendidistis filiis Græcorum. Id est, Græcis. Sic vocabant Gentiles, quòd ferè Græcè loquerentur. Hinc passim ab Apostolo dividuntur omnes homines in Judæos & Græcos.

Suscitabo. Id est, liberabo, & revocabo.

In quo vendidistis eos. Id est, in quo sunt, quia vendidistis eos ut eò abducerentur. Non impediet mare vel distantia locorum, quominùs brevì eos in patrias sedes reducam.

Convertam retributionem, &c. Id est, parem gratiam vobis referam, & puniam vos prout meretur vestra iniquitas.

8. *Et vendam,* &c. Vendere in manibus hîc est tradere in manus, seu potestatem. Hic Hebraïsmus passim extat in textu Hebræo libri Judicum. Contrà Cicero dixit, *Libros tuos cave cuiquam tradas,* id est, vendas. Psal. 43. v. 13. *Vendidisti populum tuum absque pretio.* Es. 52. v. 3. *Gratìs venundati estis.* Dicitur itaque vendere, quicunque rem aliquam tradit sive gratìs, sive accepto pretio, si nullum sibi ad illam revertendi locum relinquit. Hoc ad litteram factum, cùm Gaza, Sidon & Tyrus captæ ab Alexandro.

Filiorum Juda. Id est, Judæorum.

Venumdabunt. Scilicet, accepto pretio.

Sabæis genti longinquæ. Vide quæ diximus in Commentario nostro in Matt. 12. v. 42. cur Sabæi vocentur gens longinqua.

Locutus est. Id est, ita decrevit.

9. *Clamate hæc in Gentibus.* Id est, proclamate hæc voce præconis apud Gentes in vallem Josaphat cogendas.

Sanctificate. Id est, indicite, seu, præparate.

Suscitate robustos. Id est, excitate potentes.

Ascendant. Ascenditur in Judæam & Jerosolymam, quia regionibus circum se jacentibns altiores sunt, ut alicubi advertit Scholiastes Hebræus.

10. *Concidite,* &c. Hoc est, omnia in usus bellicos convertite, etiam quæ ad præsentem vitam in primis sunt necessaria. Sic è converso Es. 2. v. 4. & Michææ 4. v. 3. permutatione instrumentorum bellicorum in rustica utensilia denotatur pax summa. Sic Martialis lib. 4. Epigramm. 34. cujus titulus, *Falx ex ense:*

Pax me certa ducis placidos conflavit in usus,
Agricolæ nunc sum, militis antè fui.

Infirmus

Infirmus dicat, &c. Id est, infirmus excutiat infirmitatem, & animum erigat ad pugnam. Simili phrasi tempus belli Virgilius exprimit 1. Georg.

Et curvæ rigidum falces curvantur in ensem.

Et Ovidius lib. 1. Fastorum.

Sarcula cessabant, versique in pila ligones:
Factáque de rastri pondere cassis erat.

11. *Erumpite.* Id est, ex castris ad prælium exite. Heb. חושו, *festinate, conglobate.*

Ibi. Id est, ubi coïeritis, seu, congregati fueritis.

12. *Occumbere faciet.* Id est, victos sternet.

Ascendant Gentes in vallem Josaphat. Id est, versus vallem Josaphat. Nam vallis ista erat prope Jerusalem: ad quam qui tendunt, ascendere dicuntur. Alioquin in vallem descenditur, non ascenditur.

Ibi sedebo. Humano more loquitur, non historico. Solent enim homines sedere cùm judicium exercent.

Ut judicem omnes Gentes in circuitu. Id est, omnes valli circum jacentes Gentes.

13. *Mittite falces*, &c. Hic versus complectitur allegorias judicium Dei, operarúmque ministerium ad abundantiam scelerum vindicandam graphicè exprimentes, ut Matth. 13. v. 39. & 41. &c.

14. *Populi populi in valle concisionis.* Id est, tanta futura est in valle Josaphat concisio & strages, ut passim compareant cumuli coacervati cadaverum. Hæc allegoria significat infinitam propemodùm fore multitudinem reproborum, quorum ut dicitur Psalmo 128. *Dominus justus concidet cervices.*

15. *Sol & luna obtenebrati sunt.* Id est, obscurabuntur; more prophetico præteritum pro futuro. Vide quæ diximus supra cap. 2. v. 10. & in Commentario nostro in Matt. 24. v. 29. Tragicis figuris maximam calamitatem describit Joël, ut mos est Prophetis.

16. *Dominus de Sion rugiet*, &c. Id est, Dominus è locis, unde decreta in hostes suos edere dicitur, puta è Sion, & Jerusalem, ubi verus ipsius cultus viget, instar leonis è lustro suo erumpentis spirans in impios iras & ignes, terribilem æternæ damnationis sententiam in eos torquebit, tanto fragore, ut cœli ac terra, si non re ipsâ, ut nonnulli cum Didymo & Hugone Victorino futurum censent, certè externâ apparentiâ concutiantur

cutiantur & contremiscant. Ut terra terræ-motu concuti & tremere dicitur, ita Pacuvius dixit, *Cælum tonitru contremit.*

Et Dominus spes populi sui, &c. Q. d. Qui impiis tam terribilem se exhibet, populum suum in ipso sperantem lætitiâ, fortitudine, atque fiduciâ replebit, ut constantes & immoti judicem sustineant, & de ipsius adventu gaudeant. *Magna est vis conscientiæ in utramque partem*, inquit Romanus Orator in Orat. pro Milone, *ut neque timeant, qui nihil commiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccârunt.* Cui congruit illud B. Bernardi lib. de Interiori domo, cap. 22. *Nihil* inquit, *est jucundius, nihil tutius, nihil diutius bonâ conscientiâ: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit, cùm corpus morietur: secura, cùm anima coram Deo præsentabitur: secura, cùm utrumque in die judicii ante tribunal terrificum justi judicis statuetur.*

17. *Et scietis.* Id est, experiemini. Hæc referenda censet Calvinus ad victoriam Judæorum de Antiochi ducibus tempore Machabæorum.

Habitans in Sion monte sancto meo. His ita gestis, inquit Theodoretus, *illustris & conspicua erit Jerusalem; quippe quæ curâ meâ tegatur, metúsque omnes exteras nationes invadet, ita ut ne viator quidem ex illis transire per eam audeat, quòd erga illos facta extimescat.* Hîc designatur Jerusalem cœlestis, seu Ecclesia triumphans, cui non ampliùs immiscebuntur reprobi ab electorum consortio segregati, & extra regnum cœlorum foràs ejecti, ut dicitur Apoc. 22. *Foris canes.*

18. *Et erit*, &c. Summatim repetit hîc Joël antecedentes Dei promissiones, quæ per allegoriam hoc versu enunciatæ sequentibus explicantur.

In die illa stillabunt montes dulcedinem, &c. Id est, tunc post deletas Gentes, & segregationem reproborum ab electis vita erit jucundissima figurata per præsens ad litteram promissum de terra lacte & melle manante præ pleni succo pecoris abundantia.

Per omnes rivos Juda ibunt aquæ. Id est, omnes electi participes erunt cœlestium altæ pacis deliciarum.

Fons de domo Domini egredietur. Id est, è Templo. Vide Ezech. 47. v. 1. Hic fons designat verbum, quod ex Ecclesia prodit.

Et irrigabit torrentem spinarum. Hebraïcè, *Vallem Settim*, quæ est in terra Moab, prope Jordanem in deserto, ubi olim cum Moabitarum puellis scortati sunt Israëlitæ. Apparet autem locum aridum fuisse, quòd dicat *irrigabit*, & remotum quoniam in deserto. Ex quo elicitur quòd etiam loca arida, quæque procul distant, fons iste è Templo manans humectaturus sit, licèt initio

tenuis

tenuis & exiguus. Hoc significat benedictionem Dei longè latèque diffusum iri.

19. *Ægyptus in desolationem erit*, &c. Hoc versu significat Propheta eos omnes, qui electos Dei vexaverunt, téque per pœnitentiam non emendaverunt, æternæ damnationi esse addicendos. Ad litteram Ægyptus desolata est, *quando Cambyses Cyri filius eam subegit*, inquit B. Cyrillus, vel potius diripiente eam Antiocho; Idumæa verò, vastantibus eam Machabæis: Idumæi autem plerumque Syriæ, Asiæ & Ægypti Regibus innocentium Judæorum oppressoribus se aggregabant.

20. *Judæa in æternum habitabitur*, &c. Sensus est secundum B. Theodoretum, quasi dicat Deus, *Cùm sim justus justos, seu innocentes injuriâ affectos non relinquam neglectos, sed de iis, qui injuriam intulerunt, pœnas sumam; hos verò meâ providentia ornabo, in Sion meam apparitionem exhibens.* Addit B. Theodoretus istud *in æternum habitabitur*, esse promissionem conditionatam, si videlicet Judæi mandata Dei religiosè servaverint; *Neque enim*, inquit, *indignis bona promissa præstare æquum Deum, cùm sit justus & abhorrens ab iniquitate.* Alii putant ad litteram tantùm à Propheta hîc prædici, fore ut Deus ulciscatur sanguinem Judæorum nulla justa de causa effusum, quem nondum ultus fuerit, sicque devictis divinitùs Judææ hostibus, ipsa per longum tempus in pace maneat, & præceptus in Lege Dei cultus per aliquot hominum ætates Jerosolymis vigeat. Non rarum est autem illud in Scripturis & consuetis loquendi formulis dici *in generationem & generationem*, sive, *in æternum* permansurum, quod multo tempore & indefinito duraturum significamus, B. Cyrillus existimat ad litteram hîc à Deo dici *Judæam habitatum iri in sempiternum, & Jerusalem in generationes generationum: non illam vastatam & exustam, siquidem Dominus ac Deus ut ipsa veritas, falsum dicere non potest; sed eam quæ mente comprehenditur potius, cœlestem Jerusalem, supernam, & divinam Sion, gloriosam & præclaram civitatem, cujus artifex, & fabricator, & architectus ipse Deus, in quam & nos utinam per Christum perveniamus.* Amen.

FINIS.

AMOS PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

AMos fuit è tribu Juda, & ex oppido Thecue diſſito à Bethlehem, quæ mundi genuit ſalvatorem, ſex millibus ad Auſtrum : unde ad mare Rubrum, Perſarúmque, & Æthiopum, atque Indorum terminos nullus eſt viculus, ne agreſtes quidem caſæ, quos Afri appellant mapalia, ſed cuncta ſunt plena paſtoribus, ut ſterilitatem terræ compenſent pecorum multitudine. Ex hoc paſtorum numero Amos à ſequendo grege ad propheticum munus in regno Iſraëlitico obeundum miſſus eſt, biennio ante terræ-motum, qui Oziæ Regis Judæ, & Jeroboami ſecundi Regis Iſraël diebus contigit. Aliquantulùm antequam Evangelicus ille Propheta Eſaias filius אמוץ *Amots* exorſus eſt prophetare, ſi, Hieronymo credimus. Maximè autem contra decem tribus locutus eſt, pauca de duabus inſerens. In antiquis Hebræorum monumentis cognominatur פסילוס, vel פסלוסאי, γλαὸς, id eſt, balbus. Imò, ſi veteri Rabbino Phinees eſt fides habenda, ipſum nomen עמוס *Amos* ſortitus eſt Vates noſter à radice עמס, *Amas*, *onerare*, quia linguam oneratam habebat. Quemadmodum apud Græcos primus Thales Mileſius ex ſcientia aſtronomica, ita apud Hebræos centum circiter annis antè primus Amos ex revelatione Spiritus-ſancti ſolares eclypſes prædixiſſe videtur prophetiæ ſuæ cap. 8. v. 8, & 9. Ab Amaſia ſacerdote Bethelis frequenter plagis afflictus, & ab Oſee Amaſiæ filio vecte per tempora transfixus, *ſemivivus in terram ſuam devectus, poſt aliquot dies dolore expiravit, ſepultúſque eſt cum patribus ſuis*, inquit Hieronymus. Martyrum catalogo adſcriptus legitur, & in oppido Thecue ſepultus dicitur in Martyrologio Romano pridie Kalendas Apriles.

CAPUT

CAPUT I.

1. *Verba*, &c. Q. d. Hæc dixit Amos, qui in Judæa inter pecuarios oppidi Thecue fuit, ad prophetandum apud populum Israëliticum vocatus, cùm Ozias cognomento Azarias regnaret in Juda, & Jeroboam filius Joas, pronepos Regis Jehu apud decem tribus rerum potiretur; biennio ante terræ-motum, de quo Zacharias cap. 14. v. 5. & Josephus 9. Antiq. cap. 11.

Qui fuit in pastoribus. Id est, de pastorum numero. Pastor fuit Amos, latè sumto vocabulo; se enim ipse vocat infrà cap. 7. v. 14. *Armentarium.* Unde autem pastor ab Hebræis vocetur נוקד, *noked*, vide apud clarissimum Bochartum Hierozoici p. 1. lib. 2. cap. 44.

Ante duos annos terræ-motus. Id est, biennio ante terræ-motum, qui scilicet horum ipsorum Regum, Oziæ & Jeroboami diebus factus est. Cùm autem Jeroboam hic ex 4 Reg. 14. v. 23. regnaverit annos quadringta & unum, & Ozias, qui quinquaginta duobus annis regnavit, non cœperit regnare ex 4 Reg. 15. v. 1. nisi Jeroboami hujus anno vigesimo septimo, hic terræ-motus non contigit ipso tempore, quo Ozias senex sacerdotium invadens lepra percussus est in fronte, uti Procopius Gazæus in Esa. 7. Hebræos secutus existimat, sed longè ante. Nam Ozia lepra percussus, neque excluso abs hominum consortio, Joatham ejus filius præerat domui Regis, & judicabat populum terræ: eidémque defuncto in regno successit annos viginti quinque tantùm ætatis agens, ut videre est 4 Reg. 15. v. 5, & 33. 2 Paral. 26. v 22, & 24. v. 1, & 8. Atque ita, Jeroboamo vivente, Joatham nondum natus esse potuit.

2. *Dominus de Sion rugiet*, &c. Prælarè hîc B. Hier. *Naturale est, ut omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, & unusquisque in quo studio teruit ætatem, illius similitudinem præferat. Verbi gratiâ, qui nauta est, & gubernator, tristitiam suam comparat tempestati: damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos contrarios appellat. Rursum prosperitatem & lætitiam, auram placidissimam, & secundos nominat ventos: tranquilla maria, & æquora campis similia. E regione miles quicquid dixerit: scutum, gladium, loricam, galeam, lanceam, arcum, sagittam, mortem, vulnus, & victoriam sonat. In ore Philosophorum semper Socrates, Plato, Xenophon, Theophrastus, Zeno & Aristoteles, Stoici & Peripatetici versantur. Oratores, Lysiam & Hyperidem, Periclem,*

&

& Demosthenem, Gracchos, Catones, Tullios & Hortensios in cælum laudibus ferunt. Poëtæ si Epici sunt, Homerum atque Virgilium; Si Lyrici, Pindarum & Flaccum crebro sermone concelebrant. Cur hæc dicta sunt? Ut scilicet ostendamus, etiam Amos Prophetam, qui pastor ac pastoribus fuit, & pastor non in locis cultis, & arboribus ac vineis consitis, aut certè inter sylvas & prata virentia, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum feritas, & infectio pecorum, artis fuæ usum esse sermonibus: ut vocem Domini terribilem atque metuendam, rugitum leonum & fremitum nominaret: eversionem Israëliticarum urbium, pastorum solitudini, & ariditati montium comparans.

Luxerunt. Id est, vastata, & desolata sunt. Vide Commentarium nostrum in Joël 1. v. 10.

Speciosa. Heb. נאות, *habitacula, tuguria, caulæ.*

Vertex Carmeli. Carmel & Basan sæpè junguntur in Scripturis, & utraque vox ubertatem sonat. Hinc Hebræis appellativè Carmel dicitur locus quivis arboribus consitus, frugibúsque, aut gramine fertilis Esa. 16. v. 10. Jerem. 48. v. 33, &c. voce, ut reor compositâ ex כר, *car*, quod *pascuum*, aut *agrum* sonat, & מול, *mul*, quod *succidere* est: ut כר־מל, *Carmel* sit *pratum*, vel *ager succissionis*, id est, ex quo fœnum vel spicæ succiduntur. Unde & spica recens succisa מלילה & כרמל vocatur. Sed & Carmel proprium nomen est duorum in Judæa montium: quorum alter prope Ptolemaidem, quæ priùs vocabatur Acho, mari imminens ad Aquilonem est, in confinibus Aser & Zabulon, de quo Jos. 12. v. 22. & 19. v. 26. Alter ad Meridiem juxta solitudinem prope Hebronem in tribu Judæ, de quo Jos. 15. v. 55. In priore habitavit Elias, & altare Deo erexit, & insigni miraculo Baalitas confutavit, & veri Dei cultum restituit 3 Reg. 18. Sed illud ipsum altare postmodùm in superstitionem versum, & Jovi consecratum est. Unde Scylax, ex doctissimi Vossii emendatione, Κάρμηλος ὄρος, ᾗ ἱερὸν Διός, *Carmelus mons, & templum Jovis.* Quamvis in eo Cornelius Tacitus lib. 2. Hist. templum ullum fuisse neget, sed montem ipsum asserit pro Deo fuisse cultum. *Est*, inquit, *Judææam inter Syriámque Carmelus. Ita vocant montem, Deúmque. Nec simulacrum Deo, aut templum, sic tradidere majores, aram tantùm & reverentiam.* Inde est quòd in Suetonio Vespasianus Carmeli Dei oraculum consuluisse legitur. In altero monte Carmelo Saül, devictis Amalecitis 1 Sam. seu Reg. 15. v. 12. מציב לו יד, *erexit sibi fornicem*, id est, arcum triumphalem, seu, ut alii vertunt, *fecit sibi plateam*, vel *ad dividenda spolia*, ut Chaldæus, vel *ad castra-metationem*, ut Kimchius intelligit. Sed ineptè admodum Rabbi Salomon & alii nonnulli vetustiores Hebræi volunt significari laudatis verbis ædificatum

fuisse

fuisse à Saüle altare; quod reparavit Elias 3 Reg. 18. v. 30. Nam Carmelus de quo hîc agitur, ab Eliæ Carmelo diversus est. & valdè remotus. In eodem hoc Saülis Carmelo degebat Nabal, qui numerosos habuit greges, capras scilicet mille, & ovium tria millia 1 Sam. seu Reg. 25. v. 2. Proinde ad hunc Carmelum referunt Scripturæ interpretes quæcunque habent Prophetæ de Carmeli pascuis, quæ tamen & ad Eliæ Carmelum referri possunt.

3. *Super tribus*, &c. Scriptura passim solet numerum certum pro incerto usurpare cui numero certo dum superaddit unum, multitudinem nimiùm, nimiumque magnam denotat. Sensus itaque præsentis versiculi idem est ac si dicas, Propter magnum, imò nimis & supra modum magnum scelerum Syriæ Damascenæ numerum, exitium Syriæ ipsi impendens, ejus pœnitentiam præverter; eo quòd Azaël Rex Damasci, superato Achab Rege Israël in Ramoth Galaad, omnem regionem, quæ appellatur Galaad, & in hereditatem cesserat dimidiæ tribui Manasses, instar tribulorum ferratorum frumentum in areis triturantium, crudelissimè contrivit atque laceravit, ut plenius Elizæus vates loquitur 4 Reg. 8. v. 12. Pœnæ quidem scelerosorum propter causas nobis ignotas aliquando differuntur; & pravis sæpe machinationibus blandiri videtur ad tempus alicujus umbra successûs. Sed Deus tandem excitatur, & supplicii tarditatem gravitate compensat: adinstar machinæ bellicæ, quæ lentè quidem procedit, sed semel admota graviter ferit.

4. *Et mittam ignem*, &c. Id est, maximâ clade, atque exitiali calamitate Syros afficiam, quorum regia est Damascus. Metaphoricè quippe ignis nomine acerbissima quæque pœna & strages indicatur. Ut autem observat Hieronymus, Amos *dat intelligentiam quòd Azaël, regnantibus Ozia & Jeroboam, jam in Syria mortuis erat, & ei in regnum successerat filius suus Benadad, à quo omnes postea Reges Aram, Id est, Syriæ & Damasci, Benadad vocabulum possederunt. Unde pulchrè non dixit: Mittam ignem in Azaël, sed in domum Azaël: id est, in domum regiam, cui Benadad filius eo tempore præerat.* Verum Nicolaus Damascenus apud Josephum 7 Antiq. cap. 6. (al. 5.) Hadadi nomen a Razon seu Rezon, primo Syrorum Damascenorum Rege ad posteros traductum fuisse scribit; ita ut hoc nomen fuerit omnibus omninò Regibus Syriæ Damascenæ, quomodo Ptolemæi Ægyptiacis.

5. *Et conteram*, &c. Q. d. Disperdam omnem Syriæ Damascenæ fortitudinem, ipsius metropolim Damascum subvertam, atque ita regnum Damascenum in Razon, seu Rezon, quem Nicolaus Damascenus Adadum appellat, cœptum 3 Reg. 11. v. 23, & 24. per decem generationes continuatum, ut affirmat mox

laudatus Nicolaus Damaſcenus apud Joſephum 7 Antiq. cap. 6. in Raſin, ſex Reſin finietur, quo morte affecto, incolæ Damaſci in Kir, ſeu ut Vulgata editio vocat, Cyrenen tranſportabuntur. Hæc Amoſi prophetia, tum Eſaiæ 7. v. 16. & 8. v. 4. & 9. v. 11. completa legitur 4 Reg. 16. v. 7, 8, & 9. Porrò celeberrimus Bochartus Phal. lib. 2. cap. 6. *Aram Damaſek*, ſeu Syriam Damaſcenam facit Syriam inter Libanum & Antilibanum comprehenſam, cujus caput Damaſcus Eſa. 7. v. 8. Quinque fluminum, quibus rigatur, ait eſſe duos maximè inſignes Abana & Pharphar, quorum hic urbem Damaſcum alluit, ille mediam ſecat. Hanc vallem affirmat fuiſſe multinominem. Nam hic vocatur בקעת און, *vallis iniquitatis*, ſeu, ut habet Vulgata, *campus idoli*, nec non בית עדן, *domus voluptatis*. Gen. 14. v. 15. חובה *Hoba*, ſi tamen ibi ponantur pro tota valle, & non potiùs pro oppido ad lævam Damaſci. Zach. 9. v. 1. חדרך *Hadrac*. A ſtrabone dicitur κοῖλον πεδίον, *planities concava*, ab incolis apud Geographum Nubienſem אלעוטה *algautha*. Polybii lib. 5. Ἀμύνη, עמיקא, id eſt, *profunda*.

6. *Eò quòd tranſtulerint captivitatem perfectam*, &c. Præmittitur Vates ruinam quinque ſatrapiis populorum Palæſtinæ in Ægypti confinio, qui Philiſtæi vocantur; quòd occulto odio & barbarâ crudelitate incenſi degentes apud ſe Iſraelitas vendiderint Idumæis, ut unà cum Iſraëlitis, quos ipſi Idumæi captivos ceperant, concluderentur in Idumæa longiùs à patria, ibique miſeræ ſervitutis jugum ſubirent. *Ignem ſe*, inquit Hieronymus, *in Gazæ muros & ædes, ſive fundamenta dicit eſſe miſſurum, qui univerſa devoret, & abſorbeat, & quia Palæſtinorum quinque legimus civitates, quæ propter aream injuriam percuſſæ ſunt plagis: poſt Gazam tranſiit ad Azotum, & rurſus ad Aſcalonem; & voce terribili comminatur habitatores Azoti ſe perditurum, & tenentem ſceptrum de Aſcalone, regiam videlicet poteſtatem, ſive tribum Aſcalonis: ut nullus ibi remaneat, ne ultimæ quidem ætatis homines, qui trementes artus baculo regente ſuſtentent. Rurſumque transfert manum ſuam, ut percutiat Accaron. Et quatuor enumeratis urbibus, reliquas Philiſtim civitates uno ſermone comprehendit: Et peribunt reliqui Philiſtinorum: quos aut Geth civitatem, aut omnes viros, qui ſuprà dictis urbibus ſubjacent, debemus accipere.* Idem excidium videtur Philiſtæis prænuntiatum, quo anno mortuus eſt Achaz Rex Judæ, Eſa. 14. à verſu 28. ad finem, & illatum ab Ezechia Rege Judæ 4 Reg. 11. v. 8.

9. *Eò quòd concluſerint*, &c. Tyriis irreparabilis prædicitur ſtrages, quòd nefariè, violato fœdere Salomonem inter & Hiram icto 3 Reg. 5. ita ut ſe fratres appellarent 3 Reg. 9. v. 13. Philiſtæos imitati, Iſraëlitas ad ſe commercii cauſâ divertentes Idumæ-

is

is divenderint. Hujus sceleris Tyrios redarguit & Joël c. 3. v. 4.

11. *Quòd persecutus sit in gladio fratrem suum*, &c. Irremediabili plagâ præcipuas Idumææ urbes Theman & Bosra se percussurum comminatur Deus, quòd Idumæi ex Esau progeniti cum Israëlitis ex Jacob ejusdem Esau fratre prognatis immisericorditer se gesserint, implacabilésque inimicitias perpetuò exercuerint.

12. *Ædes Bosræ.* Bosra præter Amos Idumææ diserte ascribunt Esaias cap. 34. v. 6. & 63. v. 1. Jeremias cap. 49. v. 13. & Jobab Idumææ Rex in Bosra natus dicitur Gen. 36. v. 33. & 1 Par. 1. v. 44. Tamen Jerem. 48. v. 24. Bosra censetur inter urbes Moabitarum. Itaque vel gemina fuit Bosra, vel eadem urbs in Idumæorum & Moabitarum confinibus sita, indiscriminatim utrorumque regioni adscribi potuit.

13. *Hæc dicit*, &c. Ammonitarum excidium, eorúmque metropolis Rabath, seu Rabba internecionem prædicit futuram, quòd הרוֹת, id est, prægnantes, seu, ut alii vertunt, montes Galaad interseciderint, ut ditionem prolatarent.

14. *In ululatu.* Ululatus hîc vocatur clamor inconditus, qualem milites edunt in conflictu.

In turbine. Scilicet, bellico.

In die commoticnis. Heb. ad verbum, *in die procellæ.* Procella propriè significat tempestatem, sed Metaphoricè accipitur pro omni periculo, & rebus adversis, unde illud Senecæ: *Quantis fortuna procellis disturbet omnia.*

15. *Ibit Melchom in captivitatem*, &c. Id est, Rex eorum in captivitatem abstrahetur cum principibus suis. Hieronymus putat vòce *Melchom* significari idolum Ammonitarum, & per *Principes* intelligi eorum sacerdotes, ut interpretantur LXX. Q. d. *Idolum Ammonitarum, quod vocatur Melchom, id est, Rex eorum, feretur in Assyrios, & Principes ejus, id est, Sacerdotes ejus pariter abducentur.*

CAPUT II.

1. *Hæc dicit Dominus*, &c. Miſerandæ animadverſionis exitium comminatur Moabitis, quòd cùm tres Reges, ſcilicet Rex Iſraël, Joſaphat Rex Judæ, atque Rex Edom, conjunctis copiis Moabitas Iſraëlis Regi rebelles oppugnarent, Meſa Moabitarum Rex Kir-haraſethæ ſe cum ſuorum reliquiis includere coactus, eruptione inde factâ, filium Regis Edomæorum primogenitum cepit, & eum in holocauſtum ſuper murum obtulit, ut videre eſt, 4 Reg. 3.

Oſſa Regis Idumææ. Rex vocatur primogenitus Regis Edom in holocauſtum ſuper murum Kir-haraſethæ oblatus, quia pro patre regnaturus erat.

2. *Ædes Carioth.* Auguſtinus Lubin Galliarum Regis Geographus ordinarius in indice Geographico in Annales Uſſerianos putat eandem urbem hîc vocari *Carioth*, קריות, quæ loco mox laudato Regum vocatur קיר־חרשת, *Kir-haraſeth* ſeu, ut Uſſerius effert, *Kir-hareſeth*, ſeu, *Kir-hareſetha*.

4. *Hæc dicit Dominus*; &c. Quæ ab Amos prædicitur regno Judæ, Tyriis, Idumæis, Ammoni & Moabitis funeſta calamitas cladis, & acerba luctûs atrocitas, ex Jeremia, & Ezechiele obveniſſe colligitur ſub Nabuchodonoſor Rege Babylonis.

6. *Hæc dicit Dominus*, &c. Paucis contra alias gentes prolatis, locutus eſt Amos contra Judam, ut viam ſibi muniret ad Iſraëlitas, ſeu decem tribus, in quos potiſſimùm ſuo vaticinio invehitur, quod turpi ac vili lucro corrupti, nullâ habitâ juris ratione, innoxium, pauperémque damnent immiſericordiâ egenos opprimant, & ſiquem eorum miſeret, ipſius conſortium vitent; inceſtibus ſe polluant, & in idoliis ſuis ſuper veſtimentis vi in pignus extortis accubent, ibique vinum multatitio innocentium argento emtum combibant.

7. *Qui conterunt ſuper puluerem terræ capita pauperum.* Id eſt, immanſuetiſſimi ſunt in pauperes, השאפים על עפר ארץ בראש דלים, quod eſt ad verbum, *Qui anhelant ad puluerem terræ, qui ſparſus eſt in pauperum capita*, Senſus eſt, Q. d. Bona pauperum, quantula quantula ſint, inhiant.

Viam humilium declinant. Heb. ודרך ענוים ישו, quod optimè vertitur in editione Anglicana, *And turn aſide the way of the meek.* Q. d. Adeò immiſericordes & immites ſunt, ut cum iis, qui ſortem pauperum miſerantur, dexteras ſociare nolint.

Filius

Filius ac pater, &c. Hoc Apostolus diceret: *Omninò auditur inter vos fornicatio & talis fornicatio qualis nec inter gentes; ita ut uxorem vel concubinam) patris sui aliquis habeat?* 1 Cor. 5. v. 1. Gentes autem audientes infanda hujusmodi scelera perpetrari à populo Dei, Deum quasi scelerum autorem, aut iniquum permissorem probris infectantur.

8. *Et super vestimentis*, &c. Sensus hujus versiculi manet perspicuus ex mox dictis v. 6.

9. *Ego autem exterminavi Amorrhæum*, &c. Amorrhæi Chananææ montanis insedérant; sed plerique Jordanem transgressi bellum intulere Moabitis & Ammonitis, & occupaverunt Basan & Hesebon, & quicquid terrarum est inter fluvios Arnon & Jeboc, seu Jabok; in cujus victoriæ memoriam Poëta Chananæus scripsit Epinicium, quod Moses scriptis suis Num. 21. v. 27. inserere dignatus est. Vide Num. 13. v. 30. Jos. 5. v. 1. & 13. v. 25. Deus autem populo Israëlitico tempus introductionis in Chananæam Abrahæ promissam suspenderat Gen. 15. v. 16. ab impletione mensuræ peccatorum Amorrhæorum, ob quam ipsis excidium totale decretum fuerat.

Cujus altitudo, &c. Amorrhæi dicuntur fuisse proceritate cedris, robore quercubus pares, quia gigantes Rephaim, quorum unus fuit, Og Rex Basan, vel ex Amorrhæorum genere, vel Amorrhæis erant permixti. Vide Deut 2. v. 20. & 3. v. 11.

Contrivi fructum, &c. Q. d. Amorrhæorum gentem gloriâ & fortitudine maximam funditùs delevi, fructus & radices ejusdem gentis, id est, patres & filios radicitùs extirpavi, quo Israëlitas eductos ex Ægypto, pérque quadraginta annos in deserto pastos mitterem in possessionem terræ eorumdem Amorrhæorum. Vide Num. 21. v. 33, 34, & 35. Deut. 3. 1, & 11.

11. *Et suscitavi*, &c. Q. d. Numquid non ex vobis, O Israëlitæ, assumsi Prophetas & Nazaræos, quorum doctrinâ & exemplo ad virtutis studium excitaremini vividiùs? De ritu Nazaræorum vide Num. 6. Hos Lucas Evangelista Act. 21. v. 23. vocat *votum habentes super se.*

12. *Et propinabitis*, &c. Q. d. *In tantam rabiem prorupistis, ut inebriaretis Nazaræos meos vino, quibus præceptum est, ut omne quod inebriare potest non bibant, & Prophetis mandaretis ne ullo nomine meo prophetarent.* B. Hier. Sic Amasius Sacerdos Bethel præcepit Amos cap. 7. nè prophetaret.

13. *Ecce ego*, &c. Id est, propediem premam vos tot & tantis calamitatibus, ut dentibus strideatis, quemadmodum plaustrum fœni manipulis prægravatum, dum trahitur, stridere facit. Ita Theodoretus.

14. *Et peribit fuga*, &c. Q. d. Cùm verò [illegible]

ingruerint, nemo quantumvis velox fugere poterit, ſuiſque viribus deſtituentur robuſti, ne ſalvi evadere poſſint.

15. *Et tenens arcum*, &c. Id eſt, armatus quiſque præ metu terga vertet, nec quiſquam pedes curſûs velocitate, aut eques celeritate equi interitum effugere poterit.

16. *Et robuſtus corde*, &c. Q. d. Quinimò & animoſus quiſque inter ſtrenuos milites trepidabit, & præ tremore abjectis armis, aliiſque militaris diſciplinæ inſtrumentis, fugâ ſaluti ſuæ conſulere tentabit.

CAPUT III.

1. *Super omnem cognationem*, &c. Ex his verbis colligit Hieronymus hæc dici contra duodecim tribus, cùm omnes ſint eductæ ex Ægypto, unámque conſtituant cognationem ex duodecim fratribus ortæ.

2. *Tantummodò vos cognovi.* Id eſt, vos tantùm ex omnibus gentibus elegi ut eſſetis mihi in populum peculiarem. Vide Commentarium noſtrum in Oſ. 1. v. 6.

Viſitabo ſuper vos. Id eſt, animadvertam in vos.

3. *Numquid ambulabunt*, &c. Hoc eſt, quemadmodum fieri non poteſt ut duo ſimul eamdem inſiſtant viam, niſi priùs convenerint in unum locum; ita niſi Prophetis cum Deo conveniret, futura ſoli Deo nota prædicere nullatenùs poſſent.

4. *Numquid rugiet*, &c. Ut Deus jam commerito ſupplicio malos afficiens aſſimilatur leoni obvia quæque frangenti & dilaceranti; ſic idem futuram vindictam per Prophetas prænuntians cum rugiente leone comparatur. Etenim in rugitu leonis hoc maximè terribile eſt, quòd hac quaſi clarigatione, aut hoc claſſico, ſi mavis, bellum indicit; & poſt rugitum ſtatim ſequitur ſtrages, & dilaceratio. Niſi enim videat prædam, in quam protinùs irruat, non ſolet rugire acri illo & contento rugitu, quo reboat totus æther, & longe ſuperatur fragor Gangis maximi Indiæ fluvii, qui viginti fluviis auctus magno impetu per ſcopuloſa & abrupta rejicitur, ut videre eſt apud Bochartum Hierozoici p. 1. lib. 3. cap. 2. Ita Deus verbi ſui tonitru, & minaci prædicatione mundum terret, cùm homines per ſcelera ſua quodammodo in laqueos ruere, & juſtitiæ ſuæ ex his quaſi prædam paratam eſſe animadvertit; cùm enim Deus ſit juſtus & verax, ne-

nequaquam inanibus minis cuiquam obſtrepit. Mens itaque Amos Prophetæ in præſenti verſiculo videtur eſſe eadem ac ſi dicat: O Iſraëlitæ, Deum auditis ſubinde rugientem, & Prophetas omnes, quos ille ceu leunculos ſuo ſpiritu excitat, uno conſenſu dira comminantes; nolite putare hæc incaſſùm fieri, aut Deum minarum ſuarum veritati defuturum, ſi nunc tandem non reſipiſcatis.

5. *Numquid cadet avis*, &c. Q. d. Quemadmodum avis non cadit temerè in laqueum, nec laqueus tolli ſolet antequam quid ceperit; Sic homines non fortuitò, ſed juſto Dei judicio in acerbiſſimas clades incidunt, quas obſtinatis impendere Deus per Prophetas ſuos prænuntiabit.

6. *Si clanget tuba*, &c. Q. d. An clangi ſolet tubâ, ut adventans hoſtis indicetur, quin ſtatim unuſquiſque ſibi ſuiſque metuat rebus? Quomodo igitur vos, ô Iſraëlitæ, nullo omninò pavore percellimini, cùm imminentes vobis divinitùs calamitates miſſi à Deo prophetant?

Si erit malum in civitate, &c. Autor eſt calamitatum & malorum, quæ hominibus accidunt, Deus, ſed diabolo, & hominibus, per quos ea inferuntur, tanquam miniſtris & inſtrumentis utitur, ut eos vindictæ ſuæ faciat executores, etſi ſæpè id illi ipſi, qui exequuntur, non agnoſcant. Philaſtrius Brixienſis in catalogo Hæreſeon, quæ ſub Apoſtolis extiterunt, cap. 31. *Coluthiani à Colutho quodam ita dicti ſunt in Ægypto, qui dicunt Dominum malorum non eſſe factorem. Contrà autem alter quidam apponebat dicens; Dominum malorum eſſe factorem. Qui & ipſe eſt hæreticus pariter: & cùm utrique contentione ferrentur inani, neſcierunt potentiam rationis. Scriptura enim Deum facere bona, & nihilominùs & mala facere prædicavit; cùm dicat Propheta: Si eſt, malitia in civitate, quam Deus non fecit? Sed mala iſta non naturâ eſſe, dixit Scriptura, à Deo facta, ſed cauſis exiſtentibus; hominum ſcilicet in Lege peccantium Domino* &c. Aug. De Hæreſibus ad Quod vult Deum Hær. 65, & 66. *Colluthiani à quodam Colluthо* Alexandrinæ Eccleſiæ Prebytero, tempore Alexandri Epiſcopi Alexandrini & Arrii Hæreſiarchæ, *qui dicebant Deum non facere mala, contra illud quod ſcriptum eſt: Ego Deus creans mala. Floriniani à Florino* beati Polycarpi auditore, S. Irenæi condiſcipulo, Romanæ Eccleſiæ Presbytero, *qui è contrario dicebant Deum creaſſe mala, contra id quod ſcriptum eſt, Fecit Deus omnia, & ecce bona valde. Ac per hoc, quamvis contraria inter ſe dicentes, tamen ambo divinis eloquiis reſiſtebant. Creat enim Deus mala, pœnas juſtiſſimas irrogando, quod Colluthus non videbat: non autem malas creando naturas atque ſubſtantias, in quantum ſunt naturæ atque ſubſtantiæ, ubi Florinus errabat.* Col-

luthi hæresin non fuisse diuturnam, ac statim dissipatam esse testatur Epiphanius Hær. 59. quæ est Arrianorum, Num. 2.

7. *Quia non fecit*, &c. Q. d. Neque enim Deus universum populum punire solet, quin eum si salutis ipsius intersit præmoneat per servos suos Prophetas de impendente sibi strage, ni resipiscat.

8. *Leo rugiet*, &c. Iam quia Israëlitæ Prophetas incusabant, quasi malorum prædictione sese oblectarent, ait Amos se vi quadam divinâ ad id adigi, adeò ut hoc prædicandi munus nullo modo possit defugere. Si enim leonis rugitu omnes moventur, quantò magis Dei mandato ii moveri debent, quos constituit Deus verbi sui præcones? Jonæ malè cessit quòd prophetandi munus à Deo sibi impositum detrectaret. Non fuit tamen semper penes Prophetas Deo obluctari, & spiritum in se loquentem tanquam ex sinu suo excutere. Balaam enim invitus ei populo benedicit, cui maledicturus venerat. Similiter Jeremias, cap. 20. v. 9. cùm apud se constituisset non prophetare amplius, ait se sensisse loquendi necessitatem sibi impositam. Sic vates Thyodamas apud Statium lib. 10. Thebaidos, si non sit nefas sacris nostris hæc profana miscere,

Prosilit in medio, visu auditúque tremendus,
Impatiénsque Dei, fragili quem mente receptum
Non capit.

Rugiet, &c. Leonis rugitus valdè sonorus est, & dirum aliquid habet, & ominosum, quódque comparatum videtur ad terrorem incutiendum Basilius in Hexaëmeron homiliâ nonâ Ὧι καὶ τηλικαῦτα τῆς φωνῆς τὰ ὄργανα ἡ φύσις ἐνέθηκεν, ὥστε πολλὰ τῶν ζώων ὑπερβάλλοντα τῇ ταχότητι μόνῳ πολλάκις ἁλίσκεσθαι τῷ βρυχήματι. Quod sic Latine expressit Ambrosius in Hexaëm. lib. 6. cap. 3. *Cujus vocis tantus naturaliter inest terror, ut multa animantium, quæ per celeritatem essent impetum ejus evadere, rugientis ejus sonitu, velut quadam vi attonita, atque icta deficiant.* B. Hier. in Os 11. v. 10. *Natura leonum esse dicitur, ut cum infremuerint, & rugierint, omnia animantia contremiscant, & fixo gradu se movere non possint, tantus pavor est, & tanta formido.* Glossa vetus ex Remigio Altissiodorensi in hunc locum, *Leo, cùm famem patitur, si videt prædam, dat rugitum, quo audito feræ stant fixo gradu stupefactæ.* Proinde apud Plutarchum in Crassi vita, Parthi ad prælium se comparantes, ut hostes metu percelerent, partim æreis crepitaculis, partim militari ululatu profundum quiddam & dirum rugitu leonino, & tonitrûs asperitate mistum exprimebant. Quod successu non caruit. Nempe, ut idem addit, τῶν

ἀνθητηρίων

αἰσθητηρίων ἀκοὴ ταρακτικώτατόν ἐστι τῆς ψυχῆς· καὶ τὰ περὶ ταύτην πάθη ταχιστα κινεῖ καὶ μάλιστα ἐξίστησι τὴν διάνοιαν. *auditus omnium sensuum maximè turbat animum, ejusque affectus Ocyssimè ciet, ac potissimùm mentem de statu dejicit.*

9. *Auditum facite*, &c. Philistæi & Ægyptii Israëlitarum jurati hostes advocantur in montes totius regionis, cujus metropolis erat Samaria in clivo sita 3 Reg. 16. v. 24. spectaturi nequitiam invisi sibi populi propediem divinitùs ulciscendam.

10. *Nescierunt facere rectum*, &c. Q. d. Nullis servatis justitiæ regulis sibi divitias pepererunt.

11. *Propterea*, &c. Q. d. Ut par pari referatur, tanto hostium impetu res Israëlitarum diripientur, & dissipabuntur, quantâ ab illis cupiditate & injuriâ quæsitas & partas constat.

12. *Quomodo si eruat pastor*, &c. Israëlitarum reliquias ab hostium insultu Dei potentiâ servandas comparat ovi, cujus portiunculam ex ore leonis pastor eripit. Q. d. Pauci & ignobiles evadent, quomodo ex ore leonis pastor eripit tibiam, aut בדל אזן, lobum auris, quæ, reliquo corpore ad famem explendam devorato, neque carnis usu, neque sanguinis gustu juvare comedentem possunt. Sic qui ex toto Samariæ corpore, quæ omnium Israëliticarum urbium postrema hostilem famem explebit, eruentur divinitùs, erunt hosti inutiles, utpote qui lecto detenti, & longâ valetudine debilitati, præ macie atque imbecilitate vix sese ab angulo lecti movere & revolvere poterunt, aut ab altera sponda in alteram convertere.

In Damasci grabato. Arias Montanus putat hoc loco nomen *Damasci* significare cunæ genus longo & diuturno morbo laborantibus olim factitatum.

13. *Audite*, &c. Q. d. Attentos vos velim ad verba mea, ut ea palàm nuntietis Jacobi posteris, dicit Dominus Deus exercituum.

14. *Quia*, &c. Prædicit fore ut Assyrii cùm Deus in Israëlitas, quos ipse non tam ulcisci studet, quàm sanare, adimadvertet, & Altaris Bethelici capitella in angulis cornuum instar in altum porrecta amputentur, ipsáque altaria diruantur. Per numeri enallagen Bethelicum altare vates appellat *altaria*, sicut legimus, *flumina Nili, montes Sion*, & de altari Jerosolymitano, *altaria tua destruxerunt*, Sunt tamen qui scribunt Jerosolymis in Templo fuisse duas aras, & in urbe Bethel progressu temporis plura fuisse èxtructa altaria variis idolis, cùm primò nonnisi unum in ea fuisset erectum vitulo aureo. Quod aiunt colligi ex Oseæ 8. v. 11. & 10. v. 1.

15. *Percutiam*, &c. Id est, secundum Theodoretum, non splendidas duntaxat ædes, sed obscuras quoque & viles demoliar, igníque

ignísque vaſtandas tradam; ſimúlque cum domibus ad hyemandum comparatis domos laxas ad æſtatem tolerandam accommodatas incendam. Erat autem olim mos Regum ut vel duas domos haberent, æſtivam videlicet, & hyemalem, utì patet Jerem. 36. v. 22. vel in una eadémque domo haberent duo cœnacula, æſtivum alterum, alterúmque hyemale, ut patet ex Judic. 3. v. 20. & Jerem. 22. v. 14.

Peribunt domus eburneæ. Id eſt, eburatæ, vel eboris inſtar ſplendidæ.

CAPUT IV.

1. *Audite*, &c. Alloquitur Amos regiæ urbis Samariæ potentiores, qui ex pauperum ſpoliis opes ſuas contraxerant, ut Cyclops, qui apud Virgilium,

Viſceribus miſerorum, & ſanguine paſcitur atro.

Vaccæ pingues. Heb. *Vaccæ Baſan*, id eſt, tam pingues, quàm vaccæ in uberrimis paſcuis Baſan ſaginatæ. Neque eſt neceſſe ut cum Hebræis potentiorum uxores intelligamus; nam viri quoque poſſunt conferri cum vaccis Baſan, non ſexûs ratione, ſed pinguedinis. Quomodo Juda aſſimiliatur לביא, leænæ Gen. 49. v. 9. Similiter Gad in veritate Hebraica Deut. 33. v. 20. & David cum ſuis 2 Sam. ſeu Reg. 17. v. 8. urſæ catulis orbatæ comparatur. De cetero ne quis miretur *Baſan*, non rarò per *pingua* reddi, & pro *tauris Baſan*, *& vaccis*, verti *tauros & vaccas pingues*; & *altilia*, *montémque Baſan* transferri *altilia pinguia*, *& montem pinguem*: duo hîc ſunt obſervanda. Primò, paſcua Baſan, cùm uberrima fuerint & pinguiſſima, pinguia dici haud immeritò tam ipſum montem Baſan, quàm pecora in eo ſaginata, quæ arvinâ diſtenta, ac quaſi differta fuiſſe vero conſentaneum eſt. Secundò illam ipſam vocem Baſan ſignificâſſe pinguedinem. Hieronymus in Eſ. 33. *Baſan regio trans Jordanem, quam duæ & dimidia tribus poſſederunt, & quæ interpretatur uberrima & pinguis.* Idem in locis cap. de Numeris, *Baſan, bruchus, ſive pinguedo. Nam quod interpretari ſolet ignominia vel confuſio, Baſa dicitur.* Hæc licèt Hebræos latuerint, verè à B. Hieronymo obſervari probat vir inexhauſtæ eruditi-

onis

onis Bochartus ex Arabibus, quibus *Bathſana* & *Bathſania* eſt *terra facilis*, id eſt, facilè arabilis, *mollis & fertilis*; ſicque vocatur *regio prope Damaſcum, ex qua optimum triticum, & arena mollis*, inquit Alcamus Lexicographus Arabs. Inde igitur nomen agro in Judæa feraciſſimo trans Jordanem inter torrentes Arnon & Jeboc, qui Hebræis dicitur *Baſan*, Arabibus *Bathſana*, vel *Bathſania*, Syris *Mathnin*, Chaldæis *Mathnan*, *Buthnan*, & *Bathania*, Græcis *Batanæa*. Hujus paſcua mirificè in commentariis ſuis in præſentem Amoſi verſiculum extollunt Hieronymus, Cyrillus, & Theodoretus. *Vaccas pingues*, inquit Hieronymus, *ſe eſſe noverint, ſive quæ nutriantur in paſcuis Baſan, quæ ſunt loca herbarum fertiliſſima.* Δαμάλεις ἢ αὐτὰς τ Βασανίτιδ ὑνομάζει. ἀτ ἀβροδιαίτους καὶ χλιδῆ παντοδαπῆ κεχρημένας. τοιαῦτα γὰρ τὰ βασανίτιδος αἰ δαμάλεις, διὰ μαλακίαν ἀφθονίαν σωρεύσει. *Eas autem appellat juvencas Baſanitidis, tanquam molliter viventes, & omnigeno luxu diffluentes; ejuſmodi enim erant vaccæ Baſanitidis, ob pabuli copiam exultantes*, inquit Theodoretus. Χώρα ἡ Βασανίτις ἀξιόλογός τε, καὶ εὐάνδρε καὶ πολὺ λίαν ὠφέλιμος εἰς ἴσχυσε τροφὴ τῶ δωμάζῃ κατασπείρει ἀμφιλαφῶς τὰ ἐν αὐτῇ βοσκήματα. *Baſanitis regio paſcua, & florida eſt, & idonea imprimis ad pecora, quæ in ea paſcuntur ubertim ſaginanda*, infit Cyrillus Alexandrinus. Apud Tzetzem Chil. ic. Hiſt. 306. Βασὰν κατά τινας Σκυθῶν λίγελα πόλις ἔῆ. *Baſan juxta nonnullos Scythopolis eſſe dicitur*, magno errore. Aliud enim Baſan regio, aliud Bathſan oppidum, quod Græcè Σκυθόπολις dictum eſt, non tamen à Scythis, ut volunt; ſed quia ſpinæ genus שמיטה *Schitta* ibi crescebat affatim.

Calumniam facitis egenis. Id eſt, egenos nefariè opprimitis.

Confringitis. Id eſt, expilatis.

Quæ dicitis dominis veſtris, &c. Q. d. Vos opulenti Samaritanorum montium incolæ dicitis principibus veſtris, ſeu ut habet veritas Hebraïca, *ipſorum*, ſcilicet pauperum, terrore ab omnibus quantumvis indigis extorquete unde compotemus, ſeu, lautè vivamus, & dapibus epulemur opimis.

2. *In ſancto ſuo.* Id eſt, per ſanctitatem ſuam, ſeu, per ſemetipſum; Deus enim ipſa eſt ſanctitas, nullâ vitii maculâ marceſſibilis. Dicitur autem jurare per ſeipſum Deus, quando ut fidem hominibus faciat, etiam nomen ſuum interponit, & ſanctitatis ſuæ mentionem facit, ut firmiter credant, æquè inviolabile & indeflexum eſſe, id quod dicit, quàm ipſius vita eſt æterna & immutabilis, ipſiúſque ſanctitudo intemeranda & immarceſſibilis, ipſúmque ea, quæ jurat, facere velle, ſive ad virtutes ſuas manifeſtandas, ſive, quia ſeipſum abnegare non poteſt.

Levabunt vos in contis. Heb. ונשא אתכם בצנות, *& tollet vos*, hoſtis ſcilicet, *ſpinis maximè aculeatis, ſeu, leucacanthis*,

this, ut vertit clarissimus Joannes Plantavitius Episcopus Lodovensis in suo Thesauro Synonymico Hebraïco-Chaldaïco-Rabbinico. Sensus est idem ac si dicat, Propediem vi hostis vos captivos abiget.

Reliquias vestras in ollis ferventibus. Heb. ואחריתכן בסירות, דוגה *& posteritatem vestram in spinis*, seu *hamis piscatoriis.* Q. d. Neque posteros vestros leviores manent pœnæ.

3. *Et per aperturas exibitis*, &c. Q. d. Atque ita vos divites Samariæ ratione pinguedinis vaccis assimilati vaccarum instar præeuntem semper subsequentium, per muri rupturas invicem subsequemini in fugam si potestis.

Et projiciemini in Armon. Heb. והשלכתנה ההרמונה, quæ vulgò vertunt, *& conjicietis vos in palatium:* ut sensus sit, ac sic dicat, Qui vero ex vobis per aperturas, quas hostis fecit rupto muro effugere non poterunt, in arcem confugient. Plerique veteres vocem הרמונה interpretantur, quasi sit composita ex ר & רמן, vel מונה. Jonathan ita reddit præsens Hemistichium, *Et deportabunt vos ultra montes* הרמיני *Armeniæ.* Hieronymus, *Et projiciemini in locis Armeniæ, quæ vocantur Armona. Denique Symmachus ita interpretatus est: Et projiciemini in Armenia. Pro quibus* LXX. *montem Remman, Aquila montem Armona, Theodotio montem Mona, quinta autem editio excelsum montem transiulerunt.* Suspicatur clarissimus Bochartus מונה *Mona* esse idem cum מני *Mini*, seu *Minni* Jerem. 51. v. 27. Quia verò Jeremias ibi regionem *Mini* vel *Minni* nominat cum Ararat, id est, Corduene, & Chaldæus tam loco laudato Jeremiæ, quam Mich. 7. v. 12. pro מני habet הרמני, Armeniam, & vox Armenia videtur conflata ex הר & מני, id est, *Mons Mini*, conjicit idem Bochartus Armeniæ partem Gordyænæ proximam primò sic appellatam, à qua deinceps tota Armenia appellationem traxerit, háncque Minyadis nomine significatam, cùm Nicolaus Damascenus ait, Ἐστὶν ὑπὲρ τὴν Μινύαδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν βάρις λεγόμενον, εἰς ὁ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακυλισμοῦ λόγος ἔχει περισωθῆναι καὶ τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τὴν ἀκροφρείαν ὀκεῖλαι, καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι. *Est super Minyadem ingens in Armenia mons Baris dictus, in quo fama est evasisse ex diluvio multos, unum verò in arca vectum ad verticem appulisse, & lignorum reliquias ibi diù servatas.*

4. *Venite*, &c. Sarcasmus est, aut ironia, ut Ezech. 20. v. 39. *Singuli post idola vestra ambulate, & servite eis.* Sic Juven. Sat. 12.

I nunc, & ventis animam committe.——

Sensus

Sensus itaque est idem ac si dicat, O immiserabiles Israelitæ, venite ad idolia vestra in Bethel & Galgala; pergite prævaricatores idola præferre, Deo vero festinate afferre victimas vestras simulachris, quæ colitis, & decimas Levitis, peregrinis, pupillis, & viduis quolibet triennio constitutas Deut. 14. v. 28. vos idolorum vestrorum sacrificulis quolibet triduo persolvite.

5. *Et sacrificate* &c. Q. d. Panes fermentatos sacrificio Eucharistico adhiberi solitos ex Levit. 7. v. 13. in gratillas idolis adolendas & gratulabunda idolothyta convertite; complacitam vobis idolothysiam promulgate, omnésque ad eam invitate, dicit Dominus Deus vestræ vos voluntati permittens.

6. *Unde & ego*, &c. Q. d. Cùm ego in scelerum vestrorum vindictam in omnibus urbibus & locis vestris magnam immiserim vobis famem, nec tamen vos peccatorum vestrorum pœnituit, ut resipiscentes ad me Deum omnium parentem converteremini.

Stuporem dentium. Heb. נקיון שנים, *munditiem dentium.* Id est, inediam cum edendi cupiditate.

Indigentiam panum. Heb. חסר לחם, *defectum panis*, id est, annonæ caritatem cum penuria.

7. *Ego quoque*, &c. Q. d. Ut vos vividiùs ad pœnitentiam excitarem, ubi frumentum terræ sulcísque creditum, ac natum in herbam crevisset, mense ante messem tertio inhibui pluviam, ut vocant, serotinam, cujus opportuno succo impleri, & fœcunda reddi sata solent. Quo autem certiùs vobis innotesceret non casu, aut temerè, sed meæ dispositione providentiæ accidisse in aliam civitatem implui, in aliam non implui, & parte unâ implutâ, in altera, (Stat. 4. Theb.)

——————Haurit sitis ignea campos,
Diffugêre undæ, squallent fontésque lacúsque,
Et cava ferventi durescunt flumina limo.
Ægra solo macies, tenerique ab origine culmi
Inclinata seges, deceptum margine ripæ
Stat pecus, atque amnes quærunt armenta notatos.

8. *Duæ & tres civitates*, &c. Particula & disjunctivè sumitur, Q. d. Duæ trésve civitates, in quibus scilicet summa erat ubique siccitas.

9. *Comedit eruca.* Heb. גזם, *gazam*, locustæ species. Narrat Amos cladem illatam per locustas planè diversam ab ea, quam Joël prædixerat futuram, ut multis probavimus Joël 1. v. 4. Hæc præcessit messem, & cum siccitate, uredine, & rubigine conjuncta fuit. Nempe in siccitate locustas uberiùs provenire

jam

jam obſervavimus Joël 1. v. 19. & eaſdem in Ægyptum impellit ventus קדים *Kadim*, Exod. 10. v. 13. à quo ipſo vento שדפון & ירקון, *uredo*, & *rubigo*. Unde eſt quòd utrumque malum ἀνεμοφθορία Græcè dicitur. Et in Græca paraphraſi Agg. 2. v. 18. pro rubigine occurrit, & Deut. 28. v. 22. & 2 paral. 6. v. 28. pro uredine. Quod ſequuntur Aquila, Symmachus, & Theodotio in hoc ipſo Amoſi loco, in quo verſamur, ubi LXX. ἐν πυρώσει. Et Gen. 41. v. 6, & 27. ſpicæ uredine percuſſæ à vento *Kadim*, in Græca editione uno verbo vocantur ἀνεμόφθορα. Ab eodem igitur vento *Kadim*, à quo ficcitas, uredo, & rubigo, locuſtæ quoque adductæ in terram Iſraëlitarum, hortos & vineas, id eſt, hortorum & vinearum proventum, ſiccúſque, & oleas conſumſerunt, hoc eſt, omnium fructus arborum. Nam præcipuæ nominantur, & hortorum nomine reliquæ continentur. Hîc enim *horti* ſunt *Paradiſi*, ut Syrus interpres rectè reddit: id eſt, agri conſepti, & omni plantarum genere conſiti. Hîc porrò cùm neque paſcuis, neque ſegetibus infeſtus fuerit *Gazam*, ſed ſolos arborum fructus dicatur depaſtus, huic locuſtæ ſpeciei potuit id eſſe proprium, ut non aliunde veſceretur, quàm ex arborum proventu. Atque ipſum nomen id ſuadet; ut enim diximus Joël 1. v. 4. apud Talmudicos, Arabes, & Æthiopes verbum גזם *Gazam* eſt, *abſcindere*, *amputare*, non quidvis, ſed *arborum ramos*.

In vento urente & aurugine. Heb. *uredine & rubigine.*

10. *In via Ægypti.* Q. d. Eo tempore, quo Ægyptum petebatis opem imploraturi, vos lue graſſante ſum infectatus, & peteuſſi in gladio juvenes veſtros, & equos, quos contra præceptum meum vobis multiplicaveratis, in captivitatem appuli: & fœtorem exercitûs morientis immiſi in nares viventium: nec ſic commeritis quaſſati ſuppliciis, ad me pœnituri rediiſtis, dicit Dominus.

11. *Subverti*, &c. Q. d. Nonnullas regiones, atque urbes veſtras ad extremam vaſtitatem redegi, quomodo olim redegeram Sodomam & Gomorrham, & quotquot ab hoc publicæ calamitatis incendio fugâ arreptâ evaſiſtis, non tamen penitùs tantæ ſtragis expertes fuiſtis, adeo ut horridi & ſqualidi, titioni ambuſto ex igne erepto ſimiles, nec recîſtis ad me, dicit Dominus.

12. *Quapropter*, &c. Q. d. Quia toties tótque modis correptus, ô Iſraël, noluiſti ad me redire, impendet tibi excidium, niſi mihi ob horrenda ſcelera tua te excidere parato occurras emendatione vitæ in melius. *Hîc viventes quaſi occurrimus Deo, ſi præceptum, quod porrigitur, amplectimur; & quia paratus eſt ille ad ignoſcendum, occurrat et correctio ad pœnitendum ſed & quicumque propter*

pter amorem æternæ vitæ, non ſolùm ab illicitis abſtinet, verùm etiam à licitis coërcet, ſponte occurriſſe judicandus eſt. Nam, ut exempli gratiâ unum quodcumque dicamus, adulterio generaliter interdicto, ſimplex conjugium Lege permittitur; cui tamen virginitatis nitor ſine comparatione præfertur: unde qui dat nuptum virginem ſuam benè facit, & qui non dat melius facit. Hoc ergo debemas de omni obſervatione ſentire. Qui malè facit, fugit: qui benè, expectat: qui melius occurrit. Hæc Alcimus Avitus Viennenſis Epiſcopus, qui anno D. 517. Synodo Epaonenſi præfuit, in Serm. diei primi Rogationum apud Florum Diaconum Lugdunenſem.

Poſtquam autem hæc fecero. Id eſt, cùm hæc facere decreverim. Vide commentarium noſtrum in Mat. 26. v. 18.

13. *Quia ecce formans montes*, &c. Q. d. Facile quippe eſt Deo ad effectum perducere quod minatur; ille enim eſt qui montes condidit, ventúmque creavit, quo montes dejiciuntur, licèt naturæ ſit fluxæ, tantæque tenuitatis, ut oculorum aciem fugiat. Ille eſt, qui cogitationum ſecreta cognoſcit, & quid latens animus tacito ſermone tractet, intelligit. Ille eſt qui tenebras craſſiſſimas ac denſiſſimas in claram lucem, qualis manè eſſe ſolet, & vice versâ, auroram & claram lucem vertere poteſt in obſcuriſſimam caliginem. Ille eſt, qui calcare dicitur cacumina montium, & loca propter altitudinem hominibus inacceſſa, quia ei rebus omnibus altiori & ſublimiori omnia ſunt ſubjecta. Ille denique eſt, cui nomen Dominus Deus exercituum, quia omnes res creatæ, tam quæ in cœlo, quàm quæ in terra ſunt, ad nutum obediunt ei.

CAPUT V.

1. *Audite*, &c. Q. d. Præbete aures voci meæ flebili, & effuſæ, quæ lugubri hoc carmine aperit quàm ex animo vicem veſtram, ô Iſraëlitæ, doleam.

Domus Iſraël cecidit. Id eſt, cadet; præteritum pro futuro, more Prophetis familiari. Q. d. Domus Iſraël tanto nunc impetu & ſtrepitu eſt deſtruenda, quanto olim molimine, quantóque divinorum beneficiorum apparatu fuerat conſtructa.

Et

Et non adjiciet ut resurgat. Q. d. Quódque majori lamentatione dignum est, nunquam domus Israël destructa restaurabitur.

2. *Virgo Israël*, &c. Id est, gens, quæ ut pulchra virgo fuit aliquando dilecta, modò humi projecta, & spreta relinquitur, nec est qui redintegret, & reconciliet eam. *Quantum ad finem litteræ attinet & cæptam historiæ veritatem decem tribus, quæ appellantur Israël, ductæ in captivitatem, nequaquam ad terram suam posteà sunt reversæ.* B. Hier.

3. *Urbs*, &c. Significat Vates Israëlitas ad tantam hominum paucitatem redactum iri, ut se adversus ingruituros hostes defendere non possint, neque à casu & infortunio resurgere ad perfectam instaurationem.

4. *Quærite me & vivetis.* Præclarè Hier. *Mos est Scripturarum semper adversis læta subjungere, & posiquam tristia Deus fuerit comminatus, ad pœnitentiam eos, quos terruit, provocat.* Hortatur itaque Deus Israëlitas ad interitum ruituros, ut abjectis idolis, & spretis quibuscunque fubfidiis humanis, ipsius curæ & patrocinio sese committant, eúmque solum, ut autorem vitæ & felicitatis per spem, desideriúmque qnærant, & per bona opera ex ejusdem amore provenientia, atque mandatorum ipsius observationem ad illum pervenire festinent, remotis quibuscunque impedimentis.

5. *In Bersabee non transibitis.* Israël domesticis idolis suis, quæ habebat in Bethel & Galgala, non contentus, ad urbem Bersabee, quæ erat in tribu Juda ad meridiem, ejusdem tribûs idola culturus declinabat. Ita Hier.

6. *Quærite Dominum, & vivite.* Q. d. Aut Deo hortanti ut ipsum quæratis morem gerite, & vivite, aut immorigeri ultricibus divinæ justitiæ flammis unà cum idolis vestris consumemini.

Domus Joseph. Israël, seu decem tribus hoc nomine vocantur, quia primus earum Rex Jeroboam erat de tribu Ephraim filii Joseph.

Non erit qui extinguat Bethel. Q. d. Nec ab ingruente ultione ignis liberabitur Bethel inclytâ visione Jacob patriarchæ oblatâ Gen. 28. celebris.

7. *Qui convertitis*, &c. Q. d. Vos, qui suavitatem juris injustitiâ vestrâ & libidine vertitis in absynthii amaritudinem, dum justitiam atque æquitatem omnem fusque deque habetis, quærite eum, cujus nutu & providentiâ gubernantur omnia; ipse enim est, qui stellarum cursus atque constitutiones, lucis noctisque vicissitudines, pluviarum opportunitates ad hominum ceterorúmq; animantium vitam asserendam atque alendam fecit & ordinavit.

8. *Facien-*

8. *Facientem Arcturum*, &c. Arcturus Hebraicè עיש, & a Symmacho & Theodotione vertitur plejas, vulgò Bootes, Arctophylax. Helice, & urſæ majoris cauda vocatur. cujus ſtellæ ortus & occaſus tempeſtates facit. Orion autem, ſeu ut Plautus vocat, Jugula, Hebraicè dicitur כסיל, quod Symmachus abſolutè ſtellas, Theodotio veſperum, & R. Hieronymi in Hebræis magiſter interpretatus eſt ſplendorem ſeu generaliter aſtra fulgentia. *Quamvis autem audimus Arcturum & Orionem, non debemus ſequi fabulas, Poëtarum ridicula ac portentoſa mendacia, quibus etiam cælum infamare conantur, & mercedem ſtupri inter ſidera collocare; ſed ſcire Hebræa nomina, quæ apud eos aliter appellantur, vocabulis fabularum Gentilium in linguam noſtram eſſe tranſlata, qui non poſſumus intelligere quod dicitur, niſi per ea vocabula, quæ uſu didicimus, & errore combibimus. Unde & in Regum volumine Rephaim Hebræum Græci Titanas tranſtulerunt, quæ apud Ethnicos celeberrima fabula eſt: ex qua in laudes deorum ſcribunt γιγαντομαχίαν, & tela Typhœa. & impoſitum Enceladi Ætnam montem ad cujus motum Trinacria contremiſcat.* B. Hier.

Vocat aquas maris, &c. Id eſt, aquas maris ſalſiſſimas æthereo calore ſuſpenſas excolat & eliquat in dulcem aquæ pluvialis ſaporem, *inſtar medicinalis cucurbitæ, quæ calore ſuperioris gyri humorem & ſanguinem ſurſum trahit. Ex quo diſcimus unde ſint pluviæ*, inquit Hier.

9. *Qui ſubridet vaſtitatem* &c. Q. d. Ludus eſt ipſi, & res minimè tactu difficilis, robuſtiſſima quæque vaſtationi ſubjicere, & depopulationi potenter communita.

10. *Odio habuerunt corripientem.* Scilicet, *Prophetam.*

In porta. Id eſt, palàm in conventu & ſenatu pro reis haberi ſolito.

Loquentem perfectè. Hoc eſt, juſta loquentem, ut Chaldæus interpretatur.

11. *Idcircò*, &c. Q. d. Cùm tanta ſit, támque pertinax veſtra, O Iſraëlitæ, peccandi libido, ut impatientes correptionis correptorem morum veſtrorum odio, invidiáque inſectemini, debitas ſceleribus veſtris pœnas luetis, neque inhabitabitis ædes magnificè ſtructas ex pretio eorum, quæ capiebatis & tollebatis à paupere ipſis ad victum indigente; neque bibetis vinum ex amœniſſimis vineis quas ex eadem egenorum præda plantaſtis.

12. *Quia cognovi*, &c. Q. d. Neque enim me latent quanta ſint ſcelera veſtra, & quàm fortia peccata, quæ meam iracundiam provocant.

Hoſtes juſti, &c. Id eſt, juſtum hoſtiliter inſequuntur & acceptis muneribus corrupti, in inſontes pauperes ſævitis ipſiſque

cadere causâ cogitis, dum in portis urbium solemni more sedetis rerum arbitri.

17. *Ideo prudens* &c. Q. d. Atque ita viri cordati videres admonitionibus locum non esse propter gentis obstinationem, neque jus suum cuique reddi propter judicum corruptelam, consultissimum ducunt in silentio & spe latitare quoad melior affulgeat, & opportunior seculi & temporis conditio, quia levius sit patientiâ, quicquid corrigere nefas est.

14. *Quærite*, &c. Id est, studete virtuti, vitiáque fugite, ut benè vobis sit, Deúsque vobis exoptatò aderit.

15. *Odite malum* &c. Judicibus & magistratibus jubet, ut à vitiis animum ad honestatem convertant, & æquitatem in judiciis ferendis fervent; id est ut legibus potiùs, quàm libidini suæ ac commodis, datam sibi judicandi potestatem attemperent. In porta autem urbis ideò pro tribunali sedebant olim judices, *ut nec agricola ad causam veniens frequentiâ civitatis, & nova terreretur aspectu, nec urbis habitator longè ab urbe properaret, & subvestionem quæreret juvenentorum*, inquit Hier.

Si fortè misereatur, &c. Hæc phrasis non est dubitantis, sed in rei difficultate animos erigentis.

Reliquiis Joseph. Id est. iis qui residui fuerint è decem tribubus Israël, quarum primus Rex fuit Jeroboam oriundus ex tribu Ephraim filii Joseph.

16. *Propterea*, &c. Q. d. Nisi monitis meis paruëritis, dicit Deus exercituum, certa vos manet scelerum vestrorum vindicta tam severa, ut ululatus plateis omnibus & viis personent, ipsique agricolæ, agrorum cultu abjecto, lamentis & nænis ponant operas suas.

17. *Et in omnibus vineis*, &c. Id est, vinitores quoque plangent, quia vini penuria erit, neque vineæ ob publicas calamitates colentur, quia pervadam hostili more mediam regionem tuam cunctadi sperditurus, & instar flammæ voracis absumturus.

18. *Væ desiderantibus*, &c. Q. d. Lamentatione multâ digni sunt, quia Prophetarum oracula de manente impœnitentes vindicta irridentes, cum sannis & cachinnis dicunt, Veniat, veniat dies illa excidii toties intentata, & à Vatibus decantata, ut ad eam diem & voces jamdudum aures nostræ occalluerint. Illa quippe dies certo certius veniet, omniáque dura & acerba secum advehet.

Diem Domini. Vide Commentarium nostrum in Joël 1. v. 15. & 2. v. 1. & 2.

19. *Quomodo*, &c. Id est, ab una angustia in aliam devenietis, & qui malum unum evaserit, non evadet aliud cùm fugerit,

fugerit, quia calamitas calamitati superincidet. Quo sensu Latini dicunt,

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Hoc idem his verbis expressit Esaias cap. 24. v. 18. *Et erit, qui fugerit à voce formidinis, cadet in foveam, & qui se explicaverit de fovea, tenebitur laqueo.* Idem adagium usurpat Jeremias cap. 48. v. 44. Eadem est mens horum verborum Apocal. 9. v. 12. *Væ unum abiit, & ecce veniunt adhuc duo væ post hæc.* Et cap. 11. v. 14. *Væ secundum abiit, & ecce væ tertium veniet citò.* Eodem sensu apud Arabes usurpari hoc adagium, *Leonem fugiens incidit in ursum*, indicant duæ fabellæ, quas hîc ex clarissimi Bochharti versione subjicimus. Alkazvinius in libro de mirabilibus creaturarum ante quingentos annos scripto. *Leo contendit ad quemdam hominem. Is fugâ sibi consulens, confugit ad arborem, cujus ramis ursus insidens fructus ejus decerpebat. Quò se conferens leo sub arbore decubuit, certus expectare hominis descensum, ut eum devoraret. Homo interim viso urso, digito ad os admoto, ipsi innuit, quasi dixisset, Tace ne leo me hîc esse sciat. Et inter leonem & ursum remansit valde attonitus, donec educto gladiolo, quem secum habebat, ramum, cui innitebatur ursus, ita secuit, ut nonnisi parùm superesset. Atque ursi pondere confracto ramo, is in terram decidit. Et cùm in illum insiluisset leo, aliquandiu colluctati sunt, donec leo victor ursum discerpsit, & dimisit hominem, qui ex arbore descendens abiit incolumis.* En ejusdem farinæ fabellam alteram ex libro Arabico, cui titulus *Solertes*, cujus autor Ibnolgiauzi, *Vir quidam à leone fugiens, incidit in puteum, in quem etiam post eum decidit leo. In eodem puteo erat etiam ursus, cui dixit leo, Quamdiu hic fuisti? Respondit ursus, Per aliquot dies, itaque fames me enecat. Repossit leo, Ego & tu comedamus hunc hominem, ut satiemur. Respondit ursus, at cùm fames iterum urgebit, quid faciemus: Itaque in ea sententia sum, ut illi uterque jugulemus nos eum intactum relicturos: ut cogitet de liberatione nostra & sua: is enim ingenio nobis præpollet. Quod cùm illi jurâssent, non desistit is donec foramen reperisset, per quod in locum spatiosum devenit, atque ita liberatus etiam eos liberavit.*

20. *Num quid non tenebræ*, &c. Q. d. Profectò ita est, ut dixi, quando venerit dies, quâ vos commenta involvent supplicia auferetur omne lumen lætitiæ, & cuncta tenebris tristitiæ & mœroris obvolventur. Vide Comment. nostrum in Joël 1. v. 15. & 2. v. 1. & 2.

21. *Odi*, &c. Q. d. Idololatricis religionis vestræ solemnitates, & cœtus averfor, & idolothysiam detestor. *Odit Deus, & non so-*

lùm odit, sed & projecit festivitates eorum, qui non celebrant festivitates Dei sed festivitates suas; at hujusmodi hominum conventum non susçipit, nec habet in odorem bonæ fragrantiæ, inquit Hier.

22. *Quod si obtuleritis mihi*, &c. Q. d. Neque idolothyta duntaxat vestra dedignor & abominor, sed, & si mihi obtuleritis holocau omata, & pacifica saginata oblationem vestram despicabor. Perdespuo namque sacrificia, nisi qui ea affert, simul etiam seipsum mihi offerat; animum putà pium, diligentem Dei & proximi, quærentem gloriam Dei, corpus actionibus suis serviens spiritui, & omnia membra organa justitiæ.

Vota pinguium vestrorum. Heb. *pacifica pinguium vestrorum*, si tamen vox רִיא *mei* rectè redditur ad verbum *pinguis*; nam clarissimus Bochartus Hierozoïci p. 1. lib. 2. cap. 2. probat esse pinguissimi bovis speciem, qualem describit Bellonius lib. 2. cap. 10, adeò comptam & lævigatam, ut splendere videatur, & quasi lucis radios ex sese emittere. Hoc ipsum videtur esse vaccæ cœtus lævis & albus, quem Arabes vocant *almari*, & ab ejus nomine apud ipsos *Maria* vocatur in mulieribus, siqua maximè nitet, aut in palumborum genere siquis plumis est nitidis & fulgentibus.

23. *Auser*, &c. Q. d. Apage strepitum carminum, & nabliorum, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Deus cantum & carmina graviter increpat, ubi fides non recta, & animus ab ipso aversus est. Dum enim musica non ad rectum finem, Deóque unicè placitum refertur, eâ profani abutuntur ad voluptatem & carnis delectationem, & *ad effœminandum auditum*, ut Ephrem Syrus loquitur.

24. *Et revelabitur*, &c. Q. d. Justitia divina, quæ hactenus Dei patientiâ mansuetâ latitabat, jamjam omnibus patescet irruens in vos acri impetu instar aquæ ex impetuoso torrente prorumpentis. *Lento grada ad vindictam sui divina procedit ira, sed tarditatem supplicii gravitate compensat.* Valer. Maxim. lib. 1. cap. 1. Hinc autor de rectitudine Catholicæ conversationis apud Augustinum tom. 9. *Nolite negligere, quòd vos pius Deus sustinet peccantes, quia quantò diutiùs expectat ut vos emendetis, tantò gravius vindicabit, si neglexeritis.*

25. *Numquid*, &c. Israëlitas dicit Amos in deserto non sacrificasse Deo quia, cùm ab iisdem nefario scelere fuerit sacrificatum diis fictitiis, eorum sacrificia ipsi erant invisa & ingrata. *Neque enim in omnipotentis Dei judicio quid, sed a quo datur, inspicitur. Dona quippe impiorum non probat attissimus, nec respicit in oblationes eorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis*, inquit Greg. mag. 7. Registr. ep. 127. Hinc Isaias

quoque

quoque cap. 42. v. 22. Deum inducit Israëli his verbis loquentem, *Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tui non glorificasti me* &c. Quem locum sic interpretatur Hieronymus *Quod arbitraris obtulisse te mihi victimas & aricles immolasse, scias eos à me non esse susceptos, quia mihi & idolis communes erant.*

2. *Et portastis tabernaculum*, Sc. humeris sublatum; ita enim fieri solebat, ut videre est, Es. 46. v. 7. Baruch. 6. v. 3 & 25.

Moloch vestro. Heb. ad verbum, *Regis vestris*, id est, idoli vestri, quod Græci versionem suam in Ægypto edentes vocarunt voce Ægyptiâ *Moloch*; quod sequitur Martyr Stephanus Act. 7. v. 43. Vulgatus, aliique interpretes.

Et imaginem idolorum vestrorum. Heb. *Et Kijun imagines vestras.* Vox Arabica *Chaiwan* pro Saturno eadem est cum כיון *Kijun* quâ significari Saturnum, & hoc Saturno nomen esse apud Persas & Ismaëlitas testatur *Aben Ezra.* Hinc persuasum fuit Ægyptiis Anubin, qui Cyon Græcè vocabatur, eumdem esse cum Saturno, teste Plutarcho in Iside. Sed & in Plauti Pœnulo Saturnum appellari *Cun* probat Samuel Petit Miscel. lib. 2. cap. 2. Itaque כיון rectè Ægyptiaco vocabulo interpretati sunt *Rhephan*, seu *Rhephan* pro quo Act. 7. v. 43. legitur *Remphan.* Nam Ægyptium vocabulum *Rhephan* pro Saturno, ut *Moloch* pro Marte, hodiéque in usu est inter Coptitas, quorum lingua partim ex Græca, partim ex veteri Ægyptia conflata est. Vide Kircheri prodromum Coptum pagina 14.

Sidus Dei vestri. Locutio est, ut *Fluvius Euphratis, urbs Londini*, pro *fluvius Euphrates urbs Londinum.* Atque ita hæc verba *Sidus Dei vestri* pro *Sidus Deum vestrum*, explicant quid per כיון *Kijun* sit intelligendum; Hebræi enim Saturnum planetam peculiariter *Sidus* vocitant.

Quæ fecistis vobis. Hæc verba referuntur tam ad tabernaculum, quàm ad imagines seu simulacra, quæ sibi fabricaverant in deserto Israëlitæ in cultum fictitiorum deorum, quibus in Ægypto assueverant.

27. *Migrare vos faciam trans Damascum.* Magnis jam cladibus Hasaël Rex Damasci terram decem tribuum afflixerat; plurimos interemerat, plurimos captivos in Syriam abduxerat, nec tamen id animos improbi populi domuerat, ut resipiscerent. Prædicit itaque Amos fore ut brevi majorem subeant calamitatem, & ultra Damascum longiùs deportentur. Quàm longè autem ultra Damascum, res ipsa postmodùm demonstravit, quando per Salmanasarem Assyriæ Regem ultra Babyloniam transportati fuere in fines Mediæ & Armeniæ, ut videre est 4 Reg. 17.

v. 6. & 7. Hinc Martyr Stephanus Act. 7. v. 43. mentem non verba laudans hujus noſtri Prophetæ, ait ab eo prænuntiatum Iſraëlitis fore ut transferantur *trans Babylonem*. *Et hoc*, inquit Hieronymus, *in omnibus Scripturis ſanctis obſervandum eſt Apoſtolos & Apoſtolicos viros in ponendis teſtimoniis de veteri teſtamento non verba conſiderare, ſed ſenſum: nec eadem ſermonum calcare veſtigia, dummodò à ſententiis non recedant.*

Deus exercituum nomen ejus. Id eſt, ille, cujus nomine hæc vobis denuntio, eſt Deus exercituum, hoc eſt, Solis, Lunæ, & ceterorum ſiderum, quæ vos adoratis, cùm potiùs eorum Dominum adorare deberetis, qui ea ex nihilo condidit, & condita ſervat.

CAPUT VI.

1. *VÆ qui opulenti.* &c. Hæc concio ad duodecim tribus pertinet, & maximè ad Magnates Sion regiæ duarum, & Samariæ regiæ decem tribuum. Illos verò in extremam calamitatem ruituros aſſerit, qui rejecto Deo, in terrenis opibus & præſidiis ſuam locant fiduciam, ſuáque oſtentatione & pompâ populum ſibi tenent devinctum.

2. *Tranſite & Chalane.* Hujus nomen variè ſcribitur; Gen. 10. v. 10. *Chalonne*, & in veritate Hebraica tam ibi, quàm hîc לנה *Chalneh*, Eſ. 10. v. 9. כלנו, *Chalno*. Ezech. 27. v. 23. כנה, *Channeh*. Et in Arabica paraphraſi nuper edita הלנו, *Chalna* per *Cha* loco *Ceph*. Ingentem hanc urbem probat clariſſimus Bochartus Phaleg. lib. 4. cap. 17. eſſe oppidum ad Tigrim celeberrimum, tertio milliari à Seleucia Babyloniæ, caput Chalonitidis, de qua Plinius, Strabo, & Polybius, & Parthorum Regiam cujus nomen fuit mutatum in קטסיפון *Cteſiphontem* à Pacoro Rege Perſarum.

In Emath magnam. Ea eſt Antiochia ad Orontem prope Damaſcum, & vocatur magna, quoniam erat alia minor, quæ ab Antiocho Epiphane dicta eſt Epiphania, ad cujus introitum toties in Scriptura figitur terræ ſanctæ terminus Septentrionalis.

Deſcendite &c. Q. d. Vos, qui habitatis in montibus Sion & Samariæ, deſcendite ad Palæſtinos, qui morantur in campeſtribus,

bus, & videbitis vos neque opulentiâ, neque ditionis latitudine superari.

2. *Qui separati estis in diem malum*, &c. Q. d. Vos de populo Israël exitio destinati, quod cùm non creditis brevi venturum, vestrâ libidine acceleratis.

4. *Qui dormitis.* Nempe, ut somno libidinem copuletis.

In lectis eburneis. Id est, eburatis.

Comeditis agnum de grege, &c. Q. d. Ad delicias atque luxuriam, quicquid in gregibus & armentis tenerum atque pingue est vestræ gulæ paratis.

5. *Qui canitis*, &c. Q. d. *Quibus non sufficit libido penis, & gutturis, & æstuantis cibis aqualiculi, nisi & tibiarum, & psalterii & lyræ canticis aures vestras mulceatis ut quod David fecit in cultum Dei. Levitarum ordines, & organorum reperiens varietates vos ad voluptatem & luxuriam conferatis.* Hier. Vide commentarium nostrum in Mat. 17. v. 20.

Ad vocem Psalterii. Heb. *Ad os Nablii.* Josephus 7. Antiq. cap. 10. ait nablium duodecim sonos, id est, chordas habere, & digitis pulsari. Verùm ps. 144. v. 9. sit mentio nablii decachordi.

6. *Bibentes vinum in phialis*, &c. Q. d. Neque bibitis *ad satiandam sitim, sed ad opprimendum animum, & unginimini, non ad labores corporis mitigandos, oleo purissimo, sed unguentis pretiosissimis. Cumque his deliciis affluatis siquos videritis perire de populo nullâ misericordia super interfectione eorum flectimini, sed contemnitis quasi bruta animalia & in suo bestias cruore pereuntes.* Hier. Vide Commentarium nostrum in Mat. 23. v. 24.

Super contritione Joseph. Nomine Joseph duodecim tribus videntur hîc intelligi, ut Ps. 79. v. 2. quia jus primogenituræ ademtum Rubeni, datum fuit Josephò filiorum Jacob optimo, & felicissimo.

7. *Quapropter*, &c. Q. d. Jamjam isti mollicelli erunt primi inter captivos, & comessabundi lascivientium cœtus abinvicem divellentur, divulsique alii aliò dissipabuntur.

8. *Juravit* &c. Q. d. Deus abhorrens Israëlem nobilibus ædificiis superbientem per semetipsum juravit eum unà cum palatiis & opibus suis à se hostium furori permissum iri.

9. *Quod si reliqui*, &c. Id est, & pauciissimi illi, qui ex hostium manibus evaserint, fame, aut peste morientur.

10. *Et tollet eum*, &c. Q. d. Atque piæ morientium turbæ cùm integra corpora efferri non valeant, cujusque patruus, id est, propinquus, cadaver illud comburet, cujus efferre voluerit ossa. Ubi verò, lassus fuerit asportando, dicet ei, qui in penetralibus domûs est, supereste aliquod funus efferendum? Cùm

autem ex ejus responso nullum omninò superesse cognoverit, silentium respondenti indicet, ne inter loquendum recordetur nominis Domini, cujus oblivione hæc evenerunt mala. *Hoc autem idcircò commemorat ut ostendat ne malorum quidem pondere & necessitate compulsos velle homen Domini confiteri.* Hier.

12. *Quia*, &c. Verba sunt Prophetæ, aut ejus qui mortuum funeravit, fore ut ædes magnæ & parvæ ex Dei decreto rupturis & fissuris subvertantur.

13. *Numquid currere*, &c. Q. d. Numquid res ex sententia succedere queunt, cùm præposterè fiunt? Amos enim totus in eo est, ut Israëlitas peccandi consuetudine obduratos prorsus occalluisse, nec jam ullam in eo populo superesse spem resipiscentiæ, adeóque Prophetas frustrà inter eos currere, ut munus suum obeant, & laborare incassùm, ut corda saxea verbi vomere proscindant. Frequentes autem sunt hæ metaphoræ Scripturis. Nam currere dicuntur Prophetæ & Apostoli Jerem. 23. v. 21. 1 Cor. 9. v. 26. Gal. 2. v. 2. Philip. 2. v. 16. &c. Et eorum labor cum agricultura confertur 1 Cor. 3. v. 9. & 9. v. 10. & 2 Tim. 2. v. 6. Optimè itaque mentem Prophetæ assecutus est Syrus interpres dum vertit ex Hebræo, *Num current super petras equi, aut ducent in illis jugum boum?* Cùm in textu Hebræo habeatur ad verbum. *An current in petra equi, aut quis arabit bobus?* Hieronymus non attendens in altero hemistichio ex priori supplendum esse *in petra*, ne Propheta videretur negare boves ad aratrum esse commodos, voluit pro bobus vulgaribus bubalos intelligi, *qui*, ut loquitur, *tam indomiti sunt, ut jugum cervicibus non recipiant, & cùm sylvestres boves sint, propter feritatem nolint terram vomere findere.* Verùm bubalus Hebræis non dicitur בקר, quâ voce hîc utitur Amos sed חוא, vel תאו. Græci hæc verba Amos אם יחרוש בבקרותיו, *an quis arabit bobus*, reddunt, *an filebunt inter fœminas*, id est, *inter equas*, ac si legissent, אם יחרישו בנקבות. Nempe חרש non solùm *arare* sed & *silere* significat.

Quoniam convertistis, &c. Q. d. Namque duas maximas virtutes judicium & justitiam, id est, æquitatem & jus, quibus Rerum publicarum ratio omnis, felicitas, atque hominum societas conservatur & alitur, convertitis in amaritudinem, & in absynthium per corruptelas vestras; neque enim ullum aliud aut certius, aut præsentius venenum civitatibus comparari potest, quàm si æquitas & jus corrumpatur.

14. *Qui lætamini in nihilo.* Lætatur in nihilo, qui non Dei præsidio innititur, sed viribus creatis sua ascribit cornua, id est, robur, potentiamque suam tribuit.

15. *Odite*

15. *Ecce enim*, &c. Q. d. propediem coacto ex Assyriis exercitu, in omni loco, quàm latè vestra regio patet, bello vos lacessam atque opprimam.

Ab introitu Emath. Scilicet, minoris, quam Josephus 1 Antiq. cap. 7. Hieronymus in Esa. 10. Zach. 9. & de locis Hebraicis, & quæst. in Genesim aiunt usque hodie vocari Epiphaniam. Proximè accedit ad vocem *Emath* seu *Hemath* nomen Arabicum *Hama* clim. 4. parte 5. Geographi, qui vulgò dicitur Nubiensis, cùm tamen ex libro manu-scripto Leonis Africani de viris illustribus constet hunc Geographum Arabem fuisse Siculum, & natum in oppido Mazara, quod episcopale est sub Archiepiscopo Panormitano.

Usque ad torrentem deserti. Quis sit iste torrens deserti certò definire non possum, cùm hac de re non constet inter autores, & Chaldæus ex Hebræo reddat, *usque ad terminum planitiei* & Latinæ versiones aliquot habeant, *usque ad terminum campestrium*, & Græci legant, *usque ad torrentem Occidentis.* Utut est, cùm Emath sit septemtrionalis terminus terræ sanctæ, videtur per hunc torrentem, quisquis ille sit, designari ejusdem terræ terminus Meridionalis.

CAPUT VII.

1. *Hæc ostendit mihi.* Scilicet, in visione prophetica.

Fictor locustæ. Id est, Deus creator locustarum. Vide commentarium nostrum in Joël 2. v. 11. Vocatur autem locusta Hebraicè hîc & Nahum 3. v. 17. גוב, & גובי, *gob* & *gobai*, Arabicè *gab*, & *gabi*, quia *gaba* verbum Arabicè est *è terra emergere*, quod locustarum est proprium, ut mox dicemus. Bochartus hinc existimat ab Æthiopibus & Troglodytis locustas vocari *anbat*; nam Arabicè *nabat* est *scaturire* ac *è terra emanare*, & *emergere*. Quod quidem fontium proprium, sed & aliis transfertur per catachresim.

In principio germinantium serotini imbris. Id est, verno tempore, *quando cunctarum abundantiam rerum flores arborum atque herbæ segetum pollicentur*, ut loquitur Hier. Vide dicta de serotino imbre in commentario nostro in oël 2. v. 2. Alii sic vertunt ex Hebræo, *cùm primùm succrevit fœnum cordum.* Fœnum cordum Hebræis לקש in Italia solet autumno provenire. Co-

lumella

lumella de agnis lib. 8. cap. 2. *Aluntur commodissimè autumnali fœno quod co'dum vocant.* Quo ipso anni tempore locustas parere nos docet Aristoteles Hist. lib. 5. cap. 28. & Plin. lib. 11. cap. 29. & naturalis quidem est ille partus, ut reliquorum animantium. Quod loco mox laudato multis verbis docet Philosophus, quorum summa est, fœminas parituras in terram defigere caulículum, quod in cauda habent, & circa finem æstaris (non *veris*, ut habet Gaza) universas eodem loco fœtus deponere, ut quasi favus videantur. Nec summæ telluri committi sed rimis & fissuris, quibus terra dehiscit. Ubi, cùm totâ hyeme latuerunt, ineunte æstate inde emergunt nigri vermes ovorum specie, ruptâ quâdam tenuâ præcenui quâ tanquam membranulâ ambiuntur. Ex quibus Plinius hæc solùm habet, *Hæ pariunt in terram, demisso spinæ caule ova condensa Autumni tempore. Ea durant hyeme sub terra: subsequenti autem exitu veris emittunt parvas nigrantes, & sine cruribus, & pennis ..... Alii duplicem earum fœtum, gemimúmque exitum tradunt. Vergiliarum exortu parere, deinde ad canis ortum obire, & alias renasci. Quidam Arcturi occasu renasci.* Nempe, prout varia sunt climata, locustis quoque varium est nascendi tempus, & denascendi. De eodem hoc argumento multa legas ex Arabibus citata apud Bochartum Hierozoici p. 2. lib. 4. cap. 6. Damir. *Cùm paritura est locusta, ovis suis loca salebrosa eligit, & petras durissimas, quas non attigerit ferrum, eásque caulâ diverberat, donec in rimam pateant. Tum verò in illa rima ovificat: eáque illi pro nido est, in quo fœtus suos foveat, atque educet.* Sed aliter Alkazvinius, *Cùm verno tempore pascuntur, terram agri fœcundi & mollis quærunt, in quam descendant, & caudis fossas fodiant, in quibus cùm singulæ ova centum ediderunt, inde avolant.* Ad quem ovorum numerum proximè accedit Ibno-Omar, cùm inter Mahumetis manus locustas decidisse fabulatur, in quarum alis scriptum fuerit, *Sumus exercitus Dei magni Nobis sunt ova nonaginta novem & si centuria perficeretur, totum mundum absumeremus, & quicquid in illo est.* Sequitur in Alkazvinio, *Deinde verno tempore, cùm temperatius est anni tempus, sepultum illud ovum finditur, & ex eo emergit parvi reptilis genus super faciem terræ, quod comedit ejus femina, donec ætate robustius ad aliam ovificationem pergat, atque ovificet, ut anno præcedente factum fuerat.* In Alcamo, id est, Oceano, quo titulo vastum linguæ Arabicæ Lexicon in ipsa Arabia circa annum Hegiræ 808. scripsit Mahametes Jacobi Phiruzabadensis filius, *Sara*, & *Kasam*. & *Machin* est *locustæ ovum. Macchuth* est *locusta gravida. Mathaha* vel *Mathacha, sachatha, Zarra*, & *Kalaza* totidem uerba sunt, quæ de locusta usurpantur, cùm *caudam suam terræ infigit, ut ovificet.*

Ipsa

Ipsa dicitur *Saphra* cùm ova posuit, quia tum flava est. Fœtus ipse nuper editus *daba* & *dabar*, & *Kamas*. Ex his cùm satis constet locustas à natura formari, tamen locustarum formationem Amos Deo tribuit & quidem usus verbo יצר, quod adhibet Moses, ubi agitur de formatione hominis, & reliquorum animalium in historia creationis Gen. 2. v. 7, 8, & 19. non quasi Deus locustas de novo creaverit post primam illam rerum omnium productionem, aut ut locustis peculiare aliquid tribuat cum Mahumetanorum Theologastris sed locustarum formatio Deo tribuitur, cùm præter solitum speciali ipsius providentiâ in pœnam peccatorum in immensum multiplicantur. Vide commentarium nostrum in Joël 2. v. 11.

Et ecce serotinus post tonsionem Regis. Alii vertunt, *Et fænum erat post serotinum fænisecium Regis.* Particula & hic sumitur pro *autem*, ut alibi passim. His itaque verbis enucleatiùs exponit Amos tempus, quo locustæ parere solent. Hebræum גז, *gez*, quod pro vellere vulgò sumitur, hîc sectum fœnum significat, ut & Psal. 72. v. 6. Vocat autem *fænisecium Regis*, vel quia fœnum sectum erat in equorum Regis usum, vel quia speciale tempus fœnisecio Regis præstitutum erat, aut denique quia Regis edicto constitutum erat, quo tempore fœnum furcillis versarent, rastellis eraderent, & in pyramides extruerent.

2. *Et factum est*, &c. Agitur de locustis, quæ post messem natæ solis herbis vescebantur, cùm deessent segetes, nec volatu possent in arbores se attollere, ut pote quæ alis carentes humi reptitabant. Hujus modi locustas in Joël 1. v. 4. bruchos à multis vocitari observavimus, atque ex illis fieri primò attelabos, & postmodùm locustas proprie dictas. Priusquam igitur hi bruchi in majus aucti plura damna inferrent, pro populo Amos orat, exorátque ut amoveatur hæc pestis.

Quis suscitabit Jacob, &c. Id est, quis populum Israël ab imbecillitate reficiet, cùm jam ipsum vires deficere cœperint?

3. *Misertus est Dominus*, &c. Hoc est, misericordiâ, seu ut habet veritas Hebraica, *pœnitentiâ* commotus avertit mala, quæ ipse fuerat interminatus. Apud Deum non est transmutatio aut conversionis obumbratio. Immutabilitas tamen hæc non est saxea, ferrea, rigida, fatalis, implacabilis, sed est divina, perfectissima, optima. Etsi Deus pœnitudine propriè dictâ non ducitur, pœnitudinis tamen perfectionem Deo convenientem possidet immutabiliter, modo mortalibus ineffabili & incomprehensibili. Hinc pœnitentiâ duci, & mutari dicitur locutione metaphoricâ, propter pœnitentiæ & mutationis perfectionem θεοπρεπῆ in operibus ejus relucentem, in effectu citra mutationem in affectu.

4. *Vocabat judicium*, &c. Q. d. Justâ Dei sententiâ populus

lus Israël, qui divinâ benignitate vocatur Deut. 32. *pars Domini*, plectendus erat igne, seu ardore solis tanta cum ariditate conjuncto, ut aquæ etiam profundissimæ unà cum universo populo absorberentur.

5. *Et dixi*, &c. Amos irerùm Deum rogat, ut desistat ab hac clade inferenda populo suo, qui ceteroquin numero & viribus imminutus, irremediabilis doloribus succumberet.

6. *Misertus est*, &c. Vatis oratio charitate fervida, fidéque armata Deum exarmat, ignémque aquarum copiâ inextinguibilem jamjam omnia vorantem compescit & perstinguit.

7. *Super murum litum.* Heb. עַל חוֹמַת אָנָךְ, *super murum anac.* Hebræi aiunt vocem *anac* stannum aut plumbum significare. Sed & Lexicographi Arabes docent stanno & plumbo nomen esse commune; nec mirum cùm ex Plinii sententia stannum sit plumbi species. Ab hujus utriusque metalli fœunditate insulas Britannicas, ut à Græcis Cassiteridas, ita à Phœnicibus dictas fuisse בְּרַת־אָנָךְ, *barat-anac*, agrum stanni & plumbi, hócque Phœnicium nomen deflexum in Βρεττανικὴν & Βρεττανίαν, quomodo Strabo passim appellat Britanniam, probat clarissimus Bochartus in suo Chanaan lib. 1. cap. 39. Aquiæ teste Hieronymo, אָנָךְ *anac* est *stagnatura.* Porrò à stagnando dicitur stagnum vel stannum. Stagnare est firmare à Græco στεγάζειν, Justinus de Asphaltite lib. 36. *Neque ventis movetur resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur.* Et lib. 7. de Mithridate: *Se adversus insidias exquisitis turoribus remediis stagnavit.* Statius lib. 3. Sylvarum in Propemptico Metii Celeris:

Cur vada desudant, & ripa coërceat undas
Cecropio stagnata luto.

Recentior Latinitas *stangare*, & *stancare* dixit. Sic apud Samonicum, *ad stanguinem stancandum*, Anglice, *to stanch bloud.* Itaque qui per *anac* intelligunt stannum, seu plumbum, putant hîc significari amussim, libellam, perpendiculum, seu, ut Arnobius vocat, *stamneum lapidem.* Atque adeò Dominus stans super murum ad perpendiculum factum, idémque perpendiculum manu tenens innuit se jamjam condignas esse sumturum pœnas de Israëlitis, ut gravissimæ eorum clades gravissimis eorumdem culpis ad amussim respondeant. Hieronymus verò, qui ex Aquilæ vocem *anac* interpretatur stagnaturam, *Dominus*, inquit, *cernitur stans supra murum stagnatum, sive litum, & in manu ejus stagnatio, sive trulla cementarii quâ solent superinduci parietes, & non solum pulchritudinem accipere, sed & fortitudinem contra injurias turbium, & crebrarum tempestates. Legimus Ezech. 13.*

Dominum

Dominum comminantem quòd tempestate & grandine consurgente, nequaquam linat, nec vestiat parietem Israël, sed dimittat eum pluviis dissipari. Unde & nunc dicit ille, de quo scriptum est Esa. 58. *Secundum LXX. Structor maceriæ vocabitur, ipse angularis lapis ædificator domûs quòd deponat trullam in medio populi sui Israël, & cessare faciat atque torpeat, ut nequaquam ultra superinducat eum, & suo vestiat, ac tueatur auxilio. Cùmque protectionem suam, &, ut ita dicam parietis vestimentum, trullâ cessante subtraxerit, tunc demolientur excelsa idolorum, & sanctificationes decem tribuum desolabuntur, ut destruantur Dan & Bethel, in quibus adorabantur vituli aurei.*

8. *Superinducere eum.* Alii vertunt, *præterire ei*, hoc est, & condonare ei, & ad scelera ejus connivere.

9. *Demolientur.* Passivè, id est, evastabuntur.

Excelsa idoli. Heb. ad verbum *excelsa derisionis.* Nempe sic vocat Vates fana illa illa profanissima, *in quibus*, ut loquitur pseudo-Eucherius in libros Regum pag. 20. *vel dæmonibus immolabant vel etiam Domino, contra interdictum, relicto altari quod erat in Templo,* quia propediem in ludibrium & contemtum vertenda, funditúsque diruenda erant.

Sanctificationes. Heb. *Sanctuaria*, scilicet Bethel, Dan, & Galgal, ubi erant delubra idolorum à decem tribubus cultorum.

Et consurgam, &c. Q. d. Hæc omnia fient, postquam insurrexero in familiam Jeroboami filii Joas gladio, occidendo filium ejus Zachariam per Sellum filium Jabes, cujus occasu tota Jehu familia fuit extincta. Historiam vide 4 Reg. 15. v. 10. Particulam *&* sumi pro *cùm*, vel *postquam* observavimus ad Mar. 10. v. 13. Observat autem Majemonides in Doctore perplexorum, quòd quia *qui concluſit & decrevit aliquam rem facere, vel expedire ad eam perficiendam per surrectionem se accingit, ideò de quovis qui rem aliquam, quæcumque demum illa sit, aggreditur, dicitur quòd surgat, seu consurgat.*

10. *Et misit*, &c. Amasias sacerdos Bethel pertimescens ne Vates minitabundus populum ab idolorum cultu absterreret, sicque ipsi sacerdotii auferret gloriam, eum apud Jeroboam nepotem Jehu Regem Israël rebellionis insimulat, eáque locutum calumniatur, quæ terra Regi subdita diutiùs ferre non possit.

11. *Hæc enim dicit Amos*, &c. Quæ Deus per Prophetam Amos impœnitentibus est interminatus mala, sacrificulus Amasias quasi ex se locutus fuisset Propheta calumniatur, *ut magis Regem provocet ad vindictam*, inquit Hier.

12. *Et dixit Amasias.* Assumens sibi sacerdotalis fastigii autoritatem.

Qui vides. Id eſt, qui prophetas. Prophetæ enim priùs appellabantur videntes, *quia quæ ventura dicebant, cordis oculis intuebantur*, ut loquitur Hieronymus.

13. *Sanctificatio* (Heb. ſanctuarium) *Regis eſt, & domus regni.* Præclarè pro more Hieronymus, *Hoc quaſi falſus ſacerdos loquitur, adulans regali faſtigio, ut non dicat, ſanctificatio Dei noſtri eſt, & domus idoli, ſed ſanctificatio Regis & domus regni. Hanc habentibus cunctis, qui falſos deos colunt, conſuetudinem, ut ſuperbiam ſuam Regibus imputent & quod ipſi faciunt, Rex feciſſe videatur.*

14. *Non ſum Propheta*, &c. Q. d. Non meo, paternóve inſtincta propheticum munus inter Iſraëlitas obeo, ſed me infimæ ſortis homuncionem in re tenui natum, dum vitam parce ac euriter agebam, pecuariâ, & ſycomorerum vellicatione victum quæritans, divina inſpiratio impulit, ut relicto pecu, è Judæa in Samariam pergerem, ibique Iſraëlitis vaticinarer.

Vellicans ſycomoros. Heb. בולס שקמים, id eſt ad verbum, ſi ita loqui fas eſt, *ficans ſycaminos*, hoc eſt, faciens quicquid ad ſycaminorum culturam & curam pertinet. Ut enim à כרם *vinea* Scriptura paſſim כורם appellat *vinitorem*, qui vineas colit, ſic à בלס Æthiopicè & Arabicè *ficu*, vel *ſycamino* fit בולס, *ficans* vel *ſycaminans*, verbo detur venia, id eſt, qui ficus colit & ſycamines. Porrò ſycomori fructus *eſt præcalcis ſine granis interioribus*, inquit Plinius Hiſt. nat. lib. 13. cap. 7. niſi ungue vel ferro vellicetur, non matureſcit, & vellicatus quarto poſt die maturatur, facilè corrumpitur, fitque ex ea panis in Syria, cujus eſu capilli defluunt, inquit clariſſimus Bochartus ex Naturæ Scriptoribus Hierozoici par. 1. lib. 2. cap. 39.

16. *Audi verbum Domini.* Id eſt, Sententiam à Deo adverſus te pronunciatam.

Tu dicis. Supple, Domino jubente me prophetare in Iſraël, & in Bethel.

Non ſtillabis. Q. d. Nihil jam mutire audeas adverſus Bethel, ſed inſtillatum vateſcenti divinitùs ſermonem, in alios potiùs effunde, quàm in Bethel extilles. Eſt autem Metaphora à pluviis ſumta. Nam ut tegulæ effuſo in ſe cœlitùs imbre, atque deinde diſtillato ſubjecta etiam duriſſima marmora eluunt atque exedunt; ſic entheati doctrinæ ſibi numine Dei afflatæ virili aſſiduáque prædicatione remolliunt humanum pectus, niſi planè adamantinum fuerit. Hinc illud Deut. 32. *Concreſcat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.*

Super domum idoli. Heb. בית יצחק, *domum riſûs.* Sic Amos vocat urbem Bethel, quæ ridiculo eſſe cœpit, ex quo mutavit gloriam ſuam, id eſt, Deum ſuum, in conflatum ab hominibus aureum ſimulachrum vituli comedentis fœnum, & ſe

ſuo

ſuo ſtatore inquinantis, de quo Sirachides Eccli. 22. v. 2. *Omnis qui tetigerit cum, excutiet manus.* Tunc enim ex Bethel facta eſt Bethaven, & ex domo Dei qui non ſolùm eſt glorioſus, ſed & ipſa gloria ſua, ſuorúmque cultorum, facta eſt domus idoli, quod eſt prædor & confuſio omnium divinos ipſi honores exhibentium juxta illud Pſ. 96. Heb. 97. v. 7. *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis.*

1°. *In civitate.* Id eſt, palàm ac publicè depoſitâ omni verecundiâ.

In gladio cadent. Id eſt, in bello ſimul interficientur.

Humus tua &c. Q. d. Terra in qua degis, ô Amaſia, hoſtes, interfectis filiis tuis, funiculo menſorio inter ſe divident. Agros olim & prædia funiculis metiebantur, cùm vendebantur, aut dividebantur. Hinc funibus, & funiculo hæredium ſeu ipſa terræ portio, quæ hæreditate obſtigit, deſignatur. Vide Pſal. 77. Heb. 78. v. 55. & Pſal. 104. Heb. 105. v. 11. &c.

Et tu. Supple, qui ſacerdotali dignitate inſolenter gloriaris.

In terra polluta. Id eſt, in Aſſyria. Quemadmodum terra à populo Dei habitata dicebatur *terra ſancta,* quia ipſe populus à ceteris gentibus divinâ vocatione ad Deum ſanctè colendum ſegregatus vocabatur *gens ſancta*; ſic alia quæque regio, gentium, quæ verum Deum non noverant, *polluta, prophana,* & *immunda* nuncupatur, quia ipſæ gentes eam incolentes erant proranæ, utpote quæ terræ, & præſentibus caducis bonis affixæ vilipendebant ſpiritualia illa, quæ Dei populus ſuſpiciebat vehementer, & quantivis faciebat. Similem ob cauſam Eſau ſacra primigenii jura vilificans vocatur *profanus* Heb. 12. v. 16.

CAPUT

CAPUT VIII.

1. ECce *uncinus pomorum.* Heb. כלוב קיץ, *uncinus æſtatis.* קיץ *Kaitz* pro æſtate ſumitur Eſa 16. v. 9. כלוב *club* verò uncinum ſignificare præter autoritatem Hieronymi probare videtur lingua Arabica, quâ *calub* eſt harpago, & *cullabath* forcipes, quæ Chaldaicè juxta autorem Aruc & Kimchium in 1 Sam. כולבייא *Culbaja.* Et inverſis litteris Hebraicè בלכ *Cebel* eſt compes. Indidem כלב *Celeb* dictus eſt canis à fimitate dentium, quibus tanta eſt morſûs tenacitas, ut harpagonum, & forcipum, & ferreorum compedum inſtar eſſe videri queant; niſi fortè quis malit harpagoni, forcipi, & compedi à cane nomen eſſe. Tale quod Iſidori lib. 21. Origin. cap. 15. *Lupus* & *Canicula* nominatur ferreus harpax, quo ex extrahitur quod in puteum decidit. Et apud Feſtum, *Catula genus quoddam eſt vinculi, quod interdum canis appellatur.* Hinc Plautus in Curculione Act. 5. Scen. 3.

Delicatum te hodie faciam cum catello ut accubes,
Ferreo ego dico.

Et in Caſina Act. 2. Scen. 6.

Taceo, deos quæſo. Tu ut quidem hercle, canem & furcam feras.

Meurſius perperàm legit *camum.*

2. *Venit finis,* &c. Ludit vocabulo קיץ *Kaitz*, quod ſignificat æſtatem, & קץ *Ketz*, quod ſignificat finem. Dicit ergo viſione uncini æſtatis ſignificari finem inſtare Iſraëlitis, neque Deum eorum ſcelera diutiùs inultum eſſe paſſurum, ſed pomorum inſtar, quæ uncino avelluntur ex arboribus, à ſedibus ſuis hoſtium vi avulſos in duriſſimam captivitatem eſſe abigendos.

3. *Stridebunt cardines templi.* Hyperbole. Heb. *Ululabunt cantica templi,* hoc eſt, cantus loci cujuſlibet ſacri ululatu mutabitur, & cadentibus in ſingula verba lachrymis.

Multi morientur, &c. Q. d. Incredibilem ſentient Iſraëlitæ vaſtitatem, quando paſſim jacebunt projecta ab hoſte cadavera, & altum præ metu in omni loco erit ſilentium, neque gemitibus & ſuſpiriis erit locus, quia tyrannidem exercentes ne vocem quidem liberam relinquent.

4. *Audite,*

4. *Audite*, &c. Q. d. Animadvertite tam immisericorditer vobiscum actum iri, quia immisericordiâ vestrâ pauperem plebem exhauritis, ita ut jam nullis egenis victitare liceat in territorio vestro, sed omnes rapinis vestris exhausti dispereant.

5. *Quando transibit mensis*, &c. Hoc est, molesta sunt vobis novilunia, Deique sabbata, quia in iis nihil divendere potestis.

Aperiemus frumentum. Id est, horreum, in quo frumentum continetur. Unde & LXX. vertunt, *Aperiemus thesaurum.* Chaldeus paraphrastes, *Aperiemus horrea.*

Imminuamus mensuram. Heb. *Epha*, quæ Hebræorum mensura tria continet sata, & à Vulgato interprete solet vocari Ephi. Vide Commentarium nostrum in Mat. 13. v. 33.

Augeamus siclum. Qui in vendendis mercibus mensuram minuebant, in emendis *shekel*, id est, pondus, vel Siclum monetæ genus augebant, ut vel plus mercimonii acciperent, vel pauciores siclis emerent. Vide dicta de Siclo in Commentario nostro in Mat. 17. v. 26.

Supponamus stateras dolosas. Heb. ad verbum, *pervertamus stateras fraudis*, ut scilicet quæ majori pondere coëmimus, minori divendamus.

6. *Ut possideamus*, &c. Q. d. Ut ad egestatis terminos redacti pretio vilissimo nobis deserviant, & quæstum captemus ex ipsis frumenti quisquiliis, quas opibus destituti ad triticum comparandum emere cogentur.

Quisquilias frumenti. Heb. מפל בר, *deciduum frumenti*, id est, glumæ & purgamenta, quæ dum triticum ventilatur, in terram decidunt, & à Columella vocantur *extritum tritici.* Porrò ab Hebræo מפל fit *mamphula*, de quo Festus, *Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, ut ait Verrius, in clibano antequam percoquatur, decidit in carbones cinerémque.* De hoc pane citantur hi Lucilii versus,

Pistricem validam si nummi suppeditabunt,
Addas empleuron, mamphulas quæ sciat omnes.

7. *Juravit Dominus in superbiam Jacob.* Heb. *Per celsitudinem Jacob.* Id est, per se ipsum juravit Dominus, quem Jacob gloriatur se habere Deum.

Si oblitus fuero, &c. Defecta oratio Scripturæ familiaris; deest autem, Dispeream, aut quid ejusmodi. Deus autem dicitur *peccata recordari*, quæ non patitur inultus; *oblivisci* verò, quæ inulta dimittit. Juravit itaque Deus haud impune habituros Israëlitas immanem suam in egenos inhumanitatem.

8. *Numquid*, &c. Q. d. Mirificissimum est ad vestram in pauperes immanitatem non dehiscere terram ipsámque ab omnibus terricolis non deseri cùm tam atroci flagitio universim sit polluta, ut quomodo Ægyptus nili exundatione & defluxione; sic diluviis & inundationibus elui indigeat, ut expietur, & ab hac expilatorum sentina expurgetur.

9. *In die luminis*. Id est, per diem, quo lumen esse solet, erunt tenebræ. Familiare est Prophetis evastationem cujusvis regni vel gentis per cœlorum interitum & tremorem terræ commotionem, stellarum casum, solis & lunæ obscurationem & ceteras hujusmodi loquendi formulas exprimere quia affl ct s lux omnis atra, suavitas insuavis, terra nimis angusta, cœlúmque collabascere videtur, uti adnotavit Majemonides in Doctore perplexorum P. 1. cap. 29. Jacobus Usserius Armachanus Antistes in Annalibus suis ad annum ab orbe condito 3213. putat ad litteram hanc prophetiam fuisse completam in tribus ingentibus eclypsibus solaribus trium festorum, in quibus omnes masculi Hierosolymis tenebantur apparere coram Domino, dies obscurantibus. Nam ut ait ibidem reverendissimus ille Præsul, Antiquitatis primævæ peritissimus, *Eclypsis solis facta est, digitorum circiter decem, anno periodi julianæ 3932, junii 21, in festivitate Pentecostes: altera digitorum duodecim ferè undecimo post anno periodi julianæ 3944, Novembris 8, in diebus festi Tabernaculorum; & tertia, plusquam undecim digitorum periodi julianæ 3914, Maii 5, in festo Azymorum.* Eandem hanc Amos prophetiam sensu Allegorico ad tenebras, quæ in festo Paschatis, cùm Christus cruci esset affixus, contigerunt, plerique Ecclesiæ Patres accommodarunt.

10. *Convertam*, &c. Variis locutionibus quâm maximè patheticis prædicit Vates fore ut summa Israëlis lætitia summam in mœstitiam vertatur.

11. *Ecce* &c. Q. d. Brevi auferetur vobis verbi divini prædicatio, & qui modo illud prædicatum spernaces aversamini, propediem ut illius prædicatorem inveniatis ad ultima usque terrarum frustrà discurretis.

12. *A mari usque ad mare*. Id est, secundum quosdam à mari Rubro, secundum alios, à mari Mortuo usque ad mare Magnum, sive Mediterraneum. Mare Mortuum appellatur quoque mare Primum, mare Orientale, & mare Salis, erátque è terminis terræ sanctæ, Num. 34 v. 3.

13. *Reficient*. &c. Q. d. Adolescentuli quoque ipsi & pulcherrimæ virgines, quibus majus voluptatis & formæ, quam scientiæ & sapientiæ studium esse solet, præ siti verbi Dei audiendi contabescent.

14. *Qui*

14. *Qui juranti in delicto Samariæ.* Id est, per vitulum, qui colitur à nefandissimis Israëlitis, quorum Regia est Samaria. Vide Commentarium nostrum in Os. 8. v. 5, & 6. Hier. De locis Heb. Act. *Samaria civitas regalis in vertice montis Somer posita, sed & omnis regio, quæ circa eam fuit à civitate quondam nomen acceperat: media inter Judæam & Galilæam jacet.*

Vivit Deus tuus. Id est, vitulus in te pro Deo cultus.

Dan. Alter è duobus vitulis à Jeroboamo Rege Israël erectis erat in vico Dan, quo terminabatur terra sancta ab Aquilone.

Vivit via Beersabee. In Beersabee, qui erat finis terræ sanctæ ad austrum, solebat tribus Juda idola colere, cóque frequentes Israëlitæ pergebant, & per eam peregrinationem quasi per rem sacram jurabant.

Et cadent, &c. Q. d. Irreparabilem cladem accipient, & funditùs peribunt.

CAPUT IX.

1. *Vide Dominum stantem super altare.* Hac loquendi formulâ insinuat Amos Deum summâ agendi atque imperandi potestate instare rei citò agendæ. Sic Juven. Sat. 11.

Vox domini fremit instantis, virgámque tenentis.

Et dixit. Angelo scilicet divina jussa exequenti.

Percute cardinem. Heb. הַכַּפְתּוֹר, *percute superliminare,* id est, Templum Hierosolymitanum.

Et commoveantur superliminaria. Heb. וְיִרְעֲשׁוּ הַסִּפִּים, *& contremiscent postes,* id est, duæ tribus, Juda & Benjamin. Hac itaque visione excidium Templi Hierosolymitani, & duarum tribuum significatur.

Avaritia enim in capite omnium. Heb. וּבַצְּעֵם בְּרֹאשׁ כֻּלָּם, *& vulnera eos in capite quot quot sunt,* quomodo habet versio Anglicana, *And cut them in the head all of them.*

Et novissimum eorum in gladio interficiam, Q. d. Et ad unum omnes occidi volo, ait Dominus omnidomans.

Non erit fuga, &c. Id est, Nemo viribus, fugâ, latebrisve saluti suæ consulere poterit, ultrice omnituentis Dei justitiâ eum quòvis acriter insequente, Vide quæ diximus suprà cap. 2. v. 14.

2. *Si descenderint usque ad infernum.* Heb. אם יחתרו בשאול, *Though they dig into hell, etiamsi defoderint in inferno*, scilicet latebras, in quibus sese occultent.

3. *In vertice Carmeli.* Mons erat eo nomine duplex, densus & latebricolis commodus. Vide quæ de utroque diximus suprà cap. 1. v. 2.

Si celaverint se. Id est, celare se conati quidem fuerint.

Ibi mandabo serpenti. Hoc est, ceto, seu, pisci immani, cujusmodi erat ille, qui exivit ad devorandum Tobiam lavantem pedes suos in fluvio Tigri Tob. 6. v. 2. Deus autem dicitur præcipere brutis & rebus inanimatis, dum iis utitur ad sua exequenda judicia, & decreta.

5. *Et Dominus*, &c. Q. d. Hæc se facturum esse dicit omnitenens & omni-valens Deus, ad cujus tactum terra intabescit, ejúsque incolæ ex jucundissima vitæ tranquilitate in luctuosissimam calamitatum tempestatem conjiciuntur. Quemadmodum enim Nilus fluvius Africæ maximus & notissimus modò extumescit, & magnâ atque altissimâ exuberatione exundat, modò detumet, residítque, & intra suum sese alveum cohibet; sic Dei benignitas modò sese exerit, & omnis terra plantarum & florum vestitu ornatur, frugum & fructuum ubertate ditatur, modò delitescit, Deo homines nefarios ulciscente, & omnis terra vertitur in desertum aspectu horridum, solitudinémque inhospitalem juxta illud Ps. 106. *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim; terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.*

Ascendet sicut rivus omnis. Heb. כלה, *omnis ea*, terra scilicet, quæ Metaphoricè dicitur ad instar aquæ restagnantis *ascendere*, cùm feracissimè fructificat, & *defluere*, dum sterilescit.

6. *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam*, &c. Q. d. Qui amplitudinem suam, quæ eadem ubique est, in cœlis potissimùm explicat, luculentérque manifestat, & terram tot bonis, tot divitiis, tantâ rerum varietate, atque ubertate refertam, tantâ pulchritudine distinctam & ornatam cedere jussit, in usum populi sibi Lege cœlitus datâ quasi in fasciculum colligati juxtà illud Deut. 32. *Pars autem Domini populus ejus.*

Qui vocat, &c. Vide quæ diximus suprà cap. 5. v. 6.

7. *Numquid non ut filii Æthiopum.* Hebraïsmus pro, *ut Æthiopes*, hoc est, vilissimi & abjectissimi. Hinc Num. 12. v. 1. Maria & Aaron uxorem Mosis contemtim vocant Æthiopissam. Atque id ipsum Judæi sibi volunt, cùm Cuthæorum nomine traducunt, Samaritanos; Chuthæi enim Chaldaeâ dialecto iidem sunt qui à sacris scriptoribus vocantur Chusæi, seu filii Chus; nempe à כוש *Chus*, quem Chaldæi vocant כות *Cuth*, filio Cham. Hunc

Chus

Chus Æthiopiæ conditorem, adeóque terram כוש *Chus* Æthiopiam fecerunt antiquissimi quique, veteres putà Babylonii apud Eupolemum, cujus de filiis Chami supereſt insigne fragmentum apud Eusebium præparat. Evang. lib. 9. Hebræi & Græci ferè omnes, Josephus, Philo, Eusebius, Autor Chronici Alexandrini Vulgatus interpres, Patrésque universi. Insuper Josephus lib. 1. Antiq. cap. 6. disertè memorat suo adhuc tempore ab Asiaticis universis Æthiopes appellatos fuisse Chusæos, & ipsos Æthiopes se hoc nomine indigitare solitos. Quæ certè tantus scriptor in aperta luce non scripsisset, si comperta non habuisset. Unanimi huic veterum consensui unus videtur oppositus ex iis Jonathan, in cujus paraphrasi Chaldaïca Gen. 10. v. 6. pro Hebræo Chus est Arabia. Ut igitur Jonathan cum ceteris concilietur, duplex cum Augustino & Theodoreto distinguenda est Æthiopia, Orientalis videlicet, & Occidentalis. Æthiopia Orientalis est illa regio Asiæ supra Ægyptum ad Rubri maris sinum intimum, in parte Arabiæ Petrææ & Felicis, quam Scenitæ, *quos posteritas Saracenos appellavit*, ut loquitur Ammianus Marcellinus lib. 23. inhabitarunt. Occidentalis, quæ & Meridionalis, nec non Atlantia dicitur, est Africæ regio amplissima, cujus pars ad Nilum, in qua insula Meroë cis circulum æquatorem, Æthiopia sub Ægypto appellatur; altera verò pars ultra æquatorem dicitur Æthopia sine addito, & interior, núncque Abyssinorum regio est, quæ à Geographo vulgò dicto Nubiensi vocatur Habascia. Ut autem Æthiopes Occidentales nigri sunt, sic Orientales nigricant, unde nigri Arabes vocantur in historia Saracenica lib. 1. cap. 5. p. 41. & Maurorum nomen iis tribuunt Historici recentiores, inprimis qui scripserunt res à Saracenis gestas circa tempora Caroli Magni, ut videre est apud Baronium in Annalibus ad Annos 716. Num. 15. 725. Num. 10. 770. Num 32. & 807. Num. 4. Porrò jam olim Æthiopiam Orientalem & Occidentalem distinxit Homerus Odyss. Α'.

Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν
Οἱ μὲν δυσομένου ὑπάτοιο, οἱ δ' ἀντιόωντος.

Æthiopum duplex genus est, aliique cadentem
Solem respiciunt, alii vertuntur ad Ortum.

Hanc Homeri distinctionem laudat & probat Strabo Geograph. lib. 1. p. 21. ubi consulendæ Casauboni notæ, nec non Plinius lib. 5. Hist. Nat. cap. 8. Similiter Pomponius Mela lib. 1. cap. 2. manifestè quosdam Æthiopes collocat in Asia his verbis: *Sinum Persicum populi Persarum ambiunt, illum alterum Arabes. Ab his quod in Africam restat, Æthiopes.* Quæ cùm ita sint, Jonathan, Chus reddens Arabiam, & Chaldæus interpres Cant. 1. v. 5.

nigros dicens filios Chus, *qui habitant in tentoriis Kedar*, ſicque innuens Arabes illos nigricantes, qui pars erant Saracenorum, & à verbo Hebraïco קדר, quod eſt *nigreſcere* propriè ſolis ardore, dicebantur Kedareni, Cedrei, & Kedranitæ, eſſe Chuſæos, explicant mentem veterum, qui terram Chus Æthiopiam ſunt interpretati, indicántque eos non intellexiſſe Æthiopiam Occidentalem ſeu Meridionalem, ut ſupponit Matthæus Beroaldus in Chronico eúmque ſecutus Bochartus in Phalge, ſed Orientalem, hoc eſt ipſiſſimam Arabiæ partem vicinam Ægypto. Judæa & Meſopotamiæ, quam incoluere veteres Scenitæ & recentiores Saraceni, quámque ſolam nomine Chus in Scripturis deſignatam laudati Beroaldus & Bochartus invictis probavere argumentis.

Primum petitur ex collatis locis Exod. 11. v. 16, & 21. & Num. 12. v. 1. In poſteriori loco Sephora uxor Moſis vocatur Chuſitis הכושית, quæ in priori inſignitur filia Sacerdotis Madian. Eadem igitur cùm fuerit Madianitis & Chuſitis, ſequitur terram Madian fuiſſe terram Chus. Porrò urbem Madian in Arabia ſitam fuiſſe in ſinu Arabico, ſeu maris Rubri littore conſtat ex Joſepho lib. 2. Antiq. cap. 5. Hieronymo de locis Hebraïcis, Ptolomæo lib. 6. cap. 7.

Secundum petitur ex Habacuc 3. v. 7. ubi non modò Chuſan, quod diminutivum eſt à Chus, vel ut eadem cum terra Madian, vel ut ei contermina inducitur, ſed inſuper fit mentio אהלי כושן, *tentoriorum Chuſan*, quod apprimè quadrat in Arabes Scenitas, qui in tentoriis habitabant.

Tertiò Job 28. v. 19. meminit פטדת כוש, *topazii Chus*. Verùm topazii copia non eſt in Æthiopia Occidentali, ſed in Orientali, nimirùm *in Arabiæ inſula, quæ Chitis vocatur*, ut lequitur Plinius lib. 37. Hiſt. nat. cap. 8.

Quartò 4 Reg. 19. v. 9. Rex Chus Tharaca ſeu Tirhaca Sennacheribum Aſſyriorum Regem Judææ oppidum Lobnam ſeu Libnam occupantem ex improviſo eſt adortus. Similiter 2 Paral. 14. v. 9. Zara ſeu Zerach Rex Chus egreditur in Aſam Regem Judææ cum decies centenis millibus militum. Hæc conveniunt Regi Æthiopiæ Orientalis in vicinia poſito, non Regi Æthiopiæ Occidentalis tot deſertis, & ipsâ totâ Ægypto diviſæ à Judæa.

Quintò 2 Paral. 21. v. 16. Arabes dicuntur confines Chuſæis על יד כושים; at Arabibus confines non ſunt Æthiopes Occidentales, ſeu Africani, inter quos tota Ægyptus eſt poſita, ſed Orientales, ſeu Aſiani ad mare Rubrum diſpoſiti.

Sextò Eſ. 18. v. 1, & 2. Ægyptus periphraſticè deſcribitur, quòd ſit terra cymbali, quia in ea ſiſtrum ſacerdotibus Iſidis fuit eximi-

eximium; quod miserit in mare צירים, *legatos*, seu, *idola*, in vasis papyraceis, quando videlicet caput Osiridis injectum in mare vi diabolicâ ex Ægypto delatum est Byblum septem diebus; quòd sit *trans flumina Chus*. Cùm verò Æthiopia Africana sit trans Ægyptum, Chus utique Æthiopiam Arabicam hîc apud Esaiam designat. In Arabia enim sunt flumina Besor in mare Mediterraneum, Rhinocoruræ torrens in lacum Sirbonidem, & amnis Trajanus in mare Rubrum defluentes. Et trans hæc flumina est Ægyptus.

Septimò Es. 20. v. 5. Israël dicitur confundendus à Chus spe suâ, & ab Ægypto gloriâ suâ. Non fit autem verisimile in certamine cum Assyriis Israëlem præfidisse Æthiopibus Occidentalibus sub alio cœlo agentibus. Ergo terra Chus, à qua ut & ab Ægypto auxiliares copias expectabat, est Æthiopia Arabica.

Octavò Ezech. 29. v. 10. Deus minatur se à turri Syenes, quæ fuit urbs Thebaidos, & ex Ezech. 30. v. 6. Nabuchodonosor Regis victoriarum limes, Ægyptum esse pervastaturum usque ad terminum Chus. At respectu Syenes Ægypti terminus oppositus est Æthiopia Arabica, non verò Africana, quæ est πλησιόχωρος terra Syenæ proxima.

Nonò Ezech. 30. v. 7, 8, & 9. Ægypti nuntii dicuntur prodituri navibus ad perterrendam Chus, seu, ut alii efferunt, Cusch securam. Non utique Æthiopiam Africanam Ægypto continentem, & non nisi montibus ac desertis distinctam; Nilus enim adversus propter cataractas prope Syenem navigari non potest. Sed ab Ægypto in Æthiopiam Arabicam commeantibus necessariæ fuerunt naves per mare Rubrum.

Numquid non Israël, &c. Q. d. Quamvis primâ conditione pares mihi sitis cum vilissimis & abjectissimis Æthiopibus Arabicis, asserui tamen vos ex Ægyptiorum durissimo servitio; neque est quod eo nomine vos plus æquo efferatis, cùm simile beneficium à me præstitum sit Philistæis & Syris.

De Cappadocia. Heb. *Caphthor*. Hinc Jerem. 47. v. 4. Philistæi dicuntur שארית אי כפתור, *reliquiæ populi Caphthor*. Bochartus sacrorum locorum felicissimus designator restringit vocem Caphthor ad eam partem Cappadociæ, quæ est proxima Calluchæis, hoc est, Colchis, nempe circa Trapezuntem ubi desinebant Colchi. Hujus conjecturæ adfert argumentum, quòd cùm malum Punicum Hebræi *Caphthor*, Græci *Siden* vocant, in iisdem locis fuerit Side, à qua Sidene regio dicta. Porrò Siderii populi, Ponti Polemoniaci, & Cappadocici maritima tenuerunt à fluvio Thermodoonte usque ad Trapezuntem & fines Colchidis. Itaque Side videtur ipsa urbs Caphthor fuisse.

Syros de Cyrene. Heb. *è Kir.* Sic 4 Reg. 16. v. 9. ubi Vulgatus interpres ait Syros Damascenos à Theglathphalasar Assyriorum Rege translatos *Cyrenen*, Hebraïcè habetur *Kir*, quam urbem fuisse circa Elymaidem colligitur ex veritate Hebraïca Es. 22. v. 6. Urbis Kir meminit Arabs Geographus vulgò dictus Nubiensis par. 7 Clim. 2. in provincia Mechron, id est, Gedrosia. Chaldæus intelligit urbem Mediæ mediterraneam ad Mardum vel Amardum fluvium, qui in mare Caspium exit, quam urbem Ptolemæus lib. 6. cap. 2. vocat Κυρλώα, ejus interpretes *Kurna*. Non desunt qui *Kir* dictam putent Iberiam, & regionem ad Cyrum fluvium, qui idem & Cyrnus vocatur. Est & urbs Cyrene in Africa, quæ post Esaiæ & Amosi tempora fuit condita, nec unquam Assyriis subjugata.

8. *Ecce*, &c. Q. d. Jamjam regnum decem tribuum seditione constitutum, & idololatriâ constabilitum disperdam; misericorditer tamen quasdam ex iis, regno sublato, servabo reliquias.

9. *Ecce*, &c. Id est, quemadmodum triticum vagatur in cribro, nec inter aceres & quisquilias ex eo decidit lapillus, sic Israelitæ inter omnes gentes dispersi jussu meo movebuntur, ut tamen non excidantur funditùs.

10. *In gladio*, &c. Q. d. Illi duntaxat omnes ad unum peccatores pretium ob stultitiam ferent, qui se inulta omnia scelera semper ablaturos sperantes aiunt nunquam eventura mala per Prophetas prædicta mortalibus nisi respiscant.

11. *In die illa*, &c. Theodoretus refert à nonnullis credi impleta, quæ hîc prænuntiantur, in Zorobabel ex Davidis stirpe oriundo. Verùm, ut ait Hieronymus, *ubi Apostolorum præcellit auctoritas, maximè Petri & Jacobi, quos columnas Ecclesiæ vas electionis vocat; ibi omnis variæ explanationis tollenda suspicio, & quod à tantis viris exponitur, hoc sequendum.* Jacobus autem Act. 15. v. 16. non verba sed sensum hujus prophetiæ laudans, docuit nos ipsam esse intelligendam de recipiendis in gratiam gentibus, atque cum Israëlitis in unam Christianæ Ecclesiæ per Templum Davidis pecuniâ à Salomone extructum significatæ societatem & communionem conjungendis. Hinc verè ait Hieronymus, *In hoc Propheta, & in cæteris quæcumque de ædificatione Jerusalem, & Templi, & rerum omnium beatitudine prædicantur, Judæi in ultimo tempore vanâ sibi expectatione promittunt, & carnaliter implenda commemorant. Nos autem, qui non occidentem litteram, sed spiritum sequimur vivificantem, jam in Ecclesia convincimus expleta, & quotidiè impleri in singulis, qui ruentes per peccatum, reædificantur per pœnitentiam.*

12. Ut

12. *Eò quòd invocatum ſit nomen meum ſuper eos.* Q. d. Quia de nomine meo vocantur populus Dei, aut Chriſtiani. *Sic*, inquit Clariſſimus Amama, *vocari nomen alicujus ſuper aliquo*, *Eſ.* 4. *v.* 1. *vocari nomen alicujus in aliquo*, *Gen.* 48. *v.* 16. *vocari ſuper aliquem in nomine alicujus Pſ.* 49. *v.* 12. *eſt denominari, vel denominare aliquid de nomine alicujus.* Sic de Enos dicitur Gen. 4. v. 26. *Iſte cæpit invocare nomen Domini*, id eſt, cœpit denominare prolem ſuâm de nomine Domini. Nam Aquila, Theodoretus & alii viri doctiſſimi vertunt ibi ex Hebræo, *Tunc cæptum eſt denominari de nomine Domini*: q. d. Tunc diſſectum eſt, & quaſi diviſum abiit genus humanum in duas partes, quarum una, piorum ſcilicet, appellata de nomine Dei dicebatur *filii Dei*; altera, videlicet impiorum, de nomine Adam vocabatur *filii Adàm*, ſeu, *filii hominum*, ut videre eſt Gen. 6. v. 2.

Dicit Dominus faciens hæc. Q. d. Hæc prædico vobis ejus nomine, qui virtutem habet ad ea facienda.

13. *Ecce*, &c. Quoniam ſpirituales promiſſiones non omnès ut par eſt perpendere queunt, etiam bonorum corporeorum ſummam promittit ubertatem, ut ait Theodoretus.

Comprehendet arator meſſorem, &c. Q. d. Frugum quoque tantâ vos faciam ubertate gaudere, ut ad ſementis tempus procedat meſſis, nimiùm opima; quin etiam vix ſementes factæ erunt, cùm rurſus vindemiandum erit. Simili adagio maximam rerum abundantiam, & jugem terræ proventuum perceptionem ſignificavit Moſes Levitic. 26. v. 5. his verbis: *Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem.*

Mittentem ſemen. Heb. *trahentem ſemen*, משך הורע, ſcilicet propter ſulcorum longitudinem, in quos ſemen tractim ſpargitur.

Calcator uvæ, id eſt, vindemiator; nam is quoque calcando ex uvis vinum exprimit.

Stillabunt montes dulcedinem, &c. Simili tropo ſummam felicitatem deſcripſit Virgilius Eclogâ 4.

Molli paulatim flaveſcet campus ariſtâ,
Incultiſque rubens pendebit ſentibus uva:
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Vide quæ diximus in Joël 3. v. 18.

14. *Plantabunt vineas*, &c. Agriculturæ uſus ſecuritatem ſignificat; unde in antiquis numiſmatibus pingebatur ſecuritas alterâ

alterâ manu aratrum, alterâ cornucopiæ tenens. *Omnium enim rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agriculturâ melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius*, inquit Cicero lib. 1. de Officiis. De quiete etiam & fortunato statu agricolarum elegans est digressio apud Virgilium secundo Georgicorum, quæ ita incipit:

O fortunati nimiùm, sua si bona noverint
Agricolæ.

15. *Plantabo eos*, &c. Q. d. Arbor plantata non transfertur; sic & ego stabiliam filios Israël, ut suo loco ampliùs non moveantur. Hoc idem Joël dixit his verbis cap. 3. v. 20. *Judæa in æternum habitabitur*, &c. Vide ergo quæ ibi dicta sunt à nobis.

FINIS.

ABDIÆ PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

ABdias omnium Prophetarum breviſſimus & minimus *verſuum ſupputatione non ſenſuum*, ut loquitur Hieronymus. Prophetavit adverſus gentem Idumæam. Quo autem tempore prophetarit non planè conſtat. Laudantur à SS. PP. Hebræi, qui dicant hunc eſſe Abdiam illum, qui ſub Rege Samariæ Achab, & impiiſſima Jeſabel 3 Reg. 18. v. 14. pavit centum Prophetas in ſpeluncis. Addunt hunc Vatem eſſe tertium Pentacontarchum ab Ochoſia miſſum, cui ſupplici Elias pepercit 3 Reg. 1. v. 13. Verùm cùm hæ traditiones incertæ ſint, & dubiæ, mihi probabiliùs ſentire videntur, qui Abdiam aiunt vaticinatum poſt captam à Chaldæis Jeroſolymam. Idumæis namque objicit quod odio inveterato, & internecino contra fratres ſuos Judæos in excidio Jeroſolymitano Chaldæos adjuverint & opibus, & armis, profugóſque à Chaldæis hoſtilem in modum habuerint. Iiſdem penè verbis ac Jeremias cap. 49. jure talionis intentat exitium, quod accidiſſe anno quinto poſt exciſam Jeruſalem narrat Joſephus lib. 10. Antiq. cap. 11. Quod & Ezechiel cap. 25. v. 12. & Pſalmorum 79. & 137. ſcriptores eodem ferè tempore fecerunt. Abdiam fuiſſe proſelytum ex Idumæis dicunt Rabbini, oriundum ex terra Sichem, agro Bethacaram, in finibus Manaſſe ait Pſeudo-Dorotheus. *Sepulchrum ejus uſque hodie in Sebaſte, quæ olim Samaria dicebatur, cernitur*, inquit Hieronymus. Catalogo ſanctorum aſcriptus eſt in Martyrologio Romano XIII. Kal. Decembris.

CAPUT

CAPUT I.

1. *Visio Abdiæ.* Hoc est, divinitùs facta Abdiæ revelatio hæc est.

Hæc dicit Dominus Deus ad Edom. Q. d. Meâ utens linguâ tanquam organo quodam hæc Idumææ futura prædicit omniscius & omnipotens Deus.

Auditum, &c. Id est, nam ego & Jeremias audivimus hæc dicentem Dominum in visione prophetica, & insuper legatum ad Idumæorum hostes missum, qui eos ad bellum contra Idumæam gerendum verbo & exemplo concitet atque hortetur. Eadem ferè verba habentur Jerem. 49. v. 14.

2. *Ecce parvulum,* &c. Q. d. Cùm sis infimæ conditionis inter gentes, omniúmque populorum maximè contemtibilis & abjectus, ea tamen est animi tui elatio, ut invictum atque inexpugnabilem te fallaci opinione arbitreris, quòd munitissimas arces editissimis rupibus impositas inhabites.

4. *Si exaltatus,* &c. Id est, falleris & allucinaris turpiter; nam etsi aquilæ instar ad nubes usque te offeras, & loca undequaque munita occupes, facillimè tamen inde ego te deturbabo.

Ut aquila. Nullam esse avium, quæ aquilâ, sublimiùs sese efferat, non hic tantùm locus, & sed & Salomon docet Prov. 25. v. 5. *Facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.* Sed cœlum ab Hebræis pro aëre sumi etiam pueri sciunt. Hinc oraculo de Athenienfibus edito, Ἀιετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι, *Aquila in nubibus fies,* Aristophanis in Avibus Scholiastes ait significari eos tantùm augendos, quantùm aquila in nubibus supra reliquas aves eminet. Aben-Ezra quoque in Job 29. v. 30. & Kimchius Jerem. 49. v. 16. & Horus Apollo Hieroglyph. lib. 2. cap. 53. omnium avium altissimè volare Aquilam asserunt. Et Apuleius lib. 1. Floridorum, *Aquila enimverò cùm se nubium tenùs altissimè sublimavit, evecta alis, totum istud spatium, quo pluitur, & ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini, nec fulguri locus est, in ipso, ut ita dixerim, solo ætheris, & fastigio hyemis.* Unde Aquila à Poëtis passim dicitur *altivolans,* & *cælipeta.* Quin ob id ipsum, si Aristoteli credimus, Hist. lib. 9. cap. 32. *Homines solam avium divinam esse perhibent.* Saltem hinc ortæ fabulæ de Aquila in sinu Jovis, & fulminum administra. Et quòd ejus pennas alii ad ignem elementarem, alii ad vicini solis radios exuri somniârunt.

Ut

Ut de Aquila taceam è rogo Cæsarum emitti solitâ, tanquam Principis animam in cœlum delaturâ. Ita enim credebatur, ut videre licet apud Dionem lib. 56. in Augusti funere, & Herodianum lib. 4. Proinde in veterum nummis ab una parte videre est Imperatoris effigiem, ab altera Aquilam, cui insideat Imperator cum hac inscriptione, *Consecratio S. C.* Et si Rex, aut Princeps Aquilâ vehi se somniet, id illis mortem portendere scribit Artemidorus lib 2. cap. 20. quia hos mortuos vetus mos erat fingere & pingere Aquilæ insidentes.

Si inter sidera posueris nidum tuum. Hoc eâdem hyperbole dicitur, quâ Rex Babyloniæ ita sese effert Esa. 14. v. 13. *In cœlum conscendam, super astra exaltabo solium meum.* Cui non est absimilis hæc Xerxis jactantia apud Herodot. lib. 7. cap. 10. Γῆν τὴν Παραλίην ζεύξομεν τοῦ Διὸς αἰθέρα ὁμορίσσαν, *Terram Persidem ætheri Jovis conterminam reddemus.* Nempe ut super astra exaltare solium suum & terram suam ætheri Jovis conterminam reddere, est ad summum sublimitatis fastigium evehere; ita nidum inter sidera ponere dicitur aquila, quia in celsissimis locis nidificat, ut testatur Philosophus hist. lib. 9. cap. 32. & Damir cap. De Aquila, &c.

5. Si fures, &c. Q. d. Pejus tecum agetur, magisque afflicta erit conditio tua, quàm si fures te invasissent, etiamsi vindemiatorum instar subinde ad tua diripienda rediissent; quia hi, licèt damno, malóque tanto te affecissent, ut hoc silens ferre non posses, tamen sublatis ad usum sibi commodissimis, asportandúmque facillimis, aliquid semper reliquissent.

6. Quomodo scrutati, &c. Id est, Prædatores ad te, Domino jubente, venient, qui tam diligenter omnia secreta tua, & cavernas, ac foramina spæluncarum, in quibus habitas, ô Esau, lustrabunt, & prescrutabuntur, ut omnia prorsus quantumvis abstrusa, & in terra defossa ipsis patefiant. Vide locum huic parallelum Jerem. 49. v. 10.

7. Usque ad terminum, &c. Id est, ingruente Idumæis exitio, omnes qui antè erant ipsis fœderati simulatâ humanitate prodent eos hostibus; Neque Idumæi sic delusi & impugnati præ animi stupore intelligent simulatæ à fœderatis amicitiæ sublatere fraudem.

8. *Numquid,* &c. Q. d. Hic autem animi stupor, Deo ultore, accidet, ut sentiant nihil humanam omnem superbiam adversus Dei consilia, nihil humanos conatus adversus vim divinam valere.

De monte Esau. Id est, de Esau monticola. Idumæa enim erat regio montosa.

9. *Et timebunt,* &c. Id est, fortissimis quibusque animus cadet, ut nullus ex posteris Esau ab interitu internecando pareto libentur.

A Me-

A Meridie. Heb. *à Theman.* Idumæa vocabatur Theman vel à nepote Eſau, vel à ſitu ad meridiem Judææ. Meridies enim nuncupatur תימן, *Theman* & ימין *jamin*, id eſt, *dextra*, tanquam dextera mundi pars.

10. *Propter*, &c. Hoc eſt, pudore ſuffunderis, & irreparabili clade afficieris ob ſtragem à te patratis fratris tui Jacob illatam.

11. *In die* &c. Q. d. Quando Babylonii Judææ rum milites captivos abigebant, & captâ Jeruſalem ſorti bonam prædam ex Babyloniorum ſocius eras, Judæiſque adverſabaris.

Mittebant ſortem. Sortiendi morem non modo fuiſſe apud veteres frequentem, ſed à Deo etiam vel præſcriptum, vel approbatum conſtat ex Scripturis. Inter duos hircos, quorum unus erat immolandus, alter in deſertum ablegandus, ſortitio præcipiebatur Levit. 16. v. 8. Aaron ſorte aliis præfatus eſt ad ſummum ſacerdotium, ipſo Deo ſic jubente Num. 17. cujus etiam juſſu Samuël Saülem in Regem ſortitò elegit, 1 Sam. ſeu Reg. 10. v. 2. Terra promiſſionis ſorte diviſa eſt inter Iſraëlitas Num. 26. v. 55. Munia quoque ſacerdotalia ſorte obtingebant 1 Paralip. 24. Ideóque Lucas ait ſorte obtigiſſe ut Zacharias Joannis Baptiſtæ pater thura Deo intra Templum adoleret. Jure itaque merito Salomon Prov. 18. v. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat.* Quem locum ita illuſtrat clariſſimus Joannes Maury Doctor Theologus in Philoſophia practica,

Rebus in obſcuris, dubiiſque, ubi nutat utramque
Juſtitia in partem, neſcitque ubi certa recumbat,
Judicium ritè ad ſortem deferre juvabit;
Præcipuè ſi lis proceres exarſerit inter
Æquales, quorum facilis ſit cedere neuter;
Si Regéſque inter, ratio quibus omnis in armis
Plerumque, exercent populi qui ſanguine lites,
Arbitris nec ſtare velint communibus ullis;
Arbitra ſors fiat, quæ cunctis imperat æquè.

Itaque licèt ſortilegia, ſeu ſortes fatidicæ reprobentur, legitimus tamen eſt ſortium conſultoriarum in diviſionibus & electionibus uſus, imò & neceſſarius, ubi aliter ambiguitas commodè expediri nequit. Hinc coheredes inter ſe ſortiri poſſunt apud quem ex ipſis remanſuræ ſint cautiones hereditariæ *L. ſiquæ ſunt cautiones, D familiæ herciſcundæ.* Sortitio hereditatem dividit, *L. 2. C. quando & quibus quarta pars debeatur.* In judiciis familiæ herciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum, quibus confines poſſeſſores vel heredes, vel ſocii de partitione decertant, ſi quæratur litis ordinandæ gratiâ uter actor ſit, uter reus, res diſcernitur

cernitur sorte. *L. sed cùm ambo. D. de judiciis.* Si plures legatarii inter se circa rerum legatarum optionem dissentiant, sorte dirimitur controversia, ut ad quem sors veniat, illius sententia in optione præsellat, parag. *Optionis, Instit. de legat.* Nempe ut ait Aug. in Psa. 30. Conc. 2. *Sors non aliquid mali est, sed in dubitatione humana res est divinam indicans voluntatem.* Et laudatur in decreto Gratiani, 26, q. 2. c. 1. Immeritò igitur à venerabili Beda reprehenduntur discipuli quòd suffecturi aliquem in locum apostolatus, de quo prævaricatus erat Judas, ad sortes recurrerint.

12. *Et non despicies* &c. Q. d. Non est cur despiciens fratrem tuum ærumnis confectum læteris ipsum captivum abduci, eique insultes quia similis tibi impendet calamitas.

Despicies. Heb. *videbis. Videre* sumi pro *despicere* observavi in Commentario nostro in Cant. 1. v. 5.

In die fratris tui. Dies alicujus dicitur, quæ ipsi novâ & insuetâ clade quasi peculiaris ac propria redditur.

In die peregrinationis ejus. Heb. *alienationis ejus.* Id est, cùm captivus in alienum solum abduceretur.

Super filios Juda. Duæ enim tribus, exceptâ Leviticâ, quæ regnabant in in Jerusalem, & appellabantur Juda à Chaldæis captæ sunt. Hier.

In die perditionis eorum. Diem sine addito diem peregrinationis, diem angustiæ, & diem perditionis vocat diem, quâ Babylonem deportati sunt Judæi.

Magnificabis os tuum. Magnificare os dicitur, qui verbis mordacibus insolenter alicui insultat, ut videre est in textu Hebræo Psal. 35. v. 21.

13. *Neque ingredieris*, &c. Id est, neque in die vastitatis & ruinæ populi mei debebas pertam Jerusalem gloriabundus incedere, neque despectui habere paternam calamitatem, neque vim & manus illi inferre, dum prælaretur.

14. *Neque stabis*, &c. Id est, neque fugâ sibi consulentibus obvius esse debebas, ut eis omnes exitus præcluderes, neque eos, qui reliqui ex ea clade fuerant, miseris modis afflictos vexare.

15. *Quoniam*, &c. Id est, nam propè est tempus, quo à Babyloniis oppugnentur gentes omnes quæ Judæos impugnarunt, & convertet Deus in caput tuum quod commeruisti.

Dies Domini. Id est, judicium Domini. Vide quæ diximus Joël 1. v. 15.

Retributionem &c. Id est, idem patieris, quod Israëli fecisti. Hoc mox aliis verbis dixerat. *Sicut fecisti, fiet tibi.* Est autem Hebraismus sermonis familiaris, ut retribuere dicatur, qui primò aliquid tribuit, vel facit, quomodo hîc retributio significat injuriæ initium.

16. *Quo-*

16. *Quomodo*, &c. Apostrophe ad populum Dei filios Juda. Q. d. Quæ mala vos passi estis in monte Sion, eadem patientur gentes vobis inimicissimæ, & jugiter quidem patientur, hoc est, absque spe recuperandæ salutis amissæ.

Super montem sanctum. Cur mons Sion vocetur mons sanctus, dixi Joël 2. v. 1.

Absorbebunt. Id est, calicem divinæ ultionis ebibent. Unde autem desumtæ sint hujusmodi locutiones, *absorbere, & bibere calicem*, de afflictione seu ultione necessariò toleranda, diximus in Commentario nostro in Marc. 14. v. 37.

Et erunt quasi non sint. Id est, gentes illæ interibunt funditùs, ita ut ne memoria quidem ulla eorum sit superfutura.

17. *In monte autem Sion*, &c. Id est, mons Sion amissam recuperabit salutem, nec ampliùs prophanabitur ab extraneis. Hoc idem aliis verbis dixit Joël cap. 3. v. 17. Vide ibi Commentarium nostrum.

Possidebit. Scilicet, *sub Zorobabel, vel Esdra & Nehemia*, ut ait Hieronymus, vel potiùs sub Joanne Hyrcano Judæorum Pontifice & Ethnarcha, qui Idumææ urbes Adora & Mariſſam cepit, subjugatisque Idumæis omnibus, edixit ut circumciderentur, nisi mallent è propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt & circumcisionem, & reliquam juxta Judaicos ritus vivendi formulam: atque ex eo primùm tempore inter Judæos censeri cœpti sunt. Joseph. Antiq. lib. 13. cap. 17. & lib. 15. cap. 11. lib. 4. de bello Jud. cap. 16. al. 6.

18. *Domus Jacob. Id est, Juda*, inquit Hieronymus. *Domus Joseph. Id est, decem tribuum. De Joseph quippe natus est Ephraim, ex qua tribu Samariæ imperium fuit.* Hier.

Domus Esau, &c. Q. d. Idumæi verò erunt ut stipula, quæ acturum flammâ & igni absumitur. *Quomodo ignis & flamma citò stipulam devorat, sic duo regna in unius sibi virgæ, juxta Ezechielem, copulam fœderata, vastabunt Idumæam, & devorabunt eam, & non erit residuus ex populo, qui possit eversionem adversariorum vicinis gentibus nuntiare.* B. Hier.

Locutus est. Id est, irrevocabili sententiâ decrevit.

19. *Et hereditabunt*, &c. Q. d. Possidebunt hi Jacob & Joseph posteri montem Esau, seu Idumæam, quæ est ad Austrum Judææ, & regionem campestrem à Philisthæis olim inhabitatam cum regione Ephraim, id est, cum Samaritide, sive regno decem tribuum; & *Benjamin, cujus statim ab Jerusalem contra Septemtrionem termini dilatantur, cunctam possidebit Arabiam, quæ priùs vocabatur Galaad, & nunc Gerasa dicitur.* B. Hier.

20. *Et transmigratio*, &c. Id est, multitudo filiorum Israël, cùm ex captivitate restituetur in patriam, possidebit omnia loca Chana-

Chananæorum usque ad Sareptam Sidoniorum, ubi quondam Elijam pavit vidua; & qui ex urbe Jerusalem in Bosphorum erant translati, reduces imperabunt cunctis, quæ in Austro sunt, civitatibus.

In Bosphoro. Heb. בספרד, *in Sepharad.* *Nos*, inquit Hieronymus, *ab Hebræo, qui nos in Scripturis sanctis erudivit, diximus Bosphorum sic vocari, & quasi Judæus: Ista, inquit, est regio, ad quam Adrianus captivos transtulit. Quando ergo Christus noster venerit, tunc reversura est in Judæum etiam illa captivitas. Possumus autem locum quemlibet regni Babylonis intelligere, quanquam & aliud arbitrer. Nam consuetudinis Prophetarum est, quando loquuntur contra Babylonem, Ammonitas, Moabitas, Philistiim, & ceteras nationes, multis sermonibus linguæ eorum abuti, & servare idiomata provinciarum. Quia ergo linguâ Assyriorum terminus, qui Hebraicè dicitur* גבול, *vocatur Sepharad: hunc sensum esse conjicio: Transmigratio Jerusalem, quæ in cunctis terminis regionibusque divisa est, urbes austri, id est, tribus suæ recipiet.* Hactenus B. Hier.

21. *Et ascendent*, &c. Id est, Hieronymo interprete, *Cumque hæc expleta fuerint, sicut in libro Judicum, (Mittebat Dominus salvatores, qui populum de captivitate salvarent) sic ascendent, & venient in montem Sion, ut judicent atque discernant quasi subjectum & servientem sibi montem Esau, hoc est, Idumæos: subjugatisque omnibus, erit Domino regnum.*

Judicare. Id est, punire supplicio commerito.

Et erit Domino regnum. Scilicet, soli, quia omnes impio & profano simulachrorum cultu abjecto, Deum verum agnoscent, religioseque colent.

FINIS.

N JO-

JONÆ PROPHETÆ

Explicatio Litteralis.

JOnas filius Amathi ex tribu Zabulon oriundus patriam habuit Jeth, quæ est in Opher 4 Reg. 14. v. 25. Josephi. lib. 9. Antiq. cap. 11. Hæc autem Geth erat oppidum tribûs Zabulon ex Jos. 19. v. 13. in Galilæa gentium ex Esa. 9. v. 1. Quod obiter notandum adversus Pharisæorum illud ad Nicodemum Joan. 7. v. 52. *Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa Propheta non surgit.* Hic verò regnante Joas, ut videtur, cùm Syriorum oppressione consumti essent Israëlitæ *usque ad clausos carceris, & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israëli*, à filio ejus Jeroboamo regnum ex eorum potestate vindicandum prædixit 4 Reg. 14. v. 25, & 26. & ad Assyriorum metropolim Niniven postea missus, prædicatione suâ & Regem & populum ad pœnitentiam Adduxit. In Martyrologio Romano refertur in Sanctorum numerum, qui ex hac vita excessere XI. Kal. Octobris. Ejus Sepulchrum in ipsius viculo natali Geth, qui temporibus Hieronymi Diocæsarea vocabatur, secundo à Sephorim milliario versus Tyberiadem ostendi testatur idem Hieronymus in procœmio in hujus Prophetæ librum.

CAPUT

CAPUT I.

1. ET *factum est.* Particula & oticsè additur ex Hebrææ linguæ proprietate, quâ futuram verbi Hebræi significationem in præteritam convertit.

Verbum Domini. Vide quæ diximus Joël 1. v. 2.

2. *Surge.* Ut *sedere* dicitur, qui in aliquo loco manet, ita *surgere*, qui ex eo digreditur.

In Nineven. Ninive, seu, Nineve Græcis & Romanis scriptoribus ferè semper dicitur Ninus. Nomen Hebræum נינוה *Nineve* dici putatur quasi נין־נוה *Nin—nave*, id est, Nini habitatio, vel à Nini filio Νινύας, ut hîc illustre sit exemplum vanitatis illius, quam notat Psaltes ps. 48. Heb. 49. v. 12. *Vocaverunt nomina sua in terris suis.* In quem locum rectè Rabbi Salemon Jarchi, *Id est, appellant nominibus suis domos, quas ædificant, ut sint monumentum. Sic Gen. 4. v. 17. Cain vocavit urbem nomine filii sui Enoch, ut Antiochus condidit Anticchiam, Seleucus Seleuciam.* Caini exemplum est maximè ad rem, quia Ninus Nemrodi filius, ut Enoch Caini fuit: uterque autem urbem à se conditam appellavit non suo, sed filii nomine. Bochartus in Paleg. lib. 4. cap. 20. fusè probat duplicem esse Ninum, seu Nineven, unam Syriacam ad Euphratem in Comagena prope Samosatam & Hierapolim, alteram in Assyria trans Tigrim. De Syriaca Philostratus lib. 1. ex Dami inde oriundo, Ammianus lib. 14. & Suidas in voce Δάμις, quæ vocatur vetus Ninus. Plinius Assyriacam ponit lib. 6. cap. 13. ad Tigris Occasum in Mesopotamia, ubi hodie est Mosal, quam plerique putant esse Ninum. Sed Geographus perperam dictus Nubiensis, & Rabbi Benjamin Tudelensis locorum periti monent inter Mosal & Nini rudera Tigrim esse interjectum. Ut ut est, hoc apud veteres constat Ninum videlicet Assyriorum ad Tigrim fuisse versus Ortum, nec procul à Lyco, seu Zaba flumine, sed ex qua parte Lyci fuerit nihil certi potest definiri. Ptolemæus enim & Strabo supra Lycum, Ammianus verò, Paulus Diaconus, & mox laudatus R. Benjamin Tudelensis infra Lycum statuunt Niniven. Atque ita planè ignoratur hodie Ninives locus juxta id quod prædixerat Nahum 1. v. 8. & 3. v. 17. in quæ loca vide Commentarium nostrum.

Civitatem grandem. Heb. עיר גדולה לאלהים, *urbem magnam Deo.* Liveleius post Hieronymum & Kimchium reddidit,

urbem magnam Dei, id est, divinam, ac si *Lamed* præfixum voci *Elohim* sit nota non Dativi, sed Genitivi, ut in מזמור לדוד Sed obstare videtur epithetum גדולה interjectum inter עיר & לאלהים. Itaque hæc locutio haud absimilis est huic de Mose Act. 7. v. 20. ἀστεῖος τῷ Θεῷ, *erat venustus Deo*, id est, summè venustus. Et Ruth 2. v. 20. ברוך הוא ליהוה, *benedictus sit ille Domino*, id est, summè benedictus. Sic hoc loco *urbs magna Deo*, est ubis multò maxima. Chaldæus rectè ad sensum interpretatur *civitatem magnam coram Domino*, quomodo Nemrod, seu Nimrod vocatur Gen. 10. v. 9. *Robustus venator coram Domino*, id est, revera robustus, & ex judicio Dei ipsius, qui res videt intrinsecùs, & ex veritate æstimat.

Prædica in ea. Quæ scilicet ei impendet clades.

Quia ascendit malitia ejus coram me. Hoc est, in tantam prolapsa est vitiositatem, ut patientiæ meæ fines transcenderit. Passim autem *malitia* à Vulgato interprete usurpatur pro omni malo & vitio, quomodo hoc nomen usurpat Aug. lib. 8. de civitate Dei cap. 24. cùm tamen Cicero scripserit, *virtutis contraria est vitiositas*; *sic enim malo, quàm malitiam appellare, quam Græci κακίαν vocant. Nam malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium.* 4. Tusc.

3. *Surrexit Jonas.* Id est, digressus est è loco, quem incolebat.

Ut fugeret. Quemadmodum phrasi Scripturæ familiari *stare coram aliquo*, *sive in conspectu alicujus* dicitur qui alicui ministrat, ita qui detrectat imperatum sibi ministerium dicitur *fugere à facie*, seu, *è conspectu imperantis.* Jonas itaque detrectans munus prophetandi Ninivitis à Deo sibi impositum, fugisse à facie Domini dicitur. Si Hieronymo credimus, *à conspectu Dei fugere se Jonas putabat, humanum aliquid passus, dicente David, Quò ibo à spiritu tuo, & à facie tua quò fugiam?*

In Tharsis. Tarsis, seu Tharsis aliis est Tarsus Ciliciæ oppidum, à quo Paulus Apostolus dictus est Tarsensis; aliis est Carthago, aliis Tunetum. Eusebio est Iberia seu Hispania. Clarissimus Bochartus in Phaleg. lib. 3. cap. 7. fusè probat Tyrios & Phœnices in Hispaniam & usque Gades navigasse, ut in immensum conlocupletarentur ex metallorum effossione, quibus Hispania tunc temporis præscatebat. Ex quibus perspicuum fit Tarsis vel esse Hispaniam, vel Hispaniæ partem, Gades nimirùm & Tartessum, ubi Ezechiel cap. 27. v. 12. Tyrum ita compellat: *Tarsis negotiatrix tua præ copia omnium: argento, ferro, stanno, & plumbo negotiati sunt in nundinis tuis.* Vulgata reddit, *Carthaginenses negotiatores tui, a multitudine cunctarum divitiarum, argento, ferro, stanno, plumboque repleverunt nundinas tuas.*

tuas. Alia erat Tharsis in Oceano Indico, ad quam contendebant naves profectæ ex Asiongaber 2 par. 20. v. 36, & 37. Hinc in præsentem Jonæ locum Hieronymus, *Tharsis quantùm in Paralipomenôn libris intelligi datur, est quidam locus Indiæ.* Addit idem S. Doctor, *Hebræi Tharsis mare dici generaliter autumant, secundum illud Ps. 47. In spiritu vehementi confringes naves Tharsis. Et Es. 23. Ululate naves Tharsis. Non igitur Propheta ad certum fugere cupiebat locum, sed mare ingrediens quocunque pergere festinabat; & magis hoc convenit fugitivo, & timido, non locum fugæ otiosè eligere, sed primam occasionem arripere navigandi.*

Descendit in Joppen. Joppe, nunc Joffa, urbs erat Palæstinæ in districtu tribus Dan sita in edito saxo, & sub urbe portus erat in ora maris Mediterranei. De hac urbe Plin. Hist. Nat. lib. 5. cap. 13. *Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt.* Mela de situ orbis, *Est Joppe ante diluvium, ut ferunt, condita.*

Invenit navem euntem. Id est, funem solventem è littore, & ingredientem mare.

Dedit naulum. Hoc est, vecturæ pretium.

Descendit in eam. Latini conscendere navim, Hebræi in navem descendere dicunt, & utrique rectè. Nam priùs ascenditur è littore in navim, deinde descenditur ad ipsius alveum.

Ut iret, &c. Quod mox dixerat, *fugere à facie Domini*, hoc nunc vocat, *ire à facie Domini.*

4. *Dominus,* &c. Hoc est, Dei nutu, cui omnia parent, concitatur ventus validus, quo mare concutitur, & rabidi fluctus diverso certamine in fugitivum frendent, erectique ad navem latrantes currunt, adeò ut navis in discrimen naufragii venisset.

5. *Clamaverunt viri.* Hebraismus, id est, quique. Præclarè Hier. *Clamat unusquisque ad Deum suum: ignorantes veritatem, non ignorant providentiam, & sub errore religionis sciunt aliquid esse venerandum.*

Miserunt vasa. Ad preces industriam adjungunt, & projiciunt onera in mare, ut magnitudinem fluctuum classis levior transiliret. *Navis tamen non alleviabatur: totum namque adhuc onus manebat, Prophetæ corpus scilicet; onus grave, non ex natura corporis, sed ob pondus peccati. Nihil enim tam onerosum & grave, atque portatu difficile, quam peccatum & inobedientia. Propterea & Zacharias id plumbi figuravit similitudine. David verò describens ejus naturam ait: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Christus*

sius autem ad eos qui in peccatis vixerunt, iterùm dicit: venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Ipsum ergo peccatum scapham tunc gravabat, & pessum dari cogebat. Chrysost. Hom. 1. de pœnitentia.

Et Jonas descendit. Pro, descenderat. Q. d. *Horum autem ignarus erat Jonas; erat enim subter tegmine scilicet ratis, sopore irrigans fugitiva proprii corporis membra.* B. Fulgentius Serm. 16. inter novos. Chrysostomus autem loco mox laudato existimat somnum hunc Jonæ fuisse tristitiæ & afflictionis, non voluptatis partum. *Probi enim servi citò sentiunt peccata,* inquit, *quod accidit & Jonæ post commissum peccatum, illicò malum; nam ejusmodi est peccatum, ut cùm plenè editum fuerit, tunc parienti animæ dolores excitat contra leges nostræ nativitatis. Nos enim cùm primùm nati sumus, parturienti dolores solvimus: illud autem simul atque editum est, doloribus distrahit parientes ipsum cogitationes.*

6. *Si fortè recogitet Deus de nobis.* Id est, memor sit nostri, quorum videtur oblitus. *Noverat gubernator ipsâ experientiâ insuetam esse illam tempestatem, atque à Deo illatam plagam.* Chrysost. loco mox citato.

7. *Vir.* Hebraismus, id est, quisque.

Venite. Hebraismus scripturæ familiaris respondens Catinis vocibus hortativis, Agite, Agitedum.

Quare. Heb. בשלמי, *propter quem.*

Cecidit sors super Jonam. Non casu, sed Dei providentiâ. Unde Aug. in Ps. 30. Conc. 2. *Sors non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam & sortes miserunt Apostoli, quando Judas tradito Domino periit, & sicut de illo scriptum est, abiit in locum suum, cœpit quæri quis in locum ejus ordinaretur. Electi sunt duo judicio humano, & electus de duobus unus judicio divino. De duobus consultus est Deus quemnam ipsorum esse vellet, & cecidit sors super Matthiam.* Vide quæ diximus in versum undecimum Abdiæ Prophetæ.

8. *Quod, est opus tutum?* Id est, quâ arte victum quæritas?

Quò vadis? Heb. מאין תבוא, *unde venis?* Interrogatur persona, regio, ars, iter, genus, ut & ex his cognoscatur ratio discriminis, ipsêque propriâ voce se indicet tantæ tempestatis causam, quem ipse indicaverat.

9. *Deum cæli ego timeo.* Id est, colo Synecdoche. Scripturis familiari timor universum Dei cultum designat. Deut. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis,* hoc est, Christo interprete Mat. 4. v. 10. *Dominum Deum tuum adorabis.* Sic & Tibullus *timidum* dixit

xit pro religioso. Hinc & illud Persii sat. 2. *metuens divûm matertera.*

Qui fecit mare & aridam. Q. d. Me mare persequitur, qui maris & aridæ conditori, cœli ac terræ opifici, universorum Domino, ac Deo meo parere detrecto, & injunctum mihi ab ipso vaticinandi munus defugio. Præclarè itaque Basilius Seleuciensis Orat. 2. in Jonam, *Jonas sui ipse accusator extitit, & fugæ nomine respondens, fidei præco evasit, & Scholam pietatis naviculam fecit.*

11. *Cessabit mare.* Heb. וישתק הים, *& silebit mare,* hoc est, fremitus marinus.

Mare ibat, & intumescebat. Id est, horrisonum pelagus magis, magisque intumescebat.

14. *Clamaverunt ad Dominum.* Quem scilicet Jonas colebat, universorum conditorem.

In animam. Id est, ob cædem.

Ne des super nos sanguinem innocentem. Id est, ne in nos vindices cædem hominis, qui nihil nobis nocuit.

15. *Stetit mare à fervore suo.* Id est, *deferbuit mare,* ut Gellius loquitur.

16. *Et timuerunt,* &c. Jonas fugiens, hominum salutem lucratus est, fecitque pietatis discipulos, qui fugæ judices extitere.

Immolaverunt hostias. Scilicet, laudis, seu gratiarum actionis, cujusmodi hostias Oseas vocat *vitulos labiorum.* Vel sensus, hujus versiculi est, ut B. Theodoretus interpretatur, vota nuncuparunt nautæ metu Dei præpotentis, quem Jonas ipsis prædicaverat, perculsi, ubi domum redierint, se ipsi Deo hostias immolaturos, ipsúmque solum crediderunt esse omnium rerum Dominum.

CAPUT II.

1. ET *præparavit Dominus.* Ut nihil Deo adversante securum est, ita Deo juvante noxia quæque in salutem vertuntur.

Piscem grandem. Scilicet è piscibus, qui cetacei appellantur, quia quamvis cete non sint, tamen ad cetorum magnitudinem accedunt. Vide quæ diximus Mat. 12. v. 40. E cetaceis autem piscibus nullus in quem præsens Jonæ historia quadret aptiùs, quàm in eam canis marini speciem, de qua Ælianus Hist. lib. 1. cap. 8. κύνων θαλαττίων τρία γένη, καὶ οἱ μετὰ αὐτῶν εἰσι μεγέθει μέγιστοι, καὶ κητῶν ἐν τοῖς ἀλκιμωτάτοις ἀριθμοίντ' ἄν, *Canum marinorum tria sunt genera: atque ex iis quidam sunt tantæ magnitudinis ut cetis robustissimis meritò accenseantur.* Carcharias alii vocant ab asperitate dentium, alii lamias & lamnas à gulæ vastitate, ut videre est apud clarissimum Bochartum Hierozoici p. post. lib. 5. cap. 12. His belluis non solùm marc Rubrum præscatet, ut ex Theophrasto refert Plinius, sed & in Oceano, & in mari Mediterraneo non infrequenter occurrunt. In harum ventre repertos homines loricatos Niceæ & Massiliæ testatur Petrus Gillius. Hercules ab hujusmodi monstro absorptus, in ejus ventre latuisse fertur toto triduo, quod trinoctium vocatur, quia obscurus & tenebrosus erat venter belluæ ac proinde à Lycophrone dici trinoctialem leonem observant Lycophronis Scholiastes, & Phavorinus in voce τριέσπερος. Neque id Cyrillum & Theophylactum fugit, qui comment. in præsens Jonæ caput secundum Græcos aiunt de suo Hercule fabulam habere sacræ de Jona historiæ non absimilem, illum scilicet à cane marino, qui ab Archestrato vocatur θήριον ἀνθρωπόφαγον deglutitum mansisse incolumem, *nisi quòd tantummodò depilatus redierit, idque ob ingenitam & internam belluæ caliditatem*, ut loquitur Theophylactus inversione Leoniceri, nam textus Græcus non est mihi ad manum. Porrò cetus in Euxino mari Jonam non revomuit, ut vult Josephus, cùm mare illud propter Propontidis angustias cetis majoribus esse inaccessum testetur Aristoteles Hist. anim. lib. 8. cap. 13. Plinius Hist. nat. lib. 9. cap. 15. Ælianus Hist. lib. 9. cap. 55. &c. Prætereà ne verisimile quidem est Carchariam è mari Syriacò, seu Cilicio, quod medium est inter Phœniciæ Joppen, & Tarsum Ciliciæ, ubi Jonam voratum ait Josephus, ad Euxinum usque natasse, ubi idem Josephus revomitum narrat: Præsentim

Euxini

Euxini maris eam partem si intelligas, quæ Nino urbi propior erat, quod insinuat Josephus. Illa enim à Tarso distat itinere maritimo milliaribus minimùm mille sexcentis. Denique non fuit necesse Jonam in Euxino evomi, ut Ninivitis esset propior, quod Josephus supponit, cùm in mari Syriaco Alexandria, hodie Alexandretta, Nino urbi tam vicina sit, quàm quælibet pars Euxini maris. Sulpicius Severus Jonàm post triduum Ninivitarum littoribus ejectum fuisse scribit, Geographiæ sic se prodens maximè imperitum; nam nulla sunt Ninivitarum littora, nec ripæ Tigridis, ad quas Ninive sitâ erat, è mari Syriaco aliter adiri possunt, quàm totâ Africâ, quanta quanta est, & parte Asiæ circumactâ. Quale pensum ne Talos quidem triduo absolverit, quem Poëtæ Cretam universam ter singulis diebus circumivisse scribunt. Mahumetani quot dies pœnitentiæ Ninivitis indulsit Deus, tot dies Jonam hæsisse aiunt in ventre ceti, atque ita Assahili Arabs huic excursioni ex mari Syriaco ad ripas Tigridis quadraginta dies assignat.

2. *Deum suum.* Quem superiùs appellat Deum cœli, hîc Vates vocat Deum suum, non eò duntaxat, quòd eum coleret, ejusque Propheta esset, sed quia in alvo ceti salvum conservaverat singulari quodam beneficio, nec sine miraculo; unde perspicere facilè potuit Deum adhuc Deum suum esse, hoc est, eundem erga se, qui semper fuit.

3. *De ventre inferi.* Ventrem inferi vocat ceti alvum, quòd in ea esset tanquam in sepulchro. Nam & inferi, seu sepulchri vocabulo maxima quæque pericula designantur in Scripturis. Dicit autem Jonas, *De ventre inferi*, quomodo David dicit, *De profundis clamavi ad te Domine*: Q. d. E media calamitate; venter enim est in medio hominis, ideo pro medio ponitur. Atque ita quod modò dicit Jonas, *De ventre inferi*, mox aliis verbis dixerat, *De tribulatione mea.*

Exaudisti. Loquitur ut Propheta de futuro per præteritum, quia certus erat, cùm à ceto deglutitus non continuè expirasset, fore ut à Deo exauditus inde salvus & incolumis eriperetur, etsi modum, quo id futurum esset, ignoraret,

4. *Projecisti.* Deo tribuit, quòd nautæ, Deo autore, fecerant; unde nautæ ipsi suprà cap. 1. v. 14. Jonàm in mare projecturi deprecantur sibi cædis reatum his verbis, *Quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti.*

In corde maris. Hebraismus, id est, intra mare. Sic Ezech 27. v. 3. Tyrus, quæ non procul abest à littore, dicitur sita in corde maris, Heb. בלב ימים, *in corde marium.* Quòd notandum duxi propter eos, qui ex eo, quod Jonas iisdem verbis Hebraicis hîc utatur, philosophantur cetum, postquam Jonam absorpsisset, plura maria nando trajecisse; quasi hujusmodi enallage

numeri

numeri non sit Scripturæ familiaris. Quomodo autem Scripturæ dixit, *cor maris*, seu *marium*, & *cor terræ*, Sic Ovidus usurpavit, *terræ viscera*, & Catullus, *montis medullas*.

Flumen. Sic euripos vocat, ubi instar torrentis mare in varias partes præceps devolvitur.

Gurgites tui. Heb. משבריך, *confractiones tuæ.* Dicuntur autem fluctus turbine agitati דלי, *contritiones*, & משברים, *confractiones* quòd se mutuò conterant, & confringant. Vocantur autem hîc confractiones, seu gurgites & fluctus Dei, quoniam à Deo commoti erant.

5. *Et ego dixi*, &c. Q. d. Tum ego cogitabam te mei curam abjecisse. Cùm autem in ea cogitatione versarer, subierat tamen spes potiundi aliquando iterùm optatissimâ contemplatione Templi tui.

6. *Circumdederant*, &c. Id est, in tantum periculum deveni, ut actum planè videretur de vita mea.

7. *Ad extrema montium descendi.* Sic vocat rupes, quæ sunt in profundo, ubi illæ belluæ morantur.

Terræ vectes concluserunt me. Sic Exod. 15. v. 12. de Ægyptiis mari absorptis dicitur, *devoravit eos terra*; quia videlicet mare ipsum, quod Jonam & Ægyptios absorpserat, est in abyssis terræ.

Et sublevabis de corruptione vitam meam. Q. d. Nulla prorsus spes erat ex alvo ceti egrediendi, nisi tu me misericorditer inde quasi è sepulchro vivum eduxeris. Corruptionem vocat sepulchrum, quòd in eo cadavera corrumpantur.

8. *Cùm angustiaretur*, &c. Id est, cùm ad mortis fores essem, non me in tui oblivionem venire passus sum: ut tu quâ soles benignitate deprecantem exaudires.

Ad Templum sanctum tuum. Vel intelligit cœlum, vel sic loquitur, quia Templum Jerosolymitanum versus olim precantes aspiciebant.

9 *Custodiunt vanitates frustrà.* Heb. הבלי שוא, *vanitatis mendacii.* Id est, colunt ementitæ divinitatis simulachra, quibus nihil est vanius, cùm neque commodum, neque incommodum ullum afferre possint, *quia nihil est idolum in mundo*, ut loquitur Paulus 1 Cor, 8. v. 4.

Misericordiam suam derelinquunt. Id est, deserunt Deum benefactorem suum, cujus benignitate & misericordiâ vivunt, moventur, & sunt.

10. *Ego autem.* Qui scilicet te solum Deum verum, Dominum cœli & terræ colo, hujus recordatio mihi saluti fuit, cùm desperarem salutem, & carnis fragilitas in medio ventre ceti nihil me de vita sperare permitteret.

In voce laudis. Id est, gratiarum actione.

11. *Dixit Dominus pisci.* Deus dicitur loqui, & præcipere brutis & rebus inanimatis, cùm ad exequenda sua decreta iis utitur.

In aridam. Scilicet ad Alexandriam, seu Alexandrettam in mari Syriaco. Vide quæ diximus supra v. 1. Eleganter autem ad distinctionem maris terra vocatur arida.

CAPUT III.

1. *Verbum.* quo videlicet jussus est ire Niniven, & denuntiare ejus eversionem imminentem.

Secundo. Id est, iterùm.

2. *In Niniven civitatem magnam.* Heb. additur, Deo. Vide quæ diximus supra cap. 1. v. 2.

3. *Magna itinere trium dierum,* Q. d. Ninive tantæ erat magnitudinis, ut vix trium dierum posset itinere circumiri. Ita Hier. Cyrillus, &c. Res ex descriptione Nineves patet, qualis extat apud Diodorum Siculum lib. 2. ubi Nini Nineves conditoris res gestas narrat, etsi hic autor fallatur Nineve Euphratensi tribuens, quæ propria Nineves transtigritanæ. Longa erat centum quinquaginta stadiis, lata nonaginta; mœnium ambitus stadiorum quadringentorum & octoginta, altitudo pedum centum, latitudo quam tres currus simul perambularent. Turres in mœnibus mille quingentæ altæ pedum ducentorum. Huic descriptioni favet quòd Strabo lib 16. ubi Babylonis ambitum definit stadiis tercentum octoginta quinque, Nineven tamen ait fuisse Babylone multò ampliorem; & quòd Eustathius Thessalonicensis in Dionysium Periegenem scribit in Nineve condenda laborasse annis octo continuis centum & quadraginta hominum Myriades. Porrò Nini circuitus stadiorum 480. id est, milliariorum sexaginta, triduanum iter conficit, si ex definitione Jurisconsultorum & vetustissimorum Græcorum viginti milliaria æstimentur iter diurnum, quod à Romanis *mansio,* à Græcis σταθμὸς, ab Hebræis מסע, ab Arabibus מרחל vocitatur. Vide eruditam dissertationem Constantini l'Empereur in Rabbini Benjamini Tudelensis itinerarium, & clarissimum Bochartum in Phaleg lib. 4. cap. 20.

4. *Cœpit Jonas introire civitatem itinere unius dici.* Q. d. Confectis CLX. stadiis, seu quinque parasangis, id est, viginti passuum

um millibus circumeundo urbem, eam ingreſſus eſt, quæ juſſus erat prædicaturus.

Adhuc quadragita dies, &c. Id eſt, poſt quadraginta dies Nineve ſubvertetur. Pro *quadraginta* LXX. & Arabs legunt *tres*. Theodoretus & Theophylactus Scribarum ſuſpicantur eſſe lapſum. Aquila enim, Symmachus. & Theodotion, Syrúſque interpres, & textus Hebræus habent *quadraginta*. Sed & Juſtinus Martyr in Dialogo de veritate Chriſtianæ religionis contra Tryphonem legit *quadraginta*. Et certè, ſi Jonas urbem ingrediens, quæ nonniſi tribus diebus poterat peragrari, prædicare juſſus eſt fore ut tertiâ die exſcinderetur, triduanum id tempus, quod illis indulſerat Deus, cum Jonæ prædicatione fuiſſet prorſus impletum, nec ullus ſuperfuiſſet locus pœnitentiæ, & jejuniorum indictioni. Monet autem Chryſoſt. Hom. 5. ad populum, ut Jonas celeriùs Ninevitas ad pœnitentiam compelleret, eum indefinitè prædicaſſe Nineves ſubverſionem, tacitâ hypotheſi, Si Ninivetæ non reſipuerint.

5. *Crediderunt viri Ninivitæ in Deum*. Id eſt, crediderunt verbo Dei, quod locutus eſt per Prophetam ſuum Jonam.

Prædicaverunt, Id eſt, voce præconis indixerunt.

Veſtiti ſunt ſaccis. Vide quæ de ſacco & cilicio diximus in Commentario noſtro in Joël 1. v. 8.

6. *Verbum*. Hoc eſt, rumor prædicationis Jonæ, vel promulgatio indicti jejunii.

Ad Regem. Quidam hunc volunt fuiſſe Aſcrazapem Sardanapali patrem, qui ab Euſebio vocatur *Ocrazapes*; à Stephano *Cyndaraxes*; ab Ariano, Suida & Strabone *Anatyndaraxes*; à Setho Calviſio *Acracarnes*. Alii verò putant concionem pœnitentialem Jonæ ad Ninivitas habitam, Sardanapalo ejuſdem Aſcrazapis filio, Aſſyriorum trigeſimo octavo, ultimóque ex familia Nini Monarcha regnante.

Sedit in cinere. More lugentium, ut videre eſt Jerem. 6. v. 26. Ezech. 27. v. 3. Mich. 1. v. 10. &c.

7. *Clamavit & dixit*. Præco ſcilicet à Rege, & proceribus, qui ei à conſiliis erant, miſſus.

Ex ore. Id eſt, ex decreto.

Homines. Sub hoc nomine *& recens nati cibo potúque abſtinere jubentur*, ut loquitur Sulpicius Severus.

Jumenta, &c. Bruta animantia jubentur à cibo & potu abſtinere, ut fame ac ſiti preſſa mugitu & balatu ſuo, ut & infantes ejulatu, peccatoribus vehementiores contritionis lachrymas excitarent, ad divinæ miſerationis fontes ſolvendos, ut advertit Theodoretus.

8. Ju-

8. *Jumenta.* Quidam vertunt ex Hebræo, *beſtiæ*, ut complectatur jumenta, boves, & pecora; verùm nihil neceſſe eſt à Vulgata verſione recedere, cùm fieri potuerit, ut ſoli homines & jumenta ſaccis fuerint operti. Vide commentarium noſtrum in Joël 1. v. 8. Ceterùm vox Hebræa בהמה, *behemah* cùm ſoli homini opponitur, ſumitur pro quovis bruto ſic dicto, quia caret uſu ſermonis, à radice בהם *baham*, quod eſt Æthiopicè *mutus*. Arabicè *abhamo* idipſum ſonat, & *bakim, ſilentium, & iſtikebahama, mutum eſſe*, vel *barbarè & inarticulatè loqui*. Quo ſenſu non ſoli piſces, ſed & bruta omnia paſſim dicuntur muta, Hinc ἄφωνον ζῴον ἄφωνον, 2 Pet. 2. v. 12. & paulò antè ἄλογα ζῶα, ubi Æthiops, *animalia, in quibus non eſt ſermo.* Et Syrus, & Arabs, *animantia muta.* Neque aliter Vulgatus interpres Judæ 10. Sic Cicero lib. 5. ad Quintum fratrem epiſt. 1. *Qui mutis pecudibus præſunt.* Item lib. 1. definib. *Si mutæ etiam beſtiæ penè loquuntur.* Horatius lib. 1. Sat. 3. *Mutum & turpe pecus.* Saluſtius in Catil. *Ne vitam ſilentio tranſigant, veluti pecora.* Juvenalis Sat. 8.

———————*animalia muta*
Quis generoſa putet, niſi fortia?

Et ſat. 15. de anima rationali

———————*Separat hæc nos*
A grege mutorum.

Arnobius lib. 2. *Rationales nos ſumus, & intelligentiâ vincimus genus omne mutorum.* Lactantius lib. 3. cap. 8. *Corporis bona, id eſt, incolumitas, indolentia, valetudo, non minùs ſunt mutis quàm homini neceſſaria. ac neſcio an etiam magis, quia bono & medelis, & miniſteriis ſublevari poteſt, muta non poſſunt.* Et gloſſæ veteres *Muta beſtia*, ζῶον ἄλογον.

In fortitudine. Id eſt, vehementer. Dicitur autem grex mutorum clamare ad Dominum, cùm urgente fame, etſi non rationis ductu hominum inſtar opificem invocet, vocem tamen clamoſam emittit & obſtreperam tanquam importuni flagitatoris; tunc enim obnixè rogare videtur Deum, cujus providentia viliſſimis etiam & deſpicatiſſimis rebus à ſe conditis proſpicit, ut ſibi miſereatur, ſuccurratque ne inediâ pereat.

Convertatur vir a via ſua. Id eſt, convertatur unuſquiſque à prava ſua vivendi ratione.

Quæ eſt in manibus eorum. Hoc eſt, quam facere ſolent. Manus enim ſunt actionis inſtrumenta. Sic David Pſal. 7. v. 4. *Si eſt iniquitas in manibus meis*, id eſt, in operibus meis.

9. *Quis ſcit*, &c. Præclarè Chryſoſt. Hom. 5. ad populum Antiochenum, *Neſciunt rei finem, nec pœnitentiam negligunt. Neſciunt*

unt divinæ clementiæ consuetudinem, incertóque eventu mutantur; neque enim habebant alios Ninivitas, in quo pœnitentes ac salutem nactos respicerent. Nullos legebant Prophetas, Patriarchas nullos audiverant, nemo consilium dederat; admonitione carebant, neque certum omninò habebant fore ut Deus pœnitentiâ placaretur; neque enim id habebat comminatio; sed ambigebant, incertique erant, & tamen omni studio, atque operâ pœnitentiam egerunt.

Revertatur à furore iræ suæ. Præclarè Aug. lib. 83. qq. q. 52. *Divinæ Scripturæ à terreno & humano sensu ad divinum & cœlestem nos erigentes usque ad ea verba descenderunt quibus inter se stultissimorum etiam utitur consuetudo. Itaque earum etiam affectionum nomina quas animus noster patitur, quas longissimè à Deo esse sejunctas jam qui melius sapit intelligit, non dubitaverunt illi viri per quos locutus est Spiritus-sanctus opportunissimè in libris ponere. Ut, verbi gratiâ, quoniam difficillimum est ut homo aliquid vindicet sine irâ; vindictam Dei, quæ omninò sine perturbatione sit, iram tamen vocandam judicaverunt. Item quia conjugis castitatem zelando viri custodire consueverunt, illam Dei providentiam per quam præcipitur atque agitur ne anima corrumpatur, & deos alienos sequens quodammodo meretricetur, zelum Dei appellaverunt. Sic & manum Dei, vim quâ operatur: & pedes Dei, vim quâ in omnia custodienda & gubernanda pertendit. Et aures Dei, vel oculos Dei, vim quâ omnia percipit atque intelligit: & faciem Dei, vim quâ se manifestat atque dignoscitur: & cetera in hunc modum propterea scilicet quia nos ad quos sermo fit, & manibus solemus operari, & pedibus incedere, & quò fert animus pervenire, & auribus atque oculis, ceterisque sensibus corporis corporalia percipere, & facie innotescere, & liquid aliud ad hanc tanquam regulam pertinet. Hoc modo igitur quoniam mutare captum aliquod, & in aliud transferre nòn facilè solemus, nisi pœnitendo, quanquam divina providentia serenâ mente intuentibus appareat cuncta certissimo ordine administrare, accommodatissimè tamen ad humilem humanam intelligentiam ea quæ incipiunt esse, neque perseverant quantum perseveratura sperata sunt, quasi pœnitentiâ Dei dicuntur ablata.*

10. *Vidit*, &c. Id est, accepta habuit Deus opera Ninivitarum, quia tristes tristitiâ secundum Deum conversi sunt à via sua mala. *Non jejunium, sed quòd à vitiis se abstraxissent attendit Deus*, inquit Theodoretus. *Non verba audivit, quæ solebat Israël sæpe promittere: Omnia quæcunque dixerit Dominus, faciemus; sed opera conspexit, quia mavult pœnitentiam peccatoris, quàm mortem; & libenter mutavit sententiam, quia vidit opera* (ego malim dicere, corda) *commutata. Quin potiùs Deus perseveravit in proposito suo, misereri volens ab initio; nemo enim punire desiderans, quod facturus est comminatur.* Hier.

Misertus

Misertus est Deus. Heb. *pœnituit Deum*, scilicet similitudine effectûs, *non affectûs.* Vide mox dicta.

Super malitiam. Id est, cladem.

Locutus. Id est, comminatus.

CAPUT IV.

1. *IRatus est.* Erubescens se mendacem videri.

2. *Oravit*, &c. Jonas non tam orare videtur, quàm expostulare apud Deum, quòd non omnia ex voto evenirent. Quia tamen in hac querela etiam precatur Deum, ut se ex hac vita auferat, orasse dicitur.

Numquid, &c. Q. d. Nonne hoc est quod dicebam, cùm adhuc essem in natali solo?

Propter hoc, &c. Q. d. Vaticinium munus defugi non contumaciâ, sed præscientiâ, quâ videbam te naturâ bonum & benignum, longanimem, & liberalem his, qui ad fontes tuæ misericordiæ confugiunt, Ninivitis pœnitentibus facilè ignoscturum, nec prædictam cladem illaturum; méque adeò pro holophanta habitum iri.

3. *Tolle quæso animam meam à me.* Hæc locutio indicat animam rationalem non interire unà cum corpore, & esse quid distinctum à corpore.

Melior est, &c. Q. d. Malo vitâ defungi, quàm cum ignominia vivere; prætimesco enim ne censear vaniloquus sycophanta.

4. *Benè.* Id est, meritò.

5. *Egressus est.* Hoc videtur dictum per recapitulationem; verisimile est enim Jonam priùs secessisse ex urbe Ninive in umbraculum, seu tugurium frondosum, ut inde videret quid accideret; postea verò Ninivitarum videns pœnitentiæ sinceræ indulgentiam concessam, famæ suæ prætuens iratus est.

6. *Præparavit Dominus Deus hederam.* LXX. *cucurbitam. Pro cucurbita, sive hedera in Hebræo legimus* קיקיון *Kikajon, quæ etiam linguâ Syriâ & Punicâ Elcheroa dicitur. Est autem genus virgulti, vel arbusculæ, lata habens folia in modum pampini, & umbram densissimam, suo trunco se sustinens: quæ in Palæstina creberrimè nascitur, & maximè in arenosis locis: mirumque in modum si sementem interram jeceris, citò consota consurgit in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbusculam suscipis.* B. Hier.

Hier. Hæc arbuſcula Talmudiſtis קִיקָיוֹן *Kik*, Græcis κρότων. Latinis vocatur ricinus à ricini animalis ſimilitudine. Officinæ palmam Chriſti nominant. Plin. Hiſt. Nat. lib. 15. cap. 7. De oleo factitio. *Fit*, inquit, *& è cici arbore in Ægypto expreſſa: aliis crotonem, aliis Sili, aliis Seſamium agreſte appellantibus: quæ non priſtem & in Hiſpania repentè provenit altitudine oleæ, caule ferulaceo, folio vitium, ſemine uvarum gracilium, pallidarúmque. Noſtri eam ricinum vocant à ſimilitudine ſeminis. Coquitur id in aqua, innatánſque oleum tollitur. Et in Ægypto, ubi abundat, ſine igne & aqua ſale aſperſum exprimitur, cibis fœdum, lucernis utile.* Dioſcoridi lib. 4. hæc planta provenit altitudine ficus, cavo inſtar arundinis, folio platani, ſemine quale in uvis aſperis. Olei ex hujus plantæ granis expreſſi præter Dioſcoridem & Plinium meminere Herodotus lib. 1. cap. 42. Strabo lib. 17. in Ægypti deſcriptione, Talmud Babylonicum tractatu de Sabbato cap. 2. fol 21. A.

7. *Aſcenſu diluculi in craſtinum.* Id eſt, die proximo ſub auroram, *when the morning roſe the next day*, ut habet revſio Angla.

Percuſſit hederam. Heb. *Kikajon.* Ergo *Kikajon* non fuit κολοκύνθη *cucurbita*, ut Græci reddunt; eam enim vermes non tangunt. Inde proverbium ex Epicharmo apud Athenæum lib. 2. ὑγιέστερος κολοκύνθης, *cucurbita ſanior.* Et verò jam nemo eſt paulò humanior, qui non habeat compertiſſimum *Kikajon* eſſe κρότωνα, ſeu ricinum. Nec obſtat veterum Græcorum proverbium, κρότωνος ὑγιέστερος probat enim clariſſimus Bochartus Hierozoici par. poſt. lib. 4. cap. 27. hoc proverbio non agi de ricino planta, vel de ricino animali, ſed de Crotone urbe ſaluberrima; atque ita malè redditur hoc adagium, *ricino ſanior*, cùm reddendum ſit, *Crotone ſalubrior.*

8. *Præcepit Dominus vento calido & urenti*, Heb. ad verbum, *Paravit Dominus ventum Orientalem & ſurdum*, id eſt, placidum miniméque ſonorum, qui æſtum magis, magiſque augeret, cùm ventus vehementior eum minuere ſoleat.

Percuſſit ſol. Radiorum ardore.

Æſtubat. Heb. *Deliquium patiebatur.*

Petivit animæ ſuæ ut moreretur. Hebraiſmus, id eſt, optavit ſibi citam mortem contingere.

9. *Benè.* Hoc eſt, meritò.

Uſque ad mortem. Id eſt, ut putem vitam eſſe mihi morte longè acerbiorem.

11. *Pluſquam centum viginti millia*, &c. Qui attentè conſiderarit quæ ſuprà cap. 3. v. 3. de magnitudine Nineves diximus, haud difficulter ſuadebitur in tanta urbe cenſeri potuiſſe duodecim infantium myriades, quibus dextram à ſiniſtra internoſcere

noſcere per ætatem non licebat. Utut enim ponamus hanc deſcriptionem non pertinere niſi ad infantes infra bimatum, hi faciunt quintam ſaltem ut plurimùm urbis partem. Quo poſito Ninives incolæ non fuerint plures ſexcentis millibus, qui fuit ævo Plinii numerus incolarum Seleuciæ, ut ipſe teſtatur Hiſt. Nat. lib. 7. cap. 26. Thebis Ægyptiis habitaſſe quondam ſeptingenta millia ætate militari teſtatur Ægyptiaca inſcriptio Cermanici ævo ſuperſtes, de qua Tacitus lib. 2. Annalium. Neque fortaſſe pauciores habuit Roma, cùm ex Epitome Liv. Dec. 5. lib. 4. in ea cenſa ſunt civium capita quadraginta & viginti octo millia, & trecenta quadraginta duo. Nam peregrinos & ſervos civium numerum multis partibus ſuperaſſe nemo dubitat. Sic in Athenienſium cenſu, quem inſtituit Demetrius Olympiadis centeſimæ decimæ anno primo, cùm civium numerus viginti unum millia non excederet, reperta ſunt advenarum decem, & ſervorum quadringenta millia, uti refert Creſicles apud Athenæum lib. 6. Jeroſolymas taceo, in quibus quod narrat Joſephus lib. 7. Belli Judaici cap 17. obſidionis tempore periiſſe undecies centena millia, & nonaginta ſeptem millia capta poſſet pro fabuloſo haberi, niſi ſciremus pleroſque non fuiſſe cives, ſed advenas, qui undecunque in urbem confluxerant propter Paſchale Feſtum. Quo tempore tricies centena millia hominum fuiſſe Jeroſolymis congregata legitur apud Auguſtinum Ser. 204. de tempore. Quod verum eſſe conſtat ex hoſtiarum enumeratione, quæ ſub Nerone principe Sacerdotum facta narratur à Joſepho loco mox laudato, ut Ceſtio Judæorum numerum ſciſcitanti fieret ſatis.

Jumenta multa. Heb. בהמה רבה, id eſt, pecus multum, *much cattel*, ut habet verſio Anglicana. Qui omnia fecit, omnium curam gerit. Hinc juſtus divinæ benignitatis æmulator, ut dicitur Prov. 12. v. 10. *Novit jumentorum ſuorum animas.* Quem locum ſic illuſtrat Jeannes Maury Doctor Theologus.

Sic tangit juſtum miſeratio, tanta benigno
Ejus ineſt cordi, jumenta ut quærat ad ipſa
Extendi, nedum ad fratres, communis eôdem
Quos illi adjungit natura coërcita vinclo.

Porrò Deus, qui in excidio gentis alicujus, aut civitatis im-

pœnitentis infantium atquè jumentorum rationem non habet ut eorum respectu peccatoribus illis parcat, sicut in diluvio & Sodomorum conflagratione apparet: idem tamen si populus ille pœnitudine ducatur, ut hîc factum videmus, & illorum innocentiam benignus respicit.

FINIS.

MI-

MICHÆÆ PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

MIchæas Morasthites oriundus fuit de Morasthi, vico tribûs Judæ juxta Eleutheropolim versus Orientem, ut asserit Hieronymus. Sub Joathamo, & duobus successoribus ejus Achaz & Ezechia propheticum suum munus obiit. Martyr occubuisse dicitur à Theophylacto, & ut ait Sixtus Senensis, post Pseudo-Epiphanium, *ex alto loco præcipitatus*, cùm tamen hunc Vatem non fuisse supplicio affectum satis ostendere videantur ista Jeremiæ 26. v. 18. *Numquid morte condemnavit Michæam Ezechias Rex Juda, & omnis Juda? Numquid non timuerunt Dominum, & deprecati sunt faciem Domini, & pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adversùm eos?* Sepultus est in vico natali, ejúsque sepulchrum conversum fuisse in Christianorum Templum testatur Hieronymus in Paulæ epitaphio. Illius meminit Martyrologium Romanum ad XVIII. Kal. Februarii.

CAPUT I.

1. *VErbum Domini.* Vide quæ diximus, Joël 1. v. 1.

Super Samariam & Jerusalem, Prius ponitur Samaria, quia prius capta est, quàm juxta ipsius Michææ vaticinium infra cap. 3. v. 12. Sion ut ager araretur, & Hierosolyma in acervos abiret, & mons ipsius domûs Domini in excelsa sylvosa. *Quantùm ergò ad historiam pertinet, secundum ordinem captivitatis (quia primùm capta Samaria Metropolis Israël, postea Jerusalem Urbs Judæ,) prophetiæ titulus ponitur primum de Samaria, secundò de Jerusalem.* Hieron.

2. *Audite populi omnes.* Heb. שמעי עמים כלם, *audite populi omnes illi*, pro כלנם, *omnes vos*, qui ſcilicet Chananæam incolitis Juda & Iſrael. Familiare eſſe Orientalibus, ut quando aliquem alloquuntur, epitheta ejus in tertia perſona efferant, obſervavit, & variis utriuſque Teſtamenti exemplis comprobavit Ludovicus De Dieu. Sic Job. 17. v. 10. ואולם כלם תשבו, *& omnes illi*, (pro כלנם *omnes vos*,) *revertimini.* Vulgat. *Igitur omnes vos convertimini.*

Audiat terra, & plenitudo ejus. More Scripturæ familiari, aliis verbis reperit quod mox dixerat, *audite populi omnes.* Plenitudinem enim terræ vocat Chananææ habitatores, quos affatur.

Et ſit Dominus, &c. Deum teſtatur ſe vera prædicere jurandi formâ Hebræis uſitatâ.

3. *Dominus egrediatur de loco ſuo.* Hoc eſt, Hieronymo interprete, *Qui mitis eſt, benignus & cujus natura clementia eſt, veſtri cauſâ cogitur perſonam, quam non habet, crudelitatis aſſumere.*

Deſcendet. Deſcenſio Dei eſt majeſtatis ejus ad inferiora decurſus. Hier.

Calcabit ſuper excelſa terræ. Id eſt, potentes quoſque conteret.

4. *Conſumentur montes.* Heb. *Liqueſcent montes*, id eſt, dynaſtæ.

Valles ſcindentur, &c. Q. d. Hebs ſe diſſolvet, quomodo cera ignis calore ſolvitur, & dilabetur inſtar aquarum prono curſu in præceps defluentium. Aquæ in terram effuſæ, quæ non recolligitur, vitam noſtram fluxam aſſimilat mulier Thecuitis David Regem alloquens 2 Sam. ſeu Reg. 14. v. 14. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reverteruntur.* Multa vero ſacri & profani ſcriptores cum cera ad ignem liqueſcente conferunt. David Pſ. 21. v. 15. *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Pſ. 67. v. 3. *Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant peccatores a facie Dei.* Pſ. 96. v. 5. *Montes ſicut cera fluxerunt a facie Domini.* Judith 16. v. 18. *Petræ ſicut cera liqueſcent ante faciem tuam.* Ita & ſcriptores profani paſſim. Theocritus in Pharmaceutria,

Ὡς τᾶτον ἃ κηρὸν ἐγὼ ζὺν δαίμονι τάκω,
Ὡς τάκοιδ' ὖτω ἐγοὶ ὁ Μυώδιος αὐτίκα Δέλφις.

Ut hanc ceram ego, Deo juvante, liquefacio, ita ſtatim liqueſcet præ amore Myndius Delphis. Unde Virgilius Ecl. 8.

Limus

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit
Uno eodémque igni. ſic noſtro Daphnis amore.

Lucretius de nubibus lib. 6. v. 512.

Præterea cum rareſcunt quoque nubila ventis,
Aut diſſolvuntur Solis ſuper icta calore,
Mittunt humorem pluviam ſtillantia, quaſi igni
Cera ſuper calido tabeſcens multa liqueſcat.

Ovidius de Narciſſo. lib. 3. Metam.

Non tulit alterius, ſed ut intabeſcere flava
Igne levi ceræ, matutinaque pruinæ
Sole repentè ſolent: ſic attenuatus amore
Liquitur, & tecto paulatim carpitur igni.

Et lib. 10. de ſtatua Pygmalionis,

Subſedit digitis, ceditque ut Hymettia ſole
Cera remolleſcit.

Lucanus de Sabello, quem ſeps ſerpens momorderat lib. 9. v. 783.

———*Manant humeri, fortéſque lacerti,*
Colla caputque fluunt, calido non Ocyus Auſtro
Nix reſoluta cadit, nec ſolem cera ſequetur.

Aſclepiades Anthologiæ lib. Epigr. 26.

Τήκομαι ὡς κηρὸς παρ' πυρί, κἀλίνομ' ὀφθὴν.

Liquefio ut cera ad ignem pulchritudinem videns.

5. *In ſcelere Jacob.* Q. d. Propter ſcelus duodecim tribuum, quas vocat Jacob & Iſraël, hæc omnia, quæ prædixi, mala evenient.

Monne Samaria, &c. Q. d. Reges Samariæ decem tribuum metropoleos, autores ſunt idololatriæ Iſraël, & Reges Jeruſalem regni Judæ metropolis fabricati ſunt idola in locis præcelſis. Id autem à civitate fieri dicitur, quod in ea primarii, aut optimates faciunt, ut obſervavit Ariſtoteles.

6. *Et ponam*, &c. Q. d. Evertam Aſſyriorum miniſterio civitatem Samariam, uſque ad fundamentum demoliar eam, lapidéſque ejus è monte, in quo ſita eſt, detrudam in vallem, ibique in tumulos redigam, eáque urbs ſic diruta erit quaſi area, in qua plantatur vinea.

7. *Mercedes.* Id eſt, opes.

De mercedibus meretricis. Id eſt, idololatriæ beneficio.

Ad mercedem meretricis. Id eſt, gentis alterius eodem idololatriæ crimine infamis.

8. *Super hoc.* Id eſt, propter hoc.

Vadam ſpoliatus & nudus. Q. d. Lugens incedam, nec operiar pallio ſaccino, quo Prophetæ indui ſolitos liquet ex 4 Reg. 1. v. 18.

v. 18. Zach. 13. v. 4. Hoc sensu videtur Saül prophetâsse nudus 1 Sam. seu Reg. 19. v. 24. Sed & nudus dicitur fugere ex bello, qui amissis armis sese in fugam dat Amos 2. v. 16. Interdum nudus vocatur, qui non ita benè vestitus est, ut 1 Cor. 4. v. 11. Jac. 2. v. 15.

Faciam planctum velut draconum. Quorum videlicet sibilis horrendis deserta personant. Ælianus de animalibus lib. 15. cap. 21. ait in Alexandri copiis omnes fuisse territos & conturbatos maximo cujusdam draconis in India sibilo. Idem lib. 16. cap. 39. alterum memorat draconem immensæ magnitudinis, cujúsque adeò sibilum exhorruerint omnes Chii incolæ. Hebræorum antiquissimi, qui dracones erectos, & diductis faucibus hiantes, sursum aspirare observaverunt, id ita sunt interpretati, ac si ore in cœlum obverso, per suspiria & gemitus ad Deum de sorte sua conquererentur; quódque omnibus odiosi, desertísque ac feralibus addicti locis, longam quidem, sed miseram vitam ægrè traherent. Ac proinde hîc, & Job 30. v. 28, & 29. dracones cum struthionibus describuntur ut animalia luctisona. Hinc ut à clamore struthiones dicuntur בנות יענה, ita draconum nomen תנים *thannim* alludit ad תנות *thannoth*, quod θρηνεῖν *plangere* explicant vetustissimi interpretes Judic. 11. v. 40. Verum quia vox תנים *thannim* & cete significat, clarissimus Bochartus Hierozoici part. 1. lib. 1. cap. 7. ait fortasse hanc vocem hîc adhibitam à Michæa non ut dracones significaret, sed cete, quia draconum sibilus vix quidquam commune habet cum luctu. At è cetis alia boant, & mugiunt, ut phoca, sive boca, cui nomen esse à boatu scribit Festus; & balæna, quam Rondeletius tam magno, & contento sono mugire tradit, ut ab iis audiri possit, qui binis leucis absunt. Alia verè & propriè gemunt, ut Delphin, cui pro voce gemitum humano similem tribuunt Plin. Hist. nat. lib. 9. cap. 8. Solinus cap. 12. Vincentius Bellovacensis Doctrinalis lib. 16. cap. 38. In eam rem insignis est Petri Gillii locus, quem non possum non exscribere, quia maximè ad rem facit. *A captis Delphinis*, inquit, *tanti fletus, gemitúsque fiunt, ut cùm in navi, ubi permulti delphini tenebantur, pernoctarem, mihi acerbissimum dolorem inusserint: adeò eos animadverti humano gemitu, & lamentatione, & magnâ lachrymarum vi, suam conditionem deplorare ut ego hujusmodi piscium misericordiâ lachrymas tenere non potuerim, & proximum, quem magis gemere sentiebam, dormiente piscatore, in mare abjecerim. Sed nihil promovi hoc abjecto. Reliqui enim magis magísque gemitum auxerunt, ut non obscuris signis mihi petere viderentur similem liberationem. Itaque totam noctem in acerbissimo luctu versatus sum.* Hinc concludit vir inexhaustæ eruditionis mox laudatus Bochartus, *Quantò verisimilius*

lius eſt Michææam cum tali gemitu luctum ſuum contuliſſe, quàm cum ſibilo draconum? Clariſſimus Pocokius obſervat ex Rabbi Tanchum Jeroſolymita his vocibus תנים, תנין, & תנות plurâliter uſurpatis ſignificari ferarum genus quoddam, vulgò *Jakales* dictum, cani haud abſimile, mediæ inter vulpem & lupum magnitudinis, cremum inhabitans, nocte exululans; aſt ubi hæ eædem voces תנים, vel תנין ſingulariter uſurpantur; vel plurale תנינים adhibetur, tunc denotari dracones, ſi de terreſtribus ſit ſermo, vel cete, ſi de aquaticis & marinis.

Luctum quaſi ſtruthionum. Heb. כבנות יענה, id eſt, ad verbum, *Quaſi filiarum clamoris.* Acrem ejulatum ſtruthioni tribuunt non Arabes modò, apud quos hæc avis naſcitur, ſed & Joannes de Laët in Americæ deſcriptione lib. 15. cap. 7. teſtatur in Braſiliæ Mediterraneis tam altùm clamare ſtruthiones, ut ad dimidium leucam audiantur. Ad quæſtionem cur ſtruthio dicatur בת יענה *filia clamoris*, Judæi ineptè reſpondent omnes ſtruthiones eſſe fœminas, aut in Lege ſolas filias prohiberi, quia ſolæ ſunt edules, aut per filias ova intelligi, quæ falſa & abſurda eſſe fusè probat clariſſimus Bochartus Hierozoici par. poſt. lib. 2. cap. 14. ubi etiam obſervat filii & filiæ vocabulum ſæpe præfigi avium nominibus non per reſpectum ad ætatem, aut ſexum, ſed per reſpectum ad propriam ipſarum dotem. Atque ita ſtruthio בת יענה *filia clamoris*, & quandoque per compendium יענה, vocatur, unde plûrale maſculinæ terminationis יענים, ut יעלים, *ibices*, a ſingulari fœmininо יעלה, quia videlicet ſtruthiones acrem & aſperum edunt clamorem, maximè circa auroram, uti referunt, qui illas circumducunt. Et ſexum quod attinet, *jaana*, ſive *bath jaana* non niſi ſtruthionem fœminam ſonat, cùm ſtruthio mas dicatur תחמס, *thachmas*; ut egregiè demonſtrat Bochartus Hierozoici part. poſt. lib. 2. cap. 14, & 15. Quia igitur nullum Hebræi habent ſtruthionis nomen ad utrumque ſexum commune, maris & fœminæ eſum diſtinctè prohiberi neceſſe fuit Levit. 11. v. 16. Fœmina autem ibi prior nominatur, quia mari præſertur propter ova, quæ non ſolùm ad eſum, ſed & ad uſum exquiruntur. Ex illis enim potoria vaſa in Arabia, & Africa magni fiunt. Præterea ſtruthio mas utpote velociſſimus rariùs in manus hominum incidit; ſtruthiones verò fœminæ faciliùs ſæpiúſque capiuntur, ſive ſint ovis graves, ſive pullis ſuis incubent, ſive nidi eorum eminùs conſpiciantur propter arenam undiquaque oppanſam. Itaque cùm Arabicè ſtruthio mas *dtalim*, & fœmina vocetur *naam*, apud Hiſtoricos, & Geographos ſtruthio ferè *naam* vocatur, raro *dtalim*. Unde eſt quod Syri & Chaldæi ſtruthionem non nominent טלים *talim*, ſed נעמא, *naama*.

9. *Quia desperata*, &c. Q. d. Plaga enim illa desperata Samariæ inflicta, non contenta Israëlitarum terminis, ad Judæam usque pervenit, Judææque metropolim Jerosolymam. Res ita se habet: Assyrius post devictos Israëlitas, progressus ulteriùs expugnavit plerasque urbes Judææ, exercitúmque adduxit ad ipsas usque portas Jerosolymorum.

Tetigit portam populi mei, &c. Id est, pervenit usque ad urbem tribûs meæ, seu populorum meorum metropolim Jerusalem. Passim autem porta pro urbe sumitur, ut Gen. 22. v. 17. *Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum.* 24. v. 60. *Possideat semen tuum portas inimicorum suorum.* Deut. 17. v. 2. *Intra unam portarum tuarum.* 28. v. 57. *Opprimat te inimicus tuus intra portas tuas.* Abdiæ 11. *Extranei ingrediebantur portas ejus.*

10. *In Geth*, &c. Vates loquitur usitato lugentium modo, Q. d. In Geth urbe Palæstinæ, unde erat Goliath ille Gethæus, nolite annuntiare infortunium nostrum, imò, ne dolor quidem in singultus erumpat: dissimulate fletum, ne adversarii gratulentur malis nostris: lachrymas ora non habeant, cùm dolorem pectus habeat. Procul à finibus Philistæorum lugete, ne luctus hostibus innotescat.

In domo Pulveris. Interpretamentum nominis proprii עפרה *Aphra* Vulgata exhibet, ut servet parnomasiam, quæ Hebraicè est in hoc hemistichio inter עפרה *Aphra*, & עפר *aphar*, quæ vox propriè pulverem designat, & subinde pro אבר *ephar* cinere sumitur. Est autem Aphra urbs tribûs Benjamin, procul à Philisthæorum regione, quam Vulgatus interpres Josuæ 18. v. 23. *Ophera* vocat. Itaque, *In domo Pulveris*, id est, in territorio Aphræ. *pulvere vos conspergite*, id est, in cinere vos volutate, more scilicet lugentium, eâdem paranomasiâ dicitur, quâ quis dicat, In territorio Lutetiæ luto vos conspergite.

11. *Transite vobis.* Pronomen *vobis* redundat Pleonasmo Scripturæ familiari.

Habitatio pulchra. Alii vertunt ex Hebræo, *Quæ habitas Saphir*: quod optimè redditur ad marginem versionis Anglicanæ, *Thou that dwellest fairly.* Sic vocatur secundum B. Hieronymum Samaria, utpote in loco pulcherrimo, uberrimóque sita. Sensus itaque Vatis est idem ac si dicat, Samaria, quæ sita es in regione pulcherrima, abduceris in exilium turpificata, & summo dedecore affecta.

Non est egressa. Scilicet, *propriâ voluntate: sed vi ducta est in Assyrios*, inquit B. Hier.

Quæ habitat in exitu. Heb. יושבת צאנן, *inhabitans Zaanan.* Vox *Zaanan*, seu, ut Hieronymus effert, *Sennan* vertitur *Exitus*, vel, si Symmacho credimus, *abundans.* *De eadem Samaria*

via dicitur, quæ in ipsis Assyriæ captivitatis foribus, & statim ut mota fuerit de finibus suis, hostilem terram ingreditur. Nam habitatio abundans, juxta illud accipiendum, quod jam diximus, habitatio pulchra. Hier.

Planctum domus vicina accipiet, &c. Id est, territorium vicinum, *Regnum scilicet Juda planctum accipiet ex vobis, quod nunc interim, Samariâ captâ, subsistit & Deum habuit defensorem.* Hier.

12. *Quia infirmata est in bonum*, &c. Q. d. Nam, abjecto omnis jucunditatis sensu, acerbè doluit Judæa, & tota conversa est in civitatem Maroth, id est, amarulentam, seu amaritici & doloris plenam, ob bonum videlicet amissum publicâ clade, seu, propter captivitatem tribuum vicinarum, & propter justissimas pœnas, quas Deus irrogabit ipsi regno Judæ ministerio Assyriorum, qui, vastatâ Samariâ, Jerusalem totius Judææ metropoli bellum intulerunt. *Assyrius quippe, vastatâ Samariâ, venit etiam ad Jerusalem eo tempore, quo Rabsaces missus est insultans, de quo & Regum quartus liber, & Esaias plenius scribunt: ubi dicitur quòd Rex Assyrius de Lachis miserit Jerusalem, & posteà, captâ Lachis, ad oppugnandum transierit Lobnam.* Hier.

13. *Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis*, &c. Heb. רתום המרכבה לרכש, quod est ad verbum, *liga currum equis.* Nam רכש esse equi velocis speciem consentiunt plerique Hebræorum, & fusè probat clarissimus Bochartus Hierozoici part. 1. lib. 2. cap. 6. & verbum רתם *ratham* propriè significat *ligare fune sparteo*, cùm רותם *rothem* sit *spartum*, vel *genista*. Sensum itaque non verba ex Hebræo, ut & alibi passim, expressit Vulgatus interpres. Q. d. O Lachis urbs Juda junge currum veredo, fugiántque incolæ tui quadrigis stupendæ velocitatis, seu, ut Plautus loquitur, *citis quadrigis*, non effugient tamen; cùm Regem tuum Amaziam filium Joas fugientem ad te non siverint effugere, sed conscii, adeóque autores cum civibus Jerosolymitanis perfidæ illius conspirationis adversus eum factæ, quem Jerosolymitani sunt persequuti, ipsi prodiderunt, & morte affectum miserunt Jerosolymam. Vide 4 Reg. 14. v. 19. & 2 Paralip. 25. v. 27. Atque ita, ô Lachis, Israëlitarum instar facta es rea sceleste in domum David rebellionis. Ita ferè Junius. Impletum est autem præsens Michææ vaticinium serâ quidem, sed seriâ & gravi vindictâ annis circiter centum post patratum Amaziæ parricidium, cùm Lachis ab universis Sennacheribi copiis oppugnata est, & expugnata.

14. *Propterea*, &c. Q. d. Adeóque frustrà miseris nuntios cum muneribus ad Geth Philistinorum Satrapiam, aut ad Achzib oppidum

pidum Juda, ut tibi opem ferant; fallent enim Regum Judæ expectationem.

Super Hereditatem Geth. Id eſt, ad hereditatem, ſeu, ditionem Geth. Scholia Hebraica hunc locum ſic enarrant, *Mittes munera ad eam, quæ heres eſt, hoc eſt, ad cives oppidi Geth.* Alii retinentes vocem Hebraicam, vertunt, *Ad Moresheth-Gath,* & ex 1 Paral. 8. v. 13. conjiciunt ſic vocari oppidum à Benjamitis occupatum, quod priùs ad regnum Gathi, ſeu Geth pertinebat.

Domus Mendacii. Heb. *domus Achzib.* Erat oppidum Juda, Joſ. 15. v. 44. cui Lachis, ut Satrapiæ Geth miſſura erat dona, opis implorandæ cauſâ. Hinc in Vulgata editione, quæ mihi eſt præ manibus, & præcedit correctiones Sixti V. & Clementis VIII. habetur, *domos Mendacii,* ut ſit in regimine præpoſitionis *ſuper* mox præcedentis hemiſtichii, & ne obſcuritatem pariat interpretatio nominis proprii Achzib pro ipſo nomine proprio poſita, vox *Mendacii* ſcribitur principe litterâ majuſculâ.

In deceptionem. Hec. לְאַכְזִיב *in mendacium.* Inter *Achzib* nomen oppidi, & *Achzab* mendacium eſt Paranomaſia, quaſi dicat, Rectè territorium illud vocatur Achzib, id eſt, *Mendax*, mentietur enim & fallet ſpem Regum Iſraël. Obſervant autem Hebræi hîc *Iſraël* poni pro Juda, ut 2 Paralip. 12. v. 1. Ezech. 8. v. 6. &c.

15. *Adhuc,* &c. Q. d. In te quoque, ô Mareſa, immittam Aſſyrios, dicit Deus exercituum, qui bona ac prædia tua occupent, quaſi hereditario jure ad ipſos pertinerent. Ludit autem Micheæs in paracheſi nominum יָרַשׁ, *joresh,* quod *heredem,* ſeu *poſſeſſorem* denotat; & מָרֵשָׁה, ſeu, ut ſcribitur Joſ. 15. v. 44. מָרֵאשָׁה, *Mareſa,* ſeu, *Mareshah,* quod eſt nomen oppidi in tribu Juda, & *hereditatem* ſignificat.

Uſque ad Odollam. Odollam, ſeu, ut alii efferunt, Adullam eſt urbs in tribu Juda à Roboamo conſtructa 2 Paral. 11. v. 7.

Veniet gloria Iſraël. Id eſt, penetrabit hoſtis à Deo adductus, ut Iſraëlis gloriam hereditaret.

16. *Decalvare,* &c. Apoſtrophe ad terram, quam hortatur Vates ad luctum, quòd ii ducantur captivi, quos maximis in deliciis aluerat. Lugentes autem tonderi ſolitos olim patet ex Job. 1. v. 20. & Jerem. 7. v. 29.

Dilata calvitium tuum ſicut aquila. Nempe in ingreſſu veris rapaces aves plumarum defluvio ſunt obnoxiæ. Quod Galli *muer* vocant, id eſt, mutare pennas. Et id ipſum eſt μύτωσις apud Græcos recentioris ævi. Itaque calvitium aquilæ dicitur illud tempus, quo pleræque ejus pennæ exciderunt. Quâ enim catachreſi plumæ avium ſubinde pilorum, & capillorum nomine cenſentur,

sintur, eâdem & calvere dicuntur, quæque glabræ & deplumes sint calvæ vocantur & depiles. Observat autem clarissimus Bochartus Hierozoïci part. post. lib. 2. cap. 1. quòd cùm avium calvitium juxta Græcos pertineat, ad solum caput, id Hebræi extendunt ad totum corpus.

CAPUT II.

1. *Nutile.* Id est, iniquum.

Operamini. Id est, meditamini.

In Luce matutina, &c. Q. d. Quidquid iniquitatis noctu in cubilibus, ubi alii quiescere solent, & diurnas curas somno laxare, illi cum animo volvérunt, statim atque diluculat, implere festinant, quid enim Lex Dei jubeat, permittátve nihil omninò curant, dummodò cogitata exequi possint.

2. *Et concupierunt*, &c. Q. d. Injuria assiduâ, ut tandem cupiditatibus suis cedatur efficiunt. Sic Juvenalis Sat. 14.

Dicere vix posses quàm multi talia plorent,
Et quot venales injuria fecerit agros.
Quorum si pretio dominus non vincitur ullo,
Nocte boves macri, lassoque famelica collo
Armenta ad virides hujus mittuntur aristas.

3. *Idcirco*, &c. Q. d. Quia vel calumniâ occultâ, vel vi manifestâ genus istud hominum nequam hereditatem pariter & vitam tenuiorum appetit, gravissimum ipsi quasi jugum cœlitùs imponetur malum, unde colla auferre nequeant, hoc est, nec vi, nec arte liberari possint, atque ita gravitate ac severitate pœnarum edomabitur effrenata gentis istius superbia.

Familiam. Nomen familiæ pro gente usurpat, ut Amos 3. v. 1.

4. *In illa die*, &c. Q. d. Tunc eritis omnibus proverbio, & quasi vulgi fabula, & lamento lamentationis, hoc est, graviter lamentantes hoc ferè threno calamitatem vestram decantabunt: Depopulatione vastati sumus à potentioribus concivibus, quorum hereditate nunc hostes potiuntur. Quomodo igitur concives tam nefario scelere nos pauperculos fortunis omnibus deturbarunt,

runt, cùm non multò pòst venturus esset hostis, qui quam nobis injuriâ ablatam suæ adjunxissent hereditatem, militibus suis dispertiret?

5. *Propter hoc*, &c. Q. d. Cùm tu paupertinos legitimâ hereditatis & paupercularum rerum possessione deturbaveris, nullus tibi legitimus supererit heres, ad quem ex præscripto Legis divinæ, & Sacris Israëlitarum moribus hereditas tua redeat, sed illud Thren. 5. summa cum ignominia usurpandum relinquetur: *Hereditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos.*

Mittens funiculum sortis. In agris dividundis veteres utebantur funiculis; unde illud Psl. 15. v. 6. *Fines ceciderunt mihi in præclaris*, id est, præclara & amœna obtigit mihi hereditas. Postquam verò agri funium mensurâ essent dispertiti, sortiebantur quis hanc vel illam partem haberet.

6. *Ne loquamini loquentes*, &c. Q. d. O prophetæ, inquit domus Jacob, ne dura nuntietis, neque in morem pluviæ impetuosæ vestrum in nos stillet eloquium, neque malè factorum exprobratione pudorem nobis injicere pergatis.

7. *Dicit domus Jacob*, &c. Q. d. Israël interrogat Prophetas, utrum loquens per ipsos Spiritus Domini sit aliquando maledicere destinatus, aut hujusmodi sint cogitationes ejus, ut hominum instar antiquam teneat iracundiam, & ad vindictam furore subito concitetur? Ad quam interrogationem respondet Dominus: Bonus quidem sum, & verba mea clementiam sonant iis, qui rectò sunt corde.

8. *Et è contrario*, &c. Q. d. Vos autem, cùm heri, hoc est, nuper essetis populus meus, corde pravo mei dilectionem abjecistis, proximúmque vestrum odio prosequentes, obviis quibusque indumenta detrahitis, & eos, qui securè & confidenter per aliquem locum transeunt, hostiliter omnibus exuitis, & nudi è manibus vestris domum redeunt, quasi ex atroci bello essent reduces.

9. *Mulieres*, &c. Id est, uxores à viris, laudabilémque ornatum, quem ego Deus bonorum omnium largitor parvulis earum dederim, abstulistis, nec unquam restituistis.

10. *Surgite & ite*, &c. Q. d. Accingite vos ad properam captivitatem; neque enim diutius manebitis in hac terra, quæ sceleribus vestris polluta, gravi nausea, quoad vos evomat, vehementer laborat.

11. *Utinam*, &c. Q. d. Si popularibus auris gauderem, nec Spiritus veritatis ad vindictam genti peccatrici cœlitùs impendentem prædicendam me impelleret, utique uberem vini & siceræ proventum, & cetera, quæ prurientes principum & vulgi aures scalpant, prædicerem; atque ita gratissimum esset meum vaticinium, &, ut pluvia stillans ab agricolis recipitur, magnâ attentione & avi-

aviditate excipieretur à populo isto ad sua desideria coacervante sibi fatiloquos.

12. *Congregatione*, &c. Falluntur, & totam seriem orationis abrumpunt, qui hæc in promissis censent. Mens itaque Vatis est fore ut Israëlitæ præ metu hostium ingruentium, & terram devastantium, desertis agris ad arces & urbes munitas confluant, quomodo oves, lupo aut leone viso, in arctum se colligunt. Quò srie pertinet, quod pro ovibus *Botzra*, ut habetur in textu Hebræo vetures aliis vocalibus legerunt *oves betsara*, quod Græci reddunt πεῖσαται ὡς θλῖψις. Hoc quippe ad naturam ovium pertinet, ut in metu se colligant, & mutuò premant, quibus & extra metum naturale est, se condensent. Quod fusè probat clarissimus Bochartus Hierozoici part. 1. lib. 2. cap. 46.

Quasi gregem in ovili. Heb. ad verbum, *ut oves Botsra*, seu, ut alii efferunt, *Bosra*, quæ fuit urbs Idumææ vetustissima valde pecorosa, de qua diximus Amos 1. v. 12. Quia vero *Bosra* propriè *vallum* aut *munimen* sonat, & caula est quasi vallum ovium, Chaldæus paraphrastes, Hieronymus, & Rabbi Salomon hîc *Bosra* interpretantur *caulam*, aut *ovile*. Inde Carthaginis arcem à Didone conditam Dœni Bosram, & Græci barbarum vocabulum more suo emollientes, Βόσσαν appellarunt. De Idumæis quicquid legitur in Prophetarum scriptis, Rabbini perabsurdè ad Romanos transferunt. Quod secutus Abarbanel in commentariis in hunc locum vult Bosram esse Romam, à pastoribus, ut ait, conditam & Valentiam olim dictam, à robore scilicet, & munimento, ut Idumæorum Bosram.

Tumultuabuntur. Id est, terrore quatientur.

A multitudine hominum. Hostium videlicet ingruentium, & terram devastantium.

13. *Ascendet*, &c. Q. d. Cùm Israël, hostibus ingruentibus, in urbes munitas fugerit, non effugiet tamen; præibit enim hostilibus exercitibus mœnium effractor, qui eis pandat urbium portas, ut unà cum Rege suo liberè valeant eas ingredi, & ex iisdem egredi, cunctáque pervastare juxta consilium Domini volentis per eos populum suum peccantem, & non pœnitentem commerito afficere supplicio.

CAPUT

CAPUT III.

1. *Audite*, &c. Ad principes, & Judices populi Iſraël verba facit, quibus cùm judicandi poteſtas ſit conceſſa, jus omne conculcant, ſuáque poteſtate abutuntur in deglubendis, excoriandiſque ſubditis; neque ſolùm in omnium bona invadunt, ſed & bonis occupatis, in corpora eorum deſæviunt.

4. *Tunc clamabunt*, &c. Q. d. Quales hi Principes & Judices injuſtè miſeris ſubditis ſeſe præbuere, talem juſtè experientur Deum, cujus cùm ingruerit in eos ultio, clamabunt ad eum, ſed fruſtrà; neque enim ſeſe exorari patietur, cùm miſericordiæ ſuæ aures immiſericordium precibus occluſerit.

5. *Super Prophetas.* Id eſt, contra Prophetas. Invehitur Vates in ſeductores, qui pacem, ſeu proſpera denuntiant porrigentibus ſibi quod mordeant, & unde rumen impleant; bellum vero, ſeu adverſa iis, qui ſibi non dederint in os, quod ſatis ſit abdomini & ingluviei.

6. *Nox vobis pro viſione*, &c. Q. d. O pſeudo prophetæ, in denſiſſimas calamitatum tenebras redigemini, omníque gaudii, & ſolaminis luce privati, jam non vacabit vobis ariolos aut vates agere.

7. *Et confundentur*, &c. Q. d. Atque ita, ô Pſeudo-Prophetæ, cùm contrarium evenerit eorum, quæ nihil videntes vos ventura vidiſſe dixiſtis, pudore ſuffundemini, & erubeſcentes velabitis labia veſtra, quibus Dei nomine inverecundè aſſeriiſtis, quæ Deus nunquam locutus eſt.

8. *Verumtamen ego*, &c. Q. d. At longè alia eſt mea prophetandi ratio, ac pſeudo-prophetarum. Ego enim Spiritu Dei agor, qui mihi tribuit robur & judicium, ut ſalubri libertate ſine palpatione & ſine adulatione annuntiem ſuum Iſraëli peccatum.

9. *Abominamini judicium*, &c. Id eſt, Cum horrore rejicitis quod rectum eſt in judiciis, atque ita jus & omne æquum pervertitis.

10. *Ædificatis Sion in ſanguinibus*, &c. Id eſt, domos vobis ædificatis in monte Sion, & urbe Jeruſalem ex bonis iniquè partis per innocentium oppreſſionem, vel occiſionem.

11. *Principes*, &c. Q. d. Omnes ſunt mercenarii proceres, ſacerdotes, & Prophetæ, nec niſi turpi largitione corrupti muneribus ſuis funguntur; confidunt tamen ſe inultum id ablaturos, quod Dei populus vocentur, Templúmque Dei apud ſe habeant.

12. *Sion*

12. *Sion quasi ager arabitur.* Solebant olim duces dirutis à se urbibus aratro impresso & tracto, perpetuam solitudinem adscribere, atque restauratione interdicere. Sic Horatius de æterno Trojæ, aliarúmque urbium excidio mentionem faciens dixit lib. 1. Od. 16.

Imprimerétque muris hostile aratrum exercitus insolens.

Porrò hæc Michææ prophetia de excidio Jerosolymitano, Templóque funditùs delendo facta est Ezechiæ temporibus. Sed Rex Ezechias & totus populus, reveritus Dominum, faciem ejus deprecatus est, pœnituitque Dominum illius mali quod locutus fuerat contra eos, ut videre est Jerem. 26. v. 18, & 19.

CAPUT IV.

1. *ET erit*, &c. Q. d. Post cladem, quam prædixi, sequetur tempus, quo mons Sion, in quo est Templum Domini, unus inter omnes montes & colles eminebit splendore & honore; ad eum quippe fluent populi, qui priùs in collibus & montibus fictitios deos colebant. Theodoretus multis probat contra Judæos, & quosdam, ut ipse vocat, pios Doctores hîc non prædici Judæorum è captivitate Babylonica reversionem, sed Evangelii per universum orbem propagationem, cujus cùm doctrinam omnes populi essent amplexi, relicto dæmoniorum & idolorum cultu, in mediis urbibus, & pagis, & agris, locisque desertis ædes magnificas Deo ipsis montibus longè magis conspicuas extruxerunt.

2. *Et properabunt*, &c. Id est, Hieronymo interprete in cap. 2. Esaiæ, *Omnes gentes, & populi multi idcircò se mutuò hortabuntur, & dicent, Venite ascendamus ad montem Domini, quia de Sion, egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem: nequaquam de Sinai, & de solitudine, & de monte Oreb, sed de monte Sion, in quo ædificata est Jerusalem, & de Jerusalem, in qua Templum est, & regio Dei. Legimus quòd sæpè Dominus docuerit in Templo, & quòd non oportuerit mori Prophetam extra Jerusalem. Sed & in Jerusalem primùm fundata Ecclesia, totius orbis Ecclesias seminavit.* Hactenus D. Hieronymus. Vide quæ diximus de monte Sion, Joël 2. v. 1.

3. *Et judicabit*, &c. Q. d. Et idem ille Doctor cœlestis, qui do-

docturus est populos quas insistere debeant vias ut ipsi placeant, eorumdem lites componet, ut bello superfedeant, & ad pacem omnes curas, cogitationésque conferant. Vide Commentarium nostrum in Joël 3. v. 10.

4. *Et sedebit*, &c. Id est, unusquisque securè & jucundè sine hostis metu domi suæ deget, prædiisque suis perfruetur, Deus enim se ita decreviſſe per Prophetas est proloquutus. Quomodo autem Michæas hîc quietissimam & securissimam pacem significat ductâ metaphorâ à ficubus & vineis, quibus præscatebat Judæa: sic Tityrus apud Virgilium securus fingitur

Patulæ recubans sub tegmine fagi.

Et apud Horatium beatus ille esse censetur, qui liber à forensi & castrensi tumultu, modò sub antiqua ilice, modò in tenaci gramine jacet. Hæ autem loquendi formulæ securam indicant quietem, tutámque tranquillitatem, quia ubi infensi sunt hostes, latronésve vicini, nihil rure tutum, nihil sine metu, ideóque omnes intra urbium & oppidorum mœnia sibi perfugium quærunt. Hinc Hieronymus reprehendit Heliodorum sub arbore recubantem, cùm undecumque hostilis circumstrepat tumultus. *Adversarius*, inquit, *noster tanquam leo rugiens aliquem devorare quærens circumit, & tu pacem putas? Sedet in insidiis cum divitibus, ut in occultis interficiat innocentem, oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiatur in occulto ut rapiat pauperem: & tu frondosæ arboris tectus umbraculo, molles somnos futurus præda carpis?*

5. *Quia*, &c. Quod. Hanc felicem securitatem nobis præstabit Deus optimus maximus, quia cùm omnes populi in diis suis fictitiis diu avito errore fuerint confisi, nos in nullo eorum nobis confidemus, sed omnes spes nostras in ipsum Deum vivum collocabimus *in æternum & ultra*, id est, non in diutissimum modò annorum spatium, sed in perpetuum.

6. *In die illa*, &c. Quod. Tunc temporis Israëlitarum gentem ex patriis finibus ejectam, gravissima quæque supplicia miserrimæ captivitatis expertam, post longam pœnarum patientiam restaurabo.

7. *Et ponam claudicantem*, &c. Id est, efficiam ut gentis maximas calamitates perpessæ superstint aliquæ reliquiæ, eæque numerosæ. *Claudicare* dicitur metaphoricè qui in calamitate vivit, & *claudicatio* ipsa calamitas. In hunc sensum trahit Rabbi David Kimchi illud Es. 35. v. 6. *Tunc saliet sicut cervus claudus.*

Et regnabit, &c. Hoc eodem penitùs sensu videtur dictum quo Joël 3. v. 20. *Judea in æternum habitabitur*, &c. Vide ibidem Commentarium

rium noſtrum. Quòd autem Deus ſubinde dicitur certi temporis habitâ ratione regnaſſe, aut regnaturus eſſe, & regna mundi ipſius, & Chriſti facta eſſe, id non de ipſo regnandi jure ac poteſtate intelligendum eſt; ſed de certo ejuſdem poteſtatis uſu, & apertiori declaratione, déque divinæ potentiæ exertione, vel de ſubjectione hominum in re religionis ad imperium Dei ſeſe accommodantium, eíque ſeſe ſubmittentium.

8. *Et tu, turris gregis*, &c. Q. d. Ô Sion arx præcelſa, turris quondam gregis & populi, cujus Deus ſe paſtorem nuncupat in Scripturis, etſi modo tibi tempora ſint nubila, redibit tamen ad te dominatus priſtinus, qualis fuit ſub Davide & Salomone, cùm Judæorum Reſpublica maximè floreret. Hanc prophetiam laudans venerabilis Beda in Comm. in Luc. 2. v. 8. *Turris gregis*, ait, *quæ Hebraicè turris Ader vocatur, mille circiter paſſibus à civitate Bethlehem ad Orientem diſtat. Ad quam uſque filiæ Sion, Angelicæ videlicet poteſtates paſtoribus apparendo, venerunt.* Ceterùm *turris Ader*, ſeu *Eder* extat mentio Gen. 35. v. 21. ubi eam Vulgata editio vocat *turrim gregis*. Turrim ob greges olim ædificabant, ut patet ex Apul. lib. 4. Metam. poſt initium. *Injungit*, inquit, *ſpeluncæ turris arduo caule firma, ſolidis cratibus ovili ſtabulationi commoda.* Itaque Templum Jeroſolymitanum, aut Jeruſalem univerſim *turris gregis* vocatur, quòd Jeruſalem ad Templum, velut ad turrim greges, populi accurrerent.

9. *Nunc quare*, &c. Q. d. Cur, ô Sion, inſtanti jam calamitate graviſſimus & acerbiſſimus dolor te corripit, quaſi Deus verus Rex tuus, qui tibi ſemper optimè conſultum eſſe voluit, & te ex omnibus malis eripere poteſt, non perpetuò ſit manſurus & victurus?

10. *Dole*, &c. Q. d. Perfer æquo animo dolorem tuum, ô filia Sion, etſi acerbiſſimum, quia non multis abhinc annis è civitate in deſertum converteris, incolæque tui Babylonem captivi abducentur; triſtitia quippe tua brevi vertetur in gaudium, poſt poſt captivitatem ſeptuaginta annorum per Cyrum Perſarum Regem eruet te Dominus è poteſtate Chaldæorum, inteſtiſſimorum tibi hoſtium.

Habitabis in regione. Heb. *in agro.* Hoc ſuprà cap. 3. v. 12. dixerat his verbis, *Sion quaſi ager arabitur.* Sunt tamen qui putant alludi hîc ad morem veterum, qui quos captos ex urbe abegerant, aliquamdiu in agris detinebant ſub pellibus, dum reliqua turba captorum adveniſſet: tum ſimul omnes in captivitatem abducebantur.

11. *Et nunc*, &c. Q. d. Quæ autem gentes jamjam adverſus te convenient, dicentes; Diruamus Sion, polluamus eam cædibus, & videat oculus noſter hanc ipſius cladem, & con-

taminationem præſtitam; ignorant miſeri conſilio ac voluntate Domini ipſis permiſſum iri ut congregentur velut fœnum comminuendi, & quaſi manipuli in area triturandi.

13. *Surge.* Id eſt, agedum. Hortatur Vates urbem Jeruſalem, & Eccleſiam per ipſam figuratam, ac ſi jam res præſens ante oculos obverſaretur, ut virtute Dei corroborata hoſtes expugnet, & proſtratos conculcet, ut pote qui cum omnibus rebus ſuis ab ipſo Deo anathemati perpetuo ſunt devoti.

Tritura. Metaphora à bobus frumentum in area triturantibus; unde ſequitur, *Cornutuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas*, quia boves cornibus & ungulis armati ſunt. *Nihil dubium eſt, quin equis melius, quàm bobus, ea res conficiatur*, inquit Columella lib. 2. cap. 21. tamen Judæos, Syros, Arabes, Ægyptios, Græcos, veteréſque Romanos boum operâ potiſſimùm ad triturandum uti ſolitos probat clariſſimus Bochartus Hierozoici par. pri. lib. 2. cap. 31, & 32. eumdémque triturandi morem in Aſia etiamnum retineri ex Leunclavio habet in hunc Michææ locum doctiſſimus Druſius. Idem de Tartaris, qui circa Volgæ oſtia degunt, aſſerit Olearius, teſtis αὐτόπτης, idemque ἀξιοπιστότατος, Moſcovitici & Perſici itineris lib. 4.

CAPUT V.

1. NUnc, &c. Q. d. Erit quidem aliquando regnum tuum, filia Sion, infragile, at non modo; nam latronum turmis plena propediem ſuccideris, & hoſtes jamjam nos obſidebunt, & circumvallabunt, indigníſque modis Reges & Magiſtratus noſtros tractabunt.

2. *Et tu Bethlehem*, &c. Hebræi hîc inchoant caput quintum. Vide Commentarium noſtrum in Mat. 2. v. 6. *Judæi*, inquit B. Theodoretus, *noſtri temporis hoc ad Zorobabel accommodare attentârunt, apertè veritatem oppugnantes, neque rubore ſuffunduntur cùm audiunt, quòd hujus egreſſus ab initio, a diebus ſeculi. Et verò poſt captivitatem Zorobabel Babylone natus fuit, atque à loco nomen duxit.* Zorobabel enim dicitur quaſi זרוע בבל *Satus Babylone.* Vide Chryſoſt. Hom. 7. in Mat. 2.

Parvulus. Heb. צעיר, quæ vox cùm duo ſibi directè oppoſita ſignificet, ſcilicet *parvulum* ſeu *contemtum*, & *magnum* ſeu *inclytum*

tum, uti ex optimis linguæ ſanctæ apud Judæos magiſtris obſervavit linguarum Orientalium peritiſſimus Pocokius, Rabbi Tanchum poſteriorem ſignificationem priori hîc præfert. Atque ita non immeritò ſcribæ hunc textum laudantes Mat. 2. v. 6. hanc vocem צעיר reddunt *nequaquam minimam*, hoc eſt, celebritate nominis maximam.

Egreſſus. Ingenioſiſſimus Calvinus in hunc locum ait: *Scio quoſdam inſiſtere pertinaciùs, quòd hîc loquatur Propheta de æterna eſſentia Chriſti.——Sed quia hoc nunquam extorquebitur à Judæis, malo ſimpliciter accipere quod ſonant Prophetæ verba, Chriſtum non ità repentè proditurum ex Bethlehem, quaſi de eo nihil Deus ſtatuiſſet. Egreſſus ergo ejus ſunt ab initio, inquit. Alii etiam afferunt novam argutiam, quòd plurali numero Propheta egreſſus vocet propter duplicem Chriſti naturam, ſed ſubeſt abſurditas, quia neque propriè, neque ſcitè conferret Propheta naturam humanam Chriſti cum divina, quantum attinet ad æternitatem.* Non deſunt qui exiſtiment hoc hemiſtichium, *Et egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis*, dici de nativitate Chriſti ſecundum carnem, quaſi dicat, Natales Chriſti erunt ex illuſtri Regum antiquiſſimorum ſtemmate, cujus ſeries initium arceſſit à Davide, qui ex eodem Bethlehem oppido erat oriundus.

3. *Propter hoc*, &c. Q. d. Itaque permittit Judæos diutulè vexari graviſſimis quibuſque malis miſerrimæ captivitatis; poſtmodùm verò qui ex eiſdem Judæis Meſſiæ fratribus ſecundum carnem reſidui erunt, revertentur in terram filiorum Iſraël, id eſt, in priſtinam filiorum Dei libertatem reſtituentur.

4. *Et ſtabit*, &c. Q. d. Egreſſus è Bethlehem dominator in Iſraël non humanâ, ſed divinâ virtute regnabit cum benignitate paſtoris, & poteſtate dominatoris, magnitudóque ipſius omnium ubique ſermone celebratâ magnam conciliabit felicitatem plurima & duriſſima perpeſſis.

5. *Et erit iſte pax.* Id eſt, ſtatus hic temporum erit tutiſſimus ac feliciſſimus.

Aſſyrius, &c. Q. d. Si nos incurſibus infeſtaverit Aſſyrius, transferemus bellum in ditionem ejus miſſis eò paſtoribus & primatibus ſeptem & octo, id eſt, principibus & ducibus quàm plurimis. Familiare autem eſt Scripturæ uſurpare ſeptem & octo pro multis, ut Eccles 11. v. 2. *Da partem ſeptem nec non & octo*, id eſt, da eleemoſinam pauperibus quàm potes plurimis. Paſſim etiam ipſe ſeptenarius numerus ſolus pro multis ponitur, ut Eſ. 4. v. 1. *Septem mulieres.* Ruth. 4. v. 15. dixerunt mulieres ad Noëmi de Obed filio Ruth ipſius nurûs: *Multò tibi melior eſt, quàm ſi ſeptem filios haberes.* Zach. 3. v. 9. *Septem oculi.* Mat. 12. v. 45. *Septem ſpiritus nequiores.* Marc. 16. v. 9. & Luc. 8. v. 2. *Septem dæmonia.*

Mystico sensu possunt intelligi Ecclesiarum pastores Spiritu Dei pleni, per quos ecclesiam suam ex Judæis & gentibus collectam Christus liberabit è manu quorumcunque hostium per Assyrium & terram Nemrod, qui erant tum noti Judæis, synechdochicè significatorum.

6. Pascent. Id est, depascent. Quo sensu Virgilius adhibuit verbum deponens *pascor*, dicens: *Apes pascuntur arbuta.*

Terram Assur. Id est, Assyriorum regionem, quam mox Vates vocat *Terram Nemrod*, quia cùm Nemrod primò regnaret Babyloniæ, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar, egressus est Assur, ut dicitur Gen. 10. v. 11. id est, in Assyriam, nempe ut ipsius fines bello invaderet. Assyria quippe obtigerat Semi filiis, atque ita Nemrod è Chami stirpe prognatus nihil in eam habebat juris. Verùm quod jure sibi arrogare non poterat, per vim usurpavit, & priori regno suo adjunxit, ut certis argumentis convicit Bochartus in suo Phaleg lib. 4. cap. 12. & ante ipsum Vatablus, aliique demonstrarunt *Assur* loco mox laudato Geneseos non esse hominis sed regionis nomen, etsi in veritate Hebraica non scribatur אַשּׁוּרָה, cùm litera servili ה motûs indicativa, ut & alibi non infrequens occurrit particulæ motum designantis omissio. Vide 2 Sam. 6. v. 10. & 13. 2. &c. *Egredi* autem sine addito apud Hebræos Arabésque usurpari de eo qui procedit ad bellum videre est loco mox citato clarissimi Bocharti.

In gladio. Id est, propriis armis, quod mox exprimitur his aliis vocibus, *in lanceis ejus.*

7. Et erunt, &c. Q. d. Ut ros absque humana ope terram fœcundat, & pluvia irrigat herbam sponte & sine cultura germinantem, sic Deus tuebitur reliquias Jacob in medio populorum multorum sine opera & adminiculo hominum.

8. Et erunt, &c. Q. d. Reliquiæ Jacob erunt terrori omnibus populis, nec erunt ex eis qui ipsis se audeat opponere.

9. Exaltabitur, &c. Apostrophe ad reliquias Jacob, vel ad ipsum Deum.

10. Et erit, &c. Q. d. Pax erit summa, atque ita nullus erit usus eorum, quæ ad bellum, vel ad tutelam tempore belli sunt necessaria.

11. Auferam, &c. Q. d. Ut pax tua sit solida, purus apud te vigeat mei cultus necesse est, inquit Deus omniporens, qui te expurgabit omnibus impietatis instrumentis, & præstigiis ad hominum perniciem inventis & excogitatis.

13. Conteram civitates tuas. Quas idolis dicaveras. Hier.

14. Et faciam, &c. Id est, cúmque hoc tibi præstitero, ut quicquid in te mali est aboleatur, tum demum severitatem judiciorum meorum in illis exercebo gentibus, quæ meum noluerunt audire ser-

sermonem. Respondeat hoc loco carneus Israël, utrum facta dicat hæc, an futura? Si facta commemorat, præbeat historiam, det authoritatem veterum librorum: doceat cunctas gentes & Assyrium Israëli quondam fuisse subjectum. Si autem se vanâ spe ludens futurum putat esse quod dicitur, quando Christus venerit, quæ tunc de Israël idola auferentur, quæ modo non colit? Qui succidentur luci, quos non habet? Quæ urbes subruentur, olim subrutæ sunt? Qui tollentur arioli, quos cùm non habeat, nec habere se glorietur, tamen tanto tempore derelicta est filia Sion, & sedet sine altari, & sine sacerdotibus, & aliis fruges eorum comedentibus, ipsi siccis faucibus sibi futura promittunt quæ nesciunt? B. Hier.

CAPUT VI.

1. *Audite*, &c. Hortatur Vates populum, ut audiat Dominum sibi imperantem coram montibus & fundamentis terræ disceptare causam quæ inter ipsum Deum & populum est, ut ipsa elementa sensûs expertia sentiant utcunque Dominum in ultionem ingrati populi ad iracundiam justè concitatum.

2. *Audiunt montes*, &c. Prosopopeiâ Vates contestatur montes, & cautes durissimas. Alii existimant per montes & fundamenta terræ hîc intellgi Reges & proceres, quorum celsitati populus innititur ut fundamentis.

3. *Quid feci*, &c. Q. d. Quâ molestiâ fuisti à me fatigatus, ut fastidias cultum meum, officiúmque tuum?

4. *Quia eduxi*, &c. Q. d. An beneficia mea contumeliam interpretaberis, & pepones, carnésque Ægypti desiderans delebis te eductum de terra Ægypti, ac de domo servitutis multâ virtute liberatum per Moysen amicum meum, Aaron sacerdotem meum, & Mariam prophetidem meam?

5. *Memento*, &c. Q. d. Si hoc tibi parvum videtur, recordare quid Balaam contra voluntatem suam responderit Regi Moab, qui eversionem tuam procuraturus, ipsum Balaam ariolum mercede conduxerat, ut tibi malediceret.

De Setim usque ad Galgalam. Balaam varia loca mutavit, in eo tractu, qui est à Setim ad Galgalam usque, ut Balach Regi Moab posset obsequi, ut ait Hieronymus. Alii hæc verba cum sequentibus connectentes, ita hunc locum exponunt: Ab eo tempore, quo fornicatus es in Setim, *Num.* 25. cum filiabus Moab, us-

que ad tempus, quo in Galgala, *Josue* 5. denuò es circumcisus, vel ibidem, 1 Sam. seu Reg. 11. v. 15. Saüli regnum fuit confirmatum, repete memoriâ quæ mala sis operatus & quanta tibi bona fecerit Dominus, & agnosces ipsum Dominum tot modis à te contemtum & spretum datis tibi promissis misericorditer usque stetisse.

6. *Quid*, &c. Deus populum ad Judicium provocârat, qui agnoscens hactenùs se nihil fuisse ingratius, quâ ratione Deus placari possit exquirit, an videlicet oblatione vitulorum anniculorum in holocautomata?

7. *Numquid*, &c. Q. d. An potiùs multitudine arietum oblatâ, vel torrentibus olei in ipsius honorem effusis placabitur? Imo, si ipsi Deo visum fuerit, in hostiam pro peccato offeram ipsum lumbis meis prognatum primogenitum, omnibus audendis paratissimus.

In multis millibus hircorum pinguium? Heb. ברבבות נחלי שמן, *in myriadibus torrentium olei?* Elegantissima hyperbole, ut Job. 20. v. 17.

8. *Indicabo.* Scilicet divinitùs inspiratus. Heb. הגיד, *indicavit*, Supple, Lex Deut. 10. v. 12.

Quid sit bonum. Quo scilicet veraciter beatus esse possis.

Quid Dominus requirat à te. Q. d. Quibúsve hostiis Deus oblectetur, quóque placamine propitietur.

Facere judicium. Id est, colere justitiam, seu, studere virtuti & sinceræ pietati.

Diligere misericordiam. Quæ videlicet in omnes liberalis est, adeóque ipsos inimicos amicat.

Sollicitum ambulare cum Deo. Heb. והצנע לכת עם אלהיך, *& humiliare te ambulando cum Deo tuo.* Id est, à Deo tibi gratis datum agnoscere, eique totum acceptum referre, si sollicitus sis quomodo ad nutum ipsius mandata ejus exequaris, & sanctâ societate ipsi inhæreas. *Verum sacrificium est*, inquit Augustinus lib. 10. de Civ. Dei cap. 6. *omne opus quod agitur, ut sanctâ societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.*

9. *Vox Domini ad civitatem clamat.* Hoc est, Deus cives ad pœnitentiam vocat.

Et salus erit timentibus nomen ejus. Heb. ותושיה יראה שמך, *& existentiam videt nomen tuum*, seu, ut vertit Tremellius, *Nam quod res est videt nomen tuum.* Apostrophe est Prophetæ ad Deum, q. d. Pernovisti enim quicquid in civitate est occultissimum.

Audite tribus. Scilicet Israël. Heb. שמעו מטה, *audite virgam*, id est, Junio interprete, *prædictionem de judicio, quo flagellandi essis.*

Et quis approbabit illud. Q. d. Hoccine ferendum videtur cuiquam? Heb. זמי יעדה, *& quis desponset* seu, *accersat eam*, id est, audite quis in causa sit cur hac virga sitis flagellandi?

10. *Adhuc*, &c. Q. d. Etiamnum, postquam tot monitis vos sollicitavi, gliscit impietatis flamma in familiis vestris, & thesauri iniquè parti adulterando mensuras & pondera, quod Deus detestatur, in domibus vestris perseverant.

11. *Numquid*, &c. Q. d. An justum censebo staterâ fraudulentâ utentem, & in alio pondere vendentem, in alio ementem mercimonia?

Sacculi pondera dolosa. Lapidibus Hebræi utebantur pro ponderibus, eósque reponebant in saccum, Deut. 25. v. 13. Prov. 20. v. 23.

12. *In quibus*, &c. Q. d. Per quæ pondera iniqua iram Dei provocantia, & per mendacia, fraudulentáque verba urbis divites congessére thesauros, congestósque adauxerunt.

13. *Et ego*, &c. Q. d. Hæc ergo tua ut ulciscar peccata, jamjam commeritum de te sumam supplicium.

14. *Apprehendes, & non salvabis*, &c. Hoc est, hostes consequeris, nec tamen captivos pretio redimes, & siquos redemeris, eos gladio tradam.

15. *Tu seminabis*, &c. Q. d. Seges frumenta non afferet, oleum pressa oliva non faciet, vinúmque steriles vindemiæ tibi negabunt.

16. *Et custodisti*, &c. Q. d. Quia verò custodisti omnes idololatriæ ceremonias, quas Amri, seu Omri & ejus filius Achab impietatis Jeroboam præcipui instauratores constituerunt, impiísque eorumdem consiliis es obsecutus, dabo te, ô Samaria, cum incolis tuis in desolationem, & in derisionem, atque ita maledicta in vos congesta à populo meo immanitate violentiæ vestræ superobruto portabitis.

CAPUT VII.

1. VÆ *mihi*, &c. Queritur Vates se æquè destitui bonis & justis viris, atque destituuntur leguli fructibus & uvis in autumno, postquam poma æstiva lecta fuerint ab arboribus, & carpti à vitibus racemi, adeò ut jam esculentus non supersit in vineis botrus, nec ulla sint gravantia ramos poma præcoqua, id est, æstiva, quæ ad sui appetentiam illiciant.

2. *Periit*, &c. Versus præcedentis parabolam explicat hîc Vates, q. d.

Virtutum subiêre locum fraudésque, dolique,
Insidiæque, & amor sceleratus habendi.
Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est.

3. *Malum*, &c. Q. d. Quod autem manus eorum operantur malum, beneficium dicunt princeps & judex, si postulatum sibi concedatur munus, & quicunque magnus est, edicit quâ quemque velit injuriâ affici.

Et conturbaverunt eam. Heb. ויעבתוה, *& complicaverunt eam.* Q. d. Eámque injuriam communicatis inter se consiliis confirmant, & tanquam lorum, aut restem ex multiplice filo contextam (ut Plautus loquitur) contortuplicant.

4. *Qui optimus*, &c. Id est, æquissimi Samariæ judices sunt tortuosiores, magísque aculeati, quàm lycion, ullúmve spinetum.

Dies speculationis tuæ. Hoc est, speculatorum, seu prophetarum tuorum ultio imminet.

Visitatio tua venit. Id est, jamjam scelerum tuorum pœnas commeritas dabis.

Nunc erit vastitas eorum. Heb. מבוכתם, *perplexitas eorum*, Q. d. Nunc molestiis multis, vastationique horrendæ implicabuntur, qui complicuerant, seu contexuerant artes emungendi populum.

5. *Nolite*, &c. Q. d. Tanta est hominum in hoc sæculo perversitas atque perfidia, ut nec amicus amico, nec subditus principi, nec maritus uxori, nec socrus nurui credere possit; quia ipsi domestici cujusque sunt ejudem inimici. Sapienter ergo aget qui in nullo eorum sibi confidet, sed Deo vivo se sistet, eique adhærescet. Id ipsum Jeremias cap. 9. v. 4. monet his verbis: *Unusquisque*

que se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Hujusmodi perfidiam & infidelitatem hominum etiam genere, vel fœdere conjunctorum describit Ovidius lib. 1. Metam.

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.
Lurida terribiles miscent aconita novercæ.
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas, & virgo cæde madentes,
Ultima cælestum terras Astræa reliquit.

7. *Ego autem*, &c. Q. d. Aſt ego in hoc deplorato Rei-publicæ ſtatu, rerúmque omnium perturbatione oculos habeo converſos in Deum, in quo uno ſpem & fiduciam pono, nihil dubitans, quin ut antèà ſæpè, ita nunc quoque mihi opem laturus, & ex his malis tempore ſuo ſit liberaturus. *Uni Deo confidere, magni & cæleſtis animi eſt opus, & ejus qui nullis amplius capiatur earum quas videmus rerum illecebris*, inquit Philo judæus lib. Quis rerum div. hæres.

8. *Ne lætere inimica mea*, &c. Si Hieronymo credimus, Jeruſalem hîc alloquitur Babylonem, & ceteras gentes, quæ ſibi inſultaverant, q. d. Ne lætemini in ruina mea, quia Domino miſerante conſurgam, & poſtquam fedeo in ærumnoſæ captivitatis tenebris educet me Dominus, in priſtinúmque ſplendorem reſtituet, atque omnem mœroris mei caliginem diſcutiet.

9. *Iram Domini portabo*, &c. Q. d. Interim donec illuceſcat ille dies, quo Deus à tenebricoſa captivitate in lucem libertatis me vindicet, & importatas mihi à malignis gentibus clades ulciſcatur, mihíque ipſius benignitate frui liceat, perferam æquo animo iram Domini, quia fatcor me culpam commeruiſſe. Præclarè autem Ambroſius lib. de Cain & Abel: *Non iraſcitur Deus quaſi mutabilis, ſed iraſci dicitur, ut exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, quæ divinam meruit offenſam: tanquam eò uſque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur irâ, aut odio, aut paſſione ullâ, provocatus videatur ad iracundiam.*

Videbo, juſtitiam ejus. Hoc eſt, fruor ejus benignitate. *Videre* uſurpari pro frui notum eſt vel ex illo Pſ. 33. v. 13. *Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Miſericordiam autem & benignitatem juſtitiæ vocabulo inſigniri obſervavi in

Mat.

Mat. 1. v. 19. & 6. v. 1. Vide & animadverſiones Clariſſimi D. Nortoni Knatchbull Equitis Baronetti in Mat, 1. v. 19.

10. *Aſpiciet inimica mea.* Scilicet Babylon cum ceteris gentibus in circuitu felicitatem mihi a Deo benigno conceſſam.

Quæ dicit ad me. Supple, nunc afflictam inſultans.

Oculi mei videbunt in eam. Scilicet, ignominiâ opertam.

Nunc. Id eſt, brevi.

Erit in conculcationem, &c. Id eſt, Babylon inſtar luti platearum ad nihil valebit ampliùs niſi ut pedibus conculcetur.

11. *Dies,* &c. Jeruſalem alloquitur Vates, Q. d. O Jeruſalem, cùm tempus inſtaurationis tuæ advenerit, nequaquam legibus gentium & imperio ſubjacebis.

12. *In die illa,* &c. Q. d. Tunc ad te, ô civitas Dei, concurrent undequaque populi libertate ſummâ, & tanquam aggeſtis itineribus, ut prophetaverat Eſaias cap. 19. v. 23.

A civitatibus munitis uſque ad flumen. Heb. ad verbum, *A Maſor* מצור *uſque ad flumen*, id eſt, Bocharto interprete, ab Ægypto uſque Euphratem, qui ſunt termini terræ ſanctæ. Erat enim Euphrates ad Septentrionem illius terræ oppoſitus Ægypto, quæ ad Auſtrum. Sed & Maſor pro Ægypto ſumitur 4 Reg. 19. v. 24. & Eſ. 19. v. 6. ſecundum Kimchium. Hinc mox laudatus Bochartus in ſuo Phaleg. lib. 4. cap. 24. *Miſrajim,* inquit, *puto factum per compendium ex Meſorajim; nam ſingulare eſt Maſor.* Porro *Maſor* eſt munitus locus, unde hoc nomen maximè quadrat in Ægyptum, quia nulla regio naturali ſitu tutior. Quod probat Diodorus Siculus lib. 1. longâ inductione. Nam ab Occaſu deſertum habet inacceſſum. A Meridie Nili cataractas & montes Æthiopiæ. Ab Ortu item eremum, & barathra, & paludem Serbonidis. Ab Aquilone mare prope imperuoſum. Nam à Joppe Phœniciæ uſque ad Parætonium Libyæ nullus eſt portus præter Pharum. Hæc poſtquam pluribus loco citato docuit Diodorus, ita concludit, ὥ μὴν ἔτι Αἴγυπτος πανταχόθεν φυσικῶς ὀχυροῦται, *atque ita Ægyptus undique naturaliter munitur.* Idem lib. 15. de Ægypti Rege Nectanebi Perſis adventantibus ait, ἐθάῤῥει ὃ μάλιστα μὴν τῶν ὑπ' ἀνθρώπων, ἀνεπιθετοίτω πανταχόθεν ὄντος Αἰγύπτου, *fidebat maximè regionis munitione, cùm Ægyptus undequaque ſit inacceſſa.* Strabo quoque lib. 16. Ægyptum aſſerit, ab initio fuiſſe pacatiſſimam, quia regio eſt ſuis contenta bonis, exteriſque ingreſſu difficilis. Quod probat iiſdem argumentis, quibus Diodorus. Sed & Ægyptus potuit dici *Maſor* מצור ab anguſtiis, quia צור coarctari, & צר anguſtum ſonat. Anguſta enim eſt Ægyptus, quod omnes ſciunt,

&

& à mari Syenem usque tota patet in longitudinem. Hinc Esaias cap. 18. v. 2. Ægyptios vocat גוי ממשך, gentem in longitudinem protractam, vel extensam.

13. *Et terra*, &c. Q. d. Jerusalem ad te undequaque populi concurrent, cùm cæterarum gentium regiones futuræ sint desolationi propter mala opera eorum, qui ipsas incolunt.

14. *Pasce*, &c. Apostrophe Vatis ad Deum, Q. d. Rege, ô Deus, pede tuo, tuáque potentiâ serva eos, qui cultui tuo devoti huc illuc per arva, sylvásque sparsi sunt; reduc oves possessionis tuæ in læta pascua, & depascant Basan & Galaad, ut olim, hoc est, felicitate pristinâ fruantur. De Basan & Galaad vide quæ diximus in commentario nostro in Cant. 4. v. 1.

In medio Carmeli. Id est, sicut in medio arvorum. Carmelus non est hîc nomen proprium montis, de quo diximus Amos 1. v. 2. Sed est nomen appellativum cujusvis arvi, seu potiùs agri feracis & consiti.

Pascentur. Id est, depascant, *let them feed*, ut habet vulgaris editio Anglicana.

15. *Secundum*, &c. Vati respondet Deus se non minora editurum prodigia in gratiam populi sui, quàm ediderat olim, cùm ejusdem populi, adeóque ipsius Vatis majores ex Ægyto egrederentur,

16. *Videbunt*, &c. Q. d. Hæc verò cùm viderint gentes, viribus defectæ obstupescent, & quasi obmutuerint, obsurduerintque præ stupore, manum ori imponent, aurésque obturabunt.

17. *Lingent pulverem*. Id est, proni se in terram prosternent in signum reverentiæ, & obsequii. Hoc Ennius diceret, *Genibus terram pinsent*, id est, in genua cadent, *eísque terram ferient*.

Sicut serpentes. Qui nempe cùm humi repant, non possunt quin pulverem in os cum aliis cibis simul injiciant. Hinc licèt serpentes carnem & herbam edant, & ex Aristotele Hist. lib. 8. cap. 4. cupediæ sint dediti præ ceteris animantibus, iis tamen assignatur pulvis in cibum, Gen. 3. v. 14. & Es. 65. v 25. Sic David in luctu queritur se comedisse cinerem sicut panem, quia pronus in cinere jacens pane in terram projecto vescebatur. Talmudici tamen in tractatu de Sabbato, טועמין את הארץ כחויא, *terram comedebant ut serpens*. Et Nicander de chersydro Theriac. vers. 372. cùm exsiccata prorsus illud defecit aqua, νόμεται διψήρεας οἴμους, *aridos sulcos depascitur*. Et Philes, qui muliebri nomine vulgò vocatur Phile, de serpente quodam Indiæ, qui videtur esse sepis species,

Νωδὸς

Νωδὸς γάρ ἐστι, καὶ ψιλὸν χοῦν ἐσθίει,
Solóque vivit pulvere, éſtque edentulus.

Sed & eodem cibo veſci alia putantur animalia. In his lumbrici & vermes. Plautus in Caſina Act. 1.

Poſt autem niſi ruri eruum tu comederis,
Aut, quaſi lumbricus, terram.

Algiahid ſcriptor Arabs ait cicindelam ali pulvere, quo nunquam ſaturatur, extimeſcens ne deficiat terræ pulvis, atque ita fame pereat. Quomodo in avibus aquaticis ardeam aquâ parciùs uti, adeóque à potu tamdiu abſtinere ſcribunt Arabes, ut præ ſiti moriatur, ne aqua deficiat, ſi biberet paulò largiùs. Quod Symbolum eſt avari divitis, qui inopiæ metu ſuum defraudat genium. Bardiſanes apud Euſebium de præpar. lib. 6. Σκόρπιος γῆν ἐσθίει. Plinius Hiſt. Nat. lib. 10. cap. 72. *Scorpiones terrâ vivunt.* Et in Porta cœli fol. 22. c. טלפא אשר מזונה העפר, *talpa, cujus alimentum eſt pulvis.* Ut de eadem Vincentius Bellovacenſis Monachus Doctrinalis lib. 16. cap. 103. *In terra habitat, vermium eſcâ vivit, in fame quoque terram comedit,* Quin & aves terrâ veſcentes ſe vidiſſe ait Cardanus de variet. lib. 7. cap. 35. Sed dubitat utrùm id factum ſit fame adigente, an ut aliquid eruerent, vel ſalſedine, vel alio nomine ſuæ naturæ conveniens. Sic autore Philoſopho Hiſt. Anim. lib. 8. cap. 5. τοὺς λύκους φασὶν, ὅταν πεινῶσιν, ἐσθίειν τινὰ γῆν. *Lupi eſurientes dicuntur quoddam terræ genus edere.* Et apud Georgium Piſidem in Hexaëmero,

Λύκοι δὲ τὴν γῆν, οἱ λαγοὶ δὲ κανθάρους,
Lupique terram, & cantharos lepores edunt.

Sed in morbis duntaxat pro medicina. At elephantos mori tradit Vincentius mox laüdatus Doctrinalis lib. 16.cap.54. Si terram comederint; nonnullos tamen huic cibo ita aſſuefieri, ut illis conſuetudo ſit pro altera natura.

Proturbabuntur de ædibus ſuis. Id eſt, intra ſuas urbes & arces non ſe tutos putabunt, ut nec reptilia in cavernis.

Dominum Deum noſtrum deſiderabunt. Heb. אל יהוה אלהינו יפחדו, *ad Dominum Deum noctrum pavebunt,* id eſt, pavidi accurrent.

Timebunt te. Heb. ממך, *à te.* Q. d. Timentes ſibi abs te, ô Iſraël, cum tremore ad Dominum Deum noſtrum accurrent.

18. *Quis*

18. *Quis Deus*, &c. Apostrophe ad Deum, q. d. Incredibili, ô Deus bonitate condonas iniquitatem, & dissimulas misericorditer peccata filiorum Israël, qui reliqui erunt liberationis tempore.

Non immittet, &c. Q. d. Dei citò flectetur ira, cò quòd delectetur benignitate.

19. *Revertetur*, &c. Q. d. Ad misericordiam conversus miserebitur nostri Deus, nostráque delicta in profundum maris projiciet, id est sempiternâ oblivione sepelies.

20. *Dabis*, &c. Q. d. Præstabis te veracem, clementissime Deus, servans Jacobi posteris, quæ gratuitâ misericordiâ Abrahamo promisisti, eidémque Abrahamo, & Isaaco, & Jacobo patribus nostris te constanter servaturum jurasti.

FINIS.

NA-

NAHUM PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

NAhum dictus Elceſæus, ſeu Elkoſchæus à viculo natali in Galilæa Elceſai, cujus ruinæ Hieronymi ætate monſtrabantur, vel, ſi pſeudo-Dorotheo credimus, ab altero ejuſdem nominis oppidulo in tribu Simeon trans Jordanem verſus Bethabaran, ubi Joannes lavacro homines in noxarum emendationem abluit. Poſt captas decem tribus ab Aſſyriis, eorumdem Aſſyriorum metropolin Nineven, totúmque regnum exciſum iri prædixit, cujus excidii, Joſia regnante, per Nabopollaſarum Babylonium, qui & Nabuchodonoſor vocatur, & Aſſuerum ſive Aſtyagem Cyaxaris Medorum Regis filium peracti elegantiſſima habetur deſcriptio Ezechielis capite trigeſimo primo. *Moritur ſub impio Rege Manaſſe, & ſepultus eſt in Begabar* (corrige ex Pſeudo-Dorotheo, in Bethabara) *circa annum ab orbe condito ter milleſſimum ducentiſſimum quadrageſimum primum,* inquit Sixtus Senenſis Bibliothecæ Sanctæ lib. 1. In Martyrologio Romano accenſetur ſanctis, qui mortem oppetiere Kalendis Decembris,

---

CAPUT I.

1. *ONus,* &c. Q. d. Gravis & dura prophetia contra Niniven Aſſyriorum metropolim, totúmque adeò ipſorum imperium ſynechdochicè, quam exiguo hoc volumine concluſit Nahum Elceſæus, ſeu, Elkoſchæus.

2. *Deus æmulator,* &c. Q. d. Deus indignè ferens injurias populo ſuo illatas, exeret potentiam & ſeveritatem ſuam in maleficos ipſius hoſtes.

3. *De-*

3. *Dominus patiens*, &c. Id est, Deus magnanimus lento quidem gradu ad vindictam procedit, nunquam tamen noxios impœnitentes finit impunè abire, sed tarditatem supplicii gravitate compensat, ingentisque instar turbinis, quo pulvis in nubium morem excitatur, repentè, & quàm vehementissimè ingruit ipsius ultio summè formidabilis.

4. *Increpans mare*, &c. Q. d. Quis enim non horreat incidere in manus Dei viventis, cujus nutu mare vertitur in aridam, flumina siccescunt, Basan, Carmelus, & Libanus, hoc est, loca floribus & pascuis amœnissima deformantur, squallidáque fiunt deserta ?

5. *Montes*, &c. Q. d. Ad ipsius nutum concutiuntur Montes, & colles, omnisque terra cum ipsius incolis conflagratur.

6. *Ante faciem*, &c. Q. d. Nec est qui ipsi Deo irato resistere valeat, cùm ei omnia cedant pro arbitratu ipsius, justáque ejus indignatio effusa dissolvat obvia quæque, & ignis instar absumat. Deus autem dicitur effundere iram, seu indignationem, cùm de peccatoribus commeritum sumit supplicium.

7. *Bonus*, &c. Hoc est, in ipso tribulationis æstu miris modis summa Dei benignitas prospicit ac consulit eorum saluti, qui spem suam in eum collocant, ab ipso omnia expectant, & ad ipsum in rebus adversis confugiunt.

8. *Et in diluvio*, &c. Q. d. Itaque præpotentis Dei ira erumpet in Assyrios populi ipsius hostes infestissimos, neque poterunt se expedire è rebus adversis, queis opprimentur, dum repentè, quasi inundationis impetu Ninives eorumdem Assyriorum Regiæ fiet excidio, ut ne locum quidem ejus quisquam sit agniturus. De anno excidii Nineves insignia sunt hæc Usserii Armachani Archiepiscopi in Annalibus ad annum mundi 3378. ante æram Christianam 626. *Nabopollasarus Babylonius à Saraco (sive Chynaladano) Assyriorum & Chaldæorum rege præfectus exercitui, & Astyages à patre Cyaxare Mediæ Satrapa constitutus, affinitatem ineuntes (Amyiti Astyages filia Nebucadnesari filio Nabopollasari desponsatâ) junctis viribus Niniven, & in ea Saracum regem expugnant: quemadmodum ex Alexandri Polyhistoris fragmento (à Georgio Syncello qui illud citat, minime intellecto) colligimus. Quomodo & in fine Græci Tobiti legimus cepisse Niniven Nabuchadonosorum (sive Nabopollasarum) & Assuerum (sive Astyagem, Assueri quoque nomine Danielis* 11. v. 1. *appellatum*) *superstite adhuc Tobia Juniore, qui, captâ Samariâ à Salmanasare in Assyriam cum patre deportatus, annis* CXXVII, *(vel* 99 *ut habet latina ex ex Chaldaico expressa editio) vixisse dicitur; cum* 95 *ab Israelitica captivitate huc usque decurrerint. Atque ita, Josia regnante, (ut in commentariorum suorum in Jonam proœmio Hieronymus quoque confirmat) eversa Ninive; completa*

pleta sunt de ejus excidio Nahumi & Esaiæ vaticinia: cujus etiam jam peracti Ezechielis cap. 31. *elegantissima habetur descriptio.* A Medis & Chaldæis excisa Ninive diu jacuit, & an unquam restaurata fuerit eo in loco, in quo priùs condita, dubitatur, cùm juxta Nahumi vaticinium funditùs fuerit delera, ita ut nec vestigium ejus supersuerit. Quod refutantur Lucianus in dialogo *contemplantes*, & Cyrillus Alexand. in Nahum 2. *Tantùm hoc constat*, inquit clarissimus Bochartus in suo Phaleg lib. 4. cap. 20. *Niniven ad Tigrim fuisse versus Ortum, nec procul à Lyco flumine. Sed ex qua parte Lyci, an à dextris, aut à sinistris res adhuc est in ambiguo. Ita compleri oportuit Prophetæ Nahumi de hac urbe vaticinia cap.* 1. *v.* 8. *& cap.* 3. *v.* 17. Imò & Ninive recentior, seu restaurata pridem diruta & exhausta est vicinitate Mosal oppidi in parte oppositа fluminis, solo ponte intercedente, ut mox laudatus Bochartus loco citato probat ex Rabbi Benjamin Tudelensis itinerario, & Haithone Armeno De Tartaris.

9. *Quid cogitatis*, &c. Q. d. Vanum erit vobis, ô Ninevitæ, omne consilium, irritique omnes conatus, ad impendentem vobis cœlitùs vindictam amoliendam, cùm irrevocabili decreto Dominus apud se statuerit vos semel ita excidere, ut non supersit quod iteratâ tribulatione excidatur.

10. *Quia*, &c. Q. d. Assyrii conviviis atque epulis indulgentes adinstar spinarum perplexarum & invicem implicatarum inextricabilibus implicabuntur difficultatibus, nescientésque omninò quid capiant consilii, citò conficientur & comedentur, ut ignis comedit stipulam, quæ cùm sit aridissima, facillimè succenditur, brevissiméque peruritur.

11. *Ex te*, &c. Apostrophe ad Niniven ostendens causam impendentis ipsi divinitùs ruinæ, quia videlicet ex ipsa prodierunt impii, qui minitantes ruinam, intensionem, interneciónémque populo Domini, pessimè isthuc in eundem populum consulebant, ut relicto Deo se traderet Assyriis. Vide 4 Reg. 18. 2 Par. 23. & Es. 36.

12. *Si perfecti fuerint*, &c. Ad Judam & Jerusalem sermo dirigitur, q. d. Licèt Assyrii perfecti sint robore & consilio, id est, licèt viribus ad luctandum valeant, concordésque inter se sint Assyrii, *& fortitudo eorum numero augeatur cunctarum gentium; quomodo nunerus capillorum acutæ forcipi non repugnat*, ut loquitur Hieronymus, sic ab Angelo vastante Assyrii facilè succidentur, & qui evaserint incolumes, illico se in regionem suam recipient, téque, O Juda & Jerusalem sospitem relinquent; quamvis afflixerim te per Assyrios, permittens universam fermè Judæam ab iis subigi & devastari, non pergam tamen ampliùs in calamitatibus tibi per eosdem importandis. Vide Es. 37. v. 33, & seqq.

13. *Ec*

13. *Et nunc conteram virgam*, &c. Q. d. Jamjam faciam ut non servias Assyriis qui te obsidione premunt. Præclarè itaque Hieronymus, *vel per metaphoram potestatem Assyrii significat: vel certè virgam, quâ percutere conabatur & vincula, quæ captivis parabat; quamquam possit & obsidio clausæ multitudinis pro vinculis accipi.*

14. *Et præcipiet super te*, &c. Apostrophe ad Sennacheribum Assyriorum Regem, q. d. O Sennacherib, Deus decrevit te perdere, memoriámque nominis tui penitùs extinguere; Nam ex Judæa cum ignominia reversus in terram tuam, in Templo dei tui Nesroch, quadraginta quinque diebus post reditum tuum, à propriis filiis interficieris. & inter idola sepelieris. Vide 4 Reg. 19. v. 36, & 37. 2 Paral. 32. v. 21. Tob. 1. v. 21. Esa. 37. v. 37, & 38. Hic finit caput primum in textu Hebræo.

15. *Ecce*, &c. Q. d. Jamjam nuntius rapidis accurrit passibus, montes colléſque trajiciens, & quasi de sublimi specula procul nuntians ex sententia tibi, ô Jerusalem, omnia cedere; cæsa enim sunt ab Angelo centum octoginta quinque millia Assyriorum, hánceque stragem secuta est cædes Regis eorum Sennacherib. Celebra Juda festivitates tuas, quod hactenus per bellum non licuit, & redde quæ vovisti pro salute impetranda, cùm ab Assyriis premereris; neque enim ultrà transibit per te nefarius ille Sennacherib, ejúsve exercitus, cùm funditus interierint. *In Paralipomenôn scribitur libro, quòd obsidente Senmacherib Jerusalem, in primo mense paschа facere non potuerint. Cæso autem per Angelum exercitu ejus, & fugâ ac morte ejus nunciatâ, in secundo mense summâ festivitate paschæ diem celebrarint.* B. Hier.

CAPUT II.

1. *Ascendit*, &c. Ad Assyriorum Regem sermo convertitur, q. d. Omnia fac & experire, nunquam tamen amolieris ascendentem ad te Medum & Babylonium, qui Regiam tuam Nineven expugnabunt, & ante os tuum evastabunt agros, persequentur agricolas, ruráque perpopulabuntur. Præteritum pro futuro usurpat Vates more Prophetis familiari. Ascendere autem dicit eos, qui in Assyriam contendunt, quomodo Os. 8. v. 9. *Ipsi ascenderunt ad Assur.*

2. *Quia reddit*, &c. Præteritum pro futuro, q. d. Ulciſcetur namque Dominus ſuperbiam, quâ contumelioſè in Jacob, id eſt, Judam et Benjamin, & in Iſraël, id eſt, reliquas decem tribus ſævierunt Aſſyrii. *Utrumque enim & Judæa, & Iſraël vaſtaverunt Aſſyrii & ſub metaphora vitis amborum propagines corruperunt*, inquit Hieronymus.

3. *Clypeus*, &c. Deſcribit Vates exercitum in Aſſyrios irruiturum, q. d. Ad majorem incutiendum metum procedent milites cum clypeis aureis, ſeu deauratis, qui ſole adverſo percuſſi ruborem igneum imitentur, & cum veſtibus cocco tinctis. Quin & tam citato impetu agentur currus eorum, quum prælium inſtruetur, ut habenæ ex ære factæ, ne facilè rumpantur, igneæ videantur, & ſcintillantes rotæ ignis ſpeciem intuentium oculis objiciant, qui tædas inflammare poſſit, & ipſi duces exercitûs, ſeu curruum agitatores ad tantam eorumdem curruum velocitatem obſtupeſcant. Ceterùm ex auro formatos olim clypeos indicat Plinius lib. 35. Hiſt. Nat. cap. 3. dum ait: *Pœni ex auro factitavere & clypeos, & imagines, ſecúmque in caſtris tulere.* Huc facit & illud 1 Mac. 6. v. 39. *Et ut refulſit ſol in clypeos aureos & æreos, reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis.*

Igneæ habenæ currus. Heb. באש פלדות הרכב, quod eſt ad verbum *in igne lampadum currus*, ſupple, erit. Id eſt, tantâ rapiditate ferentur ingruentis exercitûs currus, ut ignis ex rotis verſantibus emicet, qui lampades accenſas æquare videatur, & eas accendere poſſe. Hyperbole quæ ſequente verſu exponitur.

Agitatores conſopiti ſunt. Heb. הפרשים הרעלו *abietes agitabuntur horridè*, ut vertit Tremellius, id eſt, eodem interprete, *abigena arma, metonymicè.*

4. *In itineribus*, &c. Q. d. Tanta eſt multitudo venientium militum ut in itinere ſe invicem impediant, & quaſi inſanientes huc illúcque diſcurrere, eorúmque quadrigæ inter ſe collidi videantur; & quemadmodum fulgur antè ferit oculos, quàm plenè cerni, aut coëuntibus palpebris vitari poſſit, ſic hi milites præ truculentia & ferocia ignem ex oculis emittentes antè viſu Ninivitas, Aſſyrióſque omnes terrebunt, quàm mucrone proſternant.

5. *Recordabitur*, &c. Q. d. Aſſyriorum Rex fortia majorum facta recenſebit, & iſthæc commemoratio cùm ipſius militibus videatur quaſi exprobratio ignaviæ ſuæ, in prælia præcipites ruent, & præ nimia feſtinatione impingent, & cadent; atque ita ſe mœnibus tueri conabuntur diſſili viribus & vineis protecti Ninives muros velociter ſubibunt.

Et præparabitur. Id eſt, præparatum habebitur, ſcilicet priuſquam milites ſubeant murum Ninives.

Um-

Umbraculum. Non ad depellendos æstus, sed ad ictus missilium excipiendos, cujusmodi umbraculum hîc vocatur Hebraicè סכך, Latini vineam appellant, & definitur ab Ambrosio Calepino, *Instrumentum bellicum ex lignis compactum, latum pedibus octo, altum septem, longum sexdecim, tectum duplici ligno, cratibúsque contextum. Latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum ac telorum impetu perfringantur: extrinsecùs ne crementur, crudis ac recentibus coriis integuntur.* Vide Flavium Renatum Vegetium comitem Constantinopolitanum lib. 4. cap. 8.

6. *Portæ fluviorum,* &c. Ninive sita erat inter duos Assyriæ amnes Diavam & Adiavam, seu Lycum & Caprum. Super utrumque erant pontes sibi ex opposito respondentes, ad quos fuere portæ fluminum, quas Nahum hîc dicit fore apertas, & templum, id est propugnaculum vicinum, quod prædicit diruendum. Huic loco non parum lucis affert hæc Herodoti lib. 1. c. 52. Ἐκδέχεται δὲ ἐν τῇ Φρυγίῃ Ἅλυς ποταμὸς ἐπ' ᾧ πύλαι τε ἔπεισι, τὰς διεξελάσαι πᾶσα ἀνάγκη, ἢ ὅπως διεκπερᾶν τὸν ποταμόν. Καὶ φυλακτήριον μέγα ἐπ' ἄκρῃ, *Phrygiam accipit fluvius Halys, cui immineant portæ per quas transire omninò necesse est, atque ita fluvium trajicere; propugnaculum magnum ad illum fuit. Hujusmodi portas,* inquit clarissimus Bochartus in suo Phaleg lib. 4. cap. 19. *cum vicino propugnaculo ad Assyriæ fluvios prope Niniven videtur describere Propheta Nahum.*

7. *Et miles.* Heb. והֵיכָל, quod alii vertunt, *Et statio,* id est, stationales, vel stationarii milites urbis Nineves; alii reddunt, *Et Huzzab,* corúmque nonnulli putant *Huzzab* esse nomen proprium Reginæ Assyriorum in exilium & captivitatem transportandæ; alii verò existimant *Huzzab* esse nomen appellativum gynæcei, vel Reginæ à radice יצב, *stare,* quia Reginæ & concubinæ Regibus astare solebant. Non desunt, qui dicant ipsam urbem Niniven hoc nomine vocari, quòd insolenter gloriaretur se totius Orientis Reginam esse, quomodo Babylon Apoc. 18. v. 7. Sunt denique qui ex Hebræo transferunt, *Et quæ stabat,* ut sensus sit, Et Nineve, quæ se putabat inexpugnabilem, expugnata est, & subacta.

Ancillæ ejus minabantur. Id est, deducebantur. Hebraicè, מנהגות, *deducentes,* scilicet Reginam in captivitatem abactam, eam comitantes. Hieronymus ait ancillas Nineves dici minores urbes, viculos, & castella.

Gementes ut columbæ. Heb. כקול יונים, quod est ad verbum, *Tanquam voce columbarum,* id est, gementes; nam in voce columbæ aliquid querulum, & gemebundum est, unde *gemere* dicuntur. Autor Philomelæ,

Et castus turtur, atque columba gemunt.

Virgilius Eclogâ primâ,

Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes,
Nec gemere aëriâ cessabit turtur ab ulmo.

Martialis lib. 3. Epigr. 57.

Gemit hinc palumbus, inde aëreus turtur.

Greg. Mag. Moral. 32. cap. 4. *Scimus quia columbarum pulli, vel turtures pro cantu gemitum habent.* Et in Cant. cap. 1. *Columba in amore suo pro cantu gemit.* Græcis quoque idipsum στένειν. Theocritus Idyll. 7.

Ἄειδον κόρυδοι καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών,

Cantabant alaudæ & cardueles, gemebat turtur. Hinc Chrysost. Hom. de turture ἡ τρυγὼν ἡ φιλέρημος ὅτε ἐν ὕλαις συγκοιταζομένη καλεῖ τὸν ὁμόζυγον γοιραῖς κολακείαις τὰς κοιλάδας δονήσασα. *Solitarius turtur, cùm in sylvis decumbens conjugem vocat, lugubribus adulationibus valles commovens.* Alii apud Pollucem lib. 5. cap. 13. titulo, Ὄρνεων φωναὶ, *Avium voces*, dicunt turtures τρύζειν, *stridere*, & columbas γογγύζειν, *murmurare.* Hinc *murmura* pro columbarum gemitibus usurpat Gallienus Imperator apud Trebellium Pollionem in epithalamio de sponsis dicens,

———*Non murmura vestra columbæ,*
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

At Hebraicum הגה, quod columbis tribuitur, gemendi verbo rectè redditur, cùm ad luctum ubique referatur. Ita in Ezechiæ Regis cantico de morbo suo Es. 38. v. 14. אהגה כיונה, *I did mourn as a dove*, id est, *gemebam ut columba.* Et Es. 59. v. 11. ubi agitur de Iudæorum rebus afflictis, נהמה כדבים כלנו וכיונים הגה נהגה *We roar all like bears, and mourn like doves.* id est, *uncamus ut ursi nos omnes, & ut columbæ gemendo gemimus*, quod est, gravi & continuo gemitu. Sed & המה, quod propriè *fremere* est, ad columbarum gemitum pertinet, cùm dicitur Ezech. 7. v. 16. כיוני הגאיות כלם הומות איש בעינו, *like doves of the vallies all of them mourning, every one for his iniquity*, quod est, *Ut columbæ vallium omnes illi fremebant*, (hoc est, gemebant) *quisque propter péccatum suum.* Græci interpretes pro כיוני הגאיות *ut columbæ vallium*, legerunt, כיוני הגות, quod verterunt, ὡς περιστεραὶ μελετητικαὶ, *ut columbæ gemebundæ.* Nam de columbis μελετῶν, illis interpretibus *gemere* est. Proinde in hunc locum

locum Theodoretus. Ὀδυρόμενοι γὰρ καὶ θρηνοῦντες ὡσεὶ τραῦλοι μελῳδοῦσιν ἀπηχοῦσι· τίνυσι γὰρ ἔοικε τῇ ὠδιστροφίᾳ φωνῇ. Quæ omninò sic sunt latinè reddenda. *Conquerentes enim, & lugentes columbis gementibus* (non *sublimibus*, ut hîc habet interpres) *conferentur. Gementibus quippe similis est vox columbarum.*

Murmurantes in cordibus suis. Hebr. מתפוצות על לבבהן *tympanizantes supra cor suum*, id est, tundentes pectus suum instar tympani, scilicet, ut præficæ funera lamentabantur.

8. *Et Ninive*, &c. Q. d. Nineve jam olim populosa, & hominibus referta, cùm illius conditor Ninus, teste Ctesia apud Diodorum Siculum, ut ejus incolæ citiùs ad innumerabilitatem usque excrescerent, jus civitatis non Assyriis solùm, sed & peregrinis omnibus indulserit; civitas inquam ista frequentissima desolabitur, nec civibus ejus fugam captantibus ut sistant gradum, pedémve referant, unquam persuaderi poterit. Comparatur itaque magna Nineves frequentia cum piscina aquarum, seu cum aquis multis, quia aquæ multæ multi sunt populi. Apoc. 17. v. 15. *Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ.* Atque eodem sensu dicit Esaias cap. 8. v. 7. *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas*, videlicet *Regem Assyriorum & omnem gloriam ejus*, id est, omnem multitudinem. Sic Es. 5. v. 13. tam כבוד *gloriam*, quàm המון *multitudinem* Græci πλῆθος reddunt, quia ibi sunt synonyma. Potest etiam Nineve ad litteram conferri cum piscina aquarum propter aquas ambientes. Ante ultimum excidium Ninivitæ ut hostem à mœnibus arcerent, εἰς παλλὰς καὶ μακρὰς ἀνέτεμον τάφρους τὰ πρὸ τοῦ ἄστυ χωρία καὶ δὴ καὶ δυσπόρητον τοῖς ἐχθροῖς ἀπετέλεσαν παρορυχτεύοντες ποταμίας καὶ ὑδάτων ἐμπλήσαντες, καὶ τελμάτων ἐμπλεω ποιήσαντες πολὺ χῶμα, *spatia urbi circumjecta multis & longis fossis inciderunt, & deductis eò fluminibus, & fossis illis aquâ repletis, & terrâ in paludes redactâ, hostibus viam inviam reddiderunt.* Cyrillus Alexandrinus in Nahum cap. 3.

9. *Diripite*, &c. Medi & Chaldæi se invicem ad Niniven deprædandam incitant, quòd innumerabiles inibi sint thesauri rerum pretiosarum, quibus possidendis homines inhiant, possessísque superbiunt, & gloriantur.

10. *Dissipata*, &c. Præclarè Hieronymus, *Sub metaphora captivæ mulieris Ninive dissipata, scissa lacerata describitur: tabescente corde, dissolutis genibus, renibúsque confractis, & quòd omnium habitatorum ejus, præ terrore hostium & magnitudine metûs, facies in ollarum similitudinem videantur exustæ, tabidæ & pallore deformes.*

11. *Ubi*, &c. Assyriis, seu Ninivitis devictis hîc amarulenta fit à Vate insultatio. Ubi nunc, inquit, quondam lustrum leonum,

&c. Passim autem Scriptura cum leonibus confert gentes rapaces & bellicosas.

Pascua catulorum leonum. Heb. לכפירים, *leunculorum.* Quid intersit inter leunculum & catulum leonis propriè dictum vide in commentario nostro in Os. 5. v. 14.

Ad quam. Scilicet pascuam. *Pascua* enim fœminino genere usurpatur à Vulgato interprete pro Neutro *pascuum.*

Ut ingrederetur illuc catulus leonis. Heb. לביא שם גור אריה, *ubi est leæna cum catulis suis.* Nec est quod quis miretur לביא *leænam* hîc & alibi passim in Scriptura censeri inter leones ferocissimos. Leonem enim æquat leæna, aut etiam superat robore. Hinc Herodotus lib. 3. cap. 108. Ἡ δὴ λέαινα ζώων ἰσχυρότατον καὶ θραπύτατον, Et Gellius, *Animalium acerrimum leæna, & audacissimum.* Et Plutarchus in tractatu, *Quòd bestiæ ratione utantur.* Αὐτὸς δὲ καὶ παρδάλεις, καὶ λεαίνας πολλάκις ἑώρακας, ὡς οὐδέν τι τὰ θήλεα τοῖς ἄῤῥεσιν ὑφίεται τῷ θυμοῦ, καὶ ἀλκῆς· *Ex pantheris etiam & leænis ipse crebrò animadvertisti fœminas animo & robore maribus haudquaquam cedere.* Proinde φασὶ γοῦν καὶ Σεμίραμιν τὴν Ἀσσυρίαν, οὐκ εἴποτε εἷλε λέοντα ἢ πάρδαλιν κατέκτανεν ἢ ἄλλό τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' εἰ λεαίνης ἐγκρατὴς ἐγένετο, μέγα ἐφρόνει. *Semiramidem Assyriam dicunt, non si leonem, aut pardalim, aut aliam similem feram interfecerat, sed si leænam ceperat, magnoperè se extulisse,* inquit Ælianus in variis lib. 12. cap. 39. unde natum hoc illius axioma, quòd πεπίστευται οὐ μόνον παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἀλκιμώτατόν τε καὶ δυσμαχώτατον εἶναι θηρίον ἡ λέαινα, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς βαρβάροις, *non solum apud Græcos, sed etiam apud Barbaros leæna creditur esse robustissimum, atque invictissimum animal.*

Non est qui exterreat. Fiduciæ in leone & animositatis indicium est, quòd ad nullum pavet occursum, nec ad dormiendum secedit in loca abdita & remota, sed somnos ubivis capit, quasi sciat neminem esse omninò, qui dormientem excitare, vel vexare audeat. Gen. 49. v. 9. Num. 24. v. 9. Metu non retrocedit etiamsi multi in eum ingruant. Prov. 30. v. 30. & Es. 31. v. 4. Aut si tandem numero cedat, sæpè convertitur & restitat. Plin. Hist. Nat. lib. 8. cap. 16. *Generositas in periculis maximè deprehenditur: non in illo tantummodo, quòd spernens tela diu se terrore solo tuetur, ac velut cogitat statum,* &c. *Illa nobilior animi significatio, quamlibet magnâ canum & venantium urgente vi, contemtim restitánsque cedit in campis, quamdiu spectari potest.* Plura hac de re congesta ex prophanis scriptoribus videri possunt apud clarissimum Bochartum Hierozoici p. 1. lib. 3. cap. 2.

12. *Leo cepit,* &c. In lustris leones prædam colligunt, quâ & ipsi vescantur, & catulos suos alant. Hinc apud Gellium lib. 5. cap.

cap. 14. Androdus, ſeu potiùs Androcles, *Triennium*, inquit, *ego & leo in eadem ſpecu, eodémque victu viximus, nam quas venabatur feras, membra opimiora ad ſpecum mihi ſuggerebat.*

Catulis ſuis. Hinc & ex Ezech. 19. v. 2. patet meritò ab Ariſtotele Hiſt. lib. 6. cap. 31. Æliano Hiſt. anim. lib. 4. cap. 34. Philoſtrato in Apollonio lib. 1. cap. 16. Oppiano Cynegeticôn lib. 3. & Gellio lib. 13. cap. 7. ut fabuloſum rejici, quod à multis profanis & Eccleſiaſticis ſcriptoribus perperàm traditur leænam tantùm ſemel parere, nec niſi unum catulum, qui matris vulvam diſcerpat. Interim non ſatis conſtat quoties leæna parere, aut quot catulos edere ſoleat in uno partu. Certè apud Philoſtratum ingens leæna circa Cteſiphontem σκύμνους ἀνάλμηθεῖσα ὀκτὼ εἶκεν, *cæſo ventre, octo catulos habere reperta eſt.* Leo coire incipit anno vitæ ſuæ ſecundo aut tertio, & ſex menſes leæna uterum gerit. Philoſtratus leænam ter parere ſcribit, alii veteres plerique quinquies, qua de re, ut & de catulorum numero vide clariſſimi Bocharti Hierozoicon lib. 3. cap. 2.

13. *Ecce ego,* &c. Q. d. Jamjam venio ad te, O Nineve direptæ ex toto orbe prædæ receptaculum, pœnas exacturus de prædationibus, quas Reges tui leonum inſtar feroces ſibi, leænis, id eſt, uxoribus, catulíſque, id eſt, filiíſque ſuis abundè ad luxum & faſtum, ad mollitiem ornatúmque ſuppeditârunt, & in theſauros congeſſerunt. Omnis bellicus tuus apparatus igne abſumetur, & in fumum ad cœlum uſque ſublatum redigetur, quò à longè poſitis incendium videatur. Principes & Duces tui unà cum militibus internecabuntur, nullúmque tibi erit ampliùs imperium, nulla authoritas, ut aliquò nuntios legare poſſis.

CAPUT III.

1. VÆ *civitas ſanguinum*, &c. Q. d. Væ tibi, O Nineve cædibus plena, tota conſtans dolis & fraudibus, ſævique leonis inſtar à præda non potes abigi, eámque diſcerpis ac dilaceras; hoc eſt, per vim immaniſſimam cuncta adminiſtras, nec ullius ſortem miſeraris.

2. *Vox flagelli*, &c. Q. d. Jamjam inſtat tibi, O Nineve, bellum acre, & magnum, auditur ſonitus quadrigarum citatis equis advolantium, & ſonipedum effuſis habenis accurrentium, ſtrepit omnis rotarum fragore campus, perſonátque crepitu virgarum, queis adventans hoſtis curruum ſuorum equos incitat. Circumſtrepunt equites in currus aut equos inſilientes, gladium, haſtámque vibrantes, & percrepat ululatus multitudinis adeò innumerabilis ab equitibus confodiendæ, ut nullum ſit futurum iter à confoſſorum cadaveribus liberum. *Tam pulchrâ juxta Hebræum, & picturæ ſimilis ad prælium ſe præparantis exercitûs deſcriptio, ut omnis meus ſermo ſit vilior*, inquit Hieronymus.

Equi frementis. Heb. סוס דוהר, id eſt, ut optimè reddit Arabica paraphraſis, *equi pleno curſu currentis.* Nam דהר *dahar* Hebraicè eſt idem ac Græcè καλπάν & καλπάζειν, Anglicè, *to Gallop.* Hinc verbale דהרה *dahârah* Judic. 5. 22. vocatur ſecundum Hebræos curſus equi intenſiſſimus, quo terra validè feritur, & concutitur, quæ curſûs ſpecies Græcè dicitur κάλπη, & κάλπις, Anglicè *a Gallop.*

2. *Corruent in corporibus ſuis.* Id eſt, impingent hoſtes Nineves in corpora à ſe proſtrata. Hoc eſt, tanta fiet ab hoſtibus ſtrages Ninivitarum, ut nuſquam iter fieri poſſit niſi per cadavera.

4. *Propter*, &c. Q. d. Quia idololatriam tuam, O Nineve, illiciis tuis per Orientem propagâſti, dolóſque arte latente ſciens componere ipſas familias mihi Deo vero dicatas, Iſraëlem ſcilicet & Judam in ſtuprum illexiſti, ut cultu meo abjecto tua venerarentur ſimulachra, quomodo exemplum Achaz Regis Judæ oſtendit 4 Reg. 16. 2 Paralip. 28.

5. *Ecce ego*, &c. Q. d. Jamjam in miſeriam tantam detruderis à me, ut præ paupertate non habeas unde pudenda contegas.

6. *Projiciam*, &c. Q. d. Formoſitatem tuam illiciam, ærumnis

nis deformabo omniáque pulchritudinis tuæ insignia devenustabo, sícque turpificata cunctis gentibus eris in exemplum.

7. *Et erit*, &c. Q. d. Tunc, te visâ, unusquisque se subducet, nec erit qui tui misereatur, dolorémque tuum consoletur.

8. *Numquid*, &c. Putásne, inquit, meliùs tecum actum iri, quàm cum Diospoli seu Thebis, quæ urbs ad Nilum sita est, & præter ejus septem alveos mare Rubrum, ac Mediterraneum habet pro vallo naturali?

Alexandria populorum. Heb. *No-Amon*, quod Græci interpretes Ezech. 30. v. 15. reddunt Diospolim, id est, Jovis urbem. *Quibus favet*, ut Drusii verbis utar, *etymologia nominis No: nam id habitationem sonat, id est,* נוה *Naveh. Amon autem est Juppiter linguâ Ægyptiâ.* Bochartus Phaleg. lib. 1. cap. 1. *Cham seu Ham, vel quia fratrum minimus Gen. 9. v. 24. vel propter anathema à patre in illius caput contortum, in Africæ steriles arenas ablegatus est, ubi per multa secula cultus est sub nomine Jovis Ham seu Hammonis. Ægyptii mollito sono densæ aspirationis* Ἀμμῶν vel Ἀμῶν *dicebant. Herodotus in Euterpe,* Ἀμμῶν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία, *Ammoun enim Ægyptii Jovem vocant. Plutarchus in Iside:* ἔτι δὲ τῶν πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμῶν ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμονα λέγομεν, *Insuper autem cum plerique sentiant proprium apud Ægyptios Jovis nomen esse Amoun, quod Hammonem dicimus, vocabulo inde deducto. Ab Aristotele scribitur* Ἀμμῶς. *Hesychius:* Ἀμμῶς ὁ Ζεὺς, Ἀριστοτέλης. *Ab Hebræis* אמון, *Amon, &* המון, *Hamon. Nec in Ægypto solùm, sed & in Arabia & Africa notum fuisse nomen Ammonis docent Arabiæ fluvius Ammon, Ammonium promontorium, Ammonii populi, Plin. lib. 8. cap. 28. Ptol. lib. 6. cap. 7. In Africa propriè dicta Ammonis urbs ad Cinyphum fluvium. Ptol. lib. 4. cap. 3. In insula Meroë delubrum Ammonis. Plin. lib. 6. cap. 29. In Marmarica Ammonia urbs, quæ vulgò Paratonium. Strabo lib. 17. Et Ammonica regio, ubi Ammonis oraculum toto orbe celeberrimum. Ptol. lib. 4. cap. 5. Quid quod Africa universa dicebatur Ammonis vel Ammonia ab Ammonis Dei nomine, teste Alexandro Polyhistore, qui in Ægypto vixit sub Ptolemæo Lathyro. Hinc de Ammone Lucanus lib. 9.*

Quamvis Æthiopum populis, Arabúmque beatis
Gentibus atque Indis unus sit Juppiter Ammon.

Hactenus clarissimns Bochartus.

Aquæ in circuitu ejus, &c. Drusius ait eis, qui No-Amon volunt esse Diospolim adversari urbis situm inter duo maria, qualem describit hîc Nahum. Quare cum Hieronymo, Chaldæo,

&

& Rabbinis, hac interpretatione rejectâ pro Dioſpoli reddit Alexandriam. Verum hæc ſententia vix fit veriſimilis. Quis enim ſibi perſuadeat Jeremiam cap. 46. v. 25. & Ezechielem cap. 30. v. 15. imminentis excidii pœnam denunciaſſe ubi quæ nondum erat, quo ſeculo illi ſcripſerunt? Quin imò Ezechielis & Jeremiæ minas, Nahum ait eſſe completas, & incolas urbis No-Ammon Abiiſſe in captivitatem, parvulos ejus fuiſſe illiſos in capitibus omnium vicorum: atque eo exemplo terret Niniven, tanquam pari ſupplicio brevi multandam. Similitudines nihil terrent, niſi ſumantur ex rebus notis, qualis eſſe non potuit Alexandria nondum condita, nec niſi multò pòſt ab Alexandro Magno condenda. Omninò igitur non ſtructura modò, ſed & excidium urbis No-Ammon præceſſit Nahumi vaticinationem, atque ſi clariſſimo Uſſerio credimus, potentiſſima & munitiſſima hæc civitas exciſa fuit à Sennacheribo Rege Aſſyriorum, qui cum magnis copiis Ægyptum invaſit, & captivam inde multitudinem ſecum abduxit. Teſtantur quidem Strabo & Pauſanias ante Alexandrum vicum vel oppidulum Racotim nomine in eo loco fuiſſe, in quo ab ipſo Alexandro extructa eſt Alexandria. Sed vicum vel exiguum oppidum à Prophetis extolli verbis tam magnificis, & cum Ninive conferri, improbabile eſt. Quin & hoc ipſum quod Racotis vocatur hoc qualecunque oppidum, docet Alexandriæ priſcum nomen non fuiſſe No, vel No-Amon. Jam Druſii objectioni adverſus eos, qui cum Græcis interpretibus No-Amon interpretantur Dioſpolim, bifariam occurri poſſe obſervat eruditiſſimus Bochartus Phaleg lib. 1. cap. 1. *Primò ſi dicamus non intelligi magnam illam Dioſpolim, id eſt, Thebas Ægyptias, quas à mari procul abfuiſſe Druſius rectè obſervat, ſed alteram Dioſpolim propè Mendetem, & Leontopolim, & Buſirim, quam præter Nili alveos Buſiritem & Athribitem, varii lacus inſtar marium circumquaque cingebant.* De hac Dioſpoli Strabo lib. 17. Suidas ubi de Demetrio Phalereo, & Diogènes Laërtius lib. 5. *Obſcura quidem*, pergit Bochartus, *fuit hæc Dioſpolis, nec conferenda cum Ninive: ſed potuit eſſe celebrior antequam excinderetur, & ſitûs ratione potiùs, quam magnitudinis cum Ninive conferri. Præterea nihil quicquam obſtat quominùs ad magnam illam & celebrem Dioſpolim, id eſt, Thebas Ægyptias, referantur Nahumi verba. Quippe utut à mari Thebæ procul abfuerint, tamen illis & toti Ægypto duo maria, Rubrum, inquam, & Mediterraneum, & Nili ſeptem alvei, quidni fuiſſe dicantur inſtar propugnaculi, cùm prohibuerint quominùs hoſtibus ad illas liber eſſet acceſſus?* Hæc clariſſimus Bochartus.

9. *Æthiopia.* Heb. *Chus*, id eſt, Æthiopia Orientalis, quæ eſt Arabiæ pars, quam olim Scenitæ, & poſteà Saraceni inhabitarunt. Vide quæ diximus in Amos 9. v. 7.

Et Ægyptus, & non eſt finis. Id eſt, & Ægyptii innumeri erant

erant auxilio urbi Diospoli, seu Thebis. In Josepho lib 2. de bello Judaico cap. 16. Ægyptus universa ab Æthiopibus & Indis usque ad Alexandriam habere dicitur, πεντέκοντα πρὸς ταῖς ἑπτακοσίαις μυριάδας ἀνθρώπων, *quinquaginta supra septingentas hominum myriades.*

Africa, &c. Q. d. Præter Chusæos & Ægyptios innumeros tibi, O No-Amon, suppetias ferebant Afri quoque illi, qui Libyam incolunt, adversus ingruentes hostes.

Et Libyes. Particula *Et* sumitur hîc exegeticè. Vide commentarium nostrum in Mat. 16. v. 18.

10. *Sed & ipsa*, &c. Q. d. Tamen Thebarum incolæ captivi sunt abducti à Sennacheribo, ut vult Usserius in Annalibus, vel à Rege Nabuchodonosor, *qui Hierosolymis & Tyro captis statim invasit Ægyptum*, ut ait Bochartus Phaleg. lib. 1. cap. 1. Parvuli illisi sunt in capitibus platearum, ut fit in urbibus vi captis, & cives nobilissimi mancipiorum instar à victoribus sortitione divisi sunt, compedibúsque constricti omnes optimates illi centum, de quibus ita Pomponius Mela: *Thebæ utique centum portas, sive (ut alii volunt) centum aulas habent, totidem olim principum domos, solitásque singulas ubi negotiam exegerat, dena armatorum millia effundere.* Sic ex una urbe exiissent armatorum militum centum myriades, quod omninò fidem superat. Sed Homerus Iliad. 1. versu 183 pro myriade tantùm habet ducenos.

Αἴθ' ἑκατομπολοί εἰσι διηκόσιοι δ' ἂν ἑκάστην
Ἀνέρες ἐξοινεῦσι σὺν ἵπποισιν καὶ ὄχεσφιν.
His solido portæ sunt centum ex ære, virósque
Curribus insignes, & equis dat quæque ducenos.

Ut summa sit tantùm viginti millium. Itaque vel erravit Mela, vel qui Melam descripserunt.

11. *Et tu ergo*, &c. Q. d. Tu quoque, O Ninive, non secus ac No-Amon à Sennacherib, vel recèns à Nabuchodonosor; amaritudinis calice dementaberis, fastidita jacebis, frustráque, ut hostem à te propulses, circummunieris.

12. *Omnes munitiones*, &c. Q. d. Etenim cuncta munimina tua tam facilè diruentur, quàm dejiciuntur poma matura dum pomus agitatur, concidéntque ad hostium votum omnes viri fortes, & bellicosi, qui in te sunt, quomodo ficus præcoces decidunt dum levi tactu concutitur arbor.

13. *Ecce*, &c. Q. d. Milites enim tui metu exanimati mulierum instar imbelles erunt; vectes, quibus portæ tuæ communiuntur, igne absumentur, omniáque patebunt hostibus, & pervia erunt vastatoribus tuis.

14. *Aquam*,

14. *Aquam*, &c. Hoc est, hauri aquam, quæ tibi obsessæ potum præbeat, prospice obsidionales ærumnas, ac de commeatu & munimento provide, arces tuas prævalla, & lateribus conficiendis vaca, ut interrupta murorum struas.

15. *Ibi*, &c. Id est, Hieronymo interprete, *Cùm hæc omnia fe cerit quasi à brucho humus, ita à gladio devoraberis.*

Congregare, &c. Q. d. Sint tibi, O Nineve, turmæ militum locustis numero haud impares, & in mœnibus tuis tot mercatores asylum quærant, quot stellæ fulgent in cœlo; non est tamen quòd confidas tam numerosæ bellatorum multitudini, aut negotiatorum tuorum opibus superbias, vel principum & ducum tuorum viribus intumescas. Nam, ut locustæ citò, factâ prædâ, avolant ex agro, in quem prædæ causâ excursionem fecerant, & orto sole, sepem eam deserunt, quæ nocturni frigoris tempore illi pro suffugio fuerat: Sic numerosissimi exercitus, mercatores, & principes, qui cùm res ipsorum tulit, ad mœnia tua confugerant, dum nulla supererit illis in te spes lucri, quamprimùm te deserent, nec minimum eorum vestigium supererit.

16. *Bruchus expansus est.* Id est, excursionem fecit prædandi gratiâ. Vide quæ diximus de brucho & locustis Joël 1. v. 4.

17. *Custodes tui.* Heb. מנזריך, *Principes tui diademati.*

Quasi locustæ. Id est, locustarum instar numerosissimi.

Et parvuli tui. Heb. וטפסריך, *& megistanes*, seu *magnates tui.*

Sicut locustæ locustarum. Heb. כגוב גיבי, quod alii reddunt ita: *Sicut locustæ, locustæ, inquam, quæ considunt in sepibus*, &c. Utut est, *locustæ locustarum* dici possunt Megistanes, seu Magnates, qui diadematis principibus subsunt, quòd utrique multitudine & frequentiâ non sint locustis inferiores. Vide Commentarium nostrum in Amos 7. v. 1.

18. *Dormitaverunt*, &c. Apostrophe ad Regem Assyriæ, q. d. Duces, magnatésque populi tui imbelliæ indormient, segnitie atque socordiâ sepulti obtorpescent, nec est qui populum tuum per montium lâtibula vagè effusum in unum cogat exercitum.

19. *Non est*, &c. Patefiet omnibus immedicabilis plaga tibi inflicta; atque cùm in omnium fortunas incurraveris, omnes rumori cladis tuæ irreparabilis gratulabuntur, suámque gratulationem & lætitiam manuum applausu testificabuntur.

FINIS.

HABACUC PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

HAbacuc Propheta ex agro Bethzacar, ex tribu Simeon natus dicitur ab Epiphanio & Pseudo-Dorotheo. Sub tempus regni desinentis Josiæ, aut inchoantis regni filii ejus Joacim, jubente Deo, ut ipse testatur prophetiæ suæ capite secundo, vaticinum libellum scripsit adversus Judæos & Chaldæos. Nam de Judæorum improbitate & contumacia primùm conquerenti, responsum Deus dedit se iis ipsis diebus Chaldæos in Judæam immissurum; deinde ægrè ferens tam perditos & nefandos hostes ad flagellandum populum Dei adhiberi, Oraculo didicit esse quidem Chaldæos à Domino suscitandos contra civitatem Hierosolymorum & terram Judæ justa ipsius abnuentem; verùm eos tandem ambitionis, luxûs, avaritiæ, immisericordiæ, & idololatriæ pœnas daturos: ac proinde piis tantùm videndum esse, ut fidem illaberfactam servent. Quamobrem Propheta infirmitatem suam confessus, cùm suo ipsius, tum aliorum fidelium nomine salutem & fidei confirmationem petit à Dei misericordia, narrátque argumenta quibus priorum fiducia in petitione confirmatur adversus quasvis præsentes rerum difficultates. Ex hac vita decessit XVIII. Kal. Februarii, si Martyrologio Romano creditur, *& magnis honoribus in agro suo humatus est*, inquit Sixtus Senensis Bibliothecæ Sanctæ lib. 1. Eusebius tamen narrat in Topicis suâ ætate Habacuci sepulchrum Ceilæ monstrari solitum fuisse.

CAPUT

CAPUT I.

1. *Onus*, &c. Q. d. Durum oraculum cœlitùs revelatum est Habacuc Prophetæ.

2. *Usquequo*, &c. Exordium querimoniæ patheticum ex abrupto, quo Propheta exaggerat violentam Judaici populi administrationem, ab incessabili sua cum Deo ob nimiam ipsius erga tam nefarios homines patientiam expostulatione.

3. *Quare*, &c. Jam exponit latiùs querelam summatim versu mox præcedente factam, q. d. Quare finis me longioris vitæ pertæsum vivere inter populum vitilitigatorem, impunè adversus justos grassantem, innocentes quovis vi opprimentem æquum & jus conculcantem ?

4. *Impius*, &c. Hesiodus in Operibus secundum versionem eruditi Arii Montani eandem hanc sententiam sic protulit :

Justitiæ nulla est ratio. Quicunque deorum
Relligione calet, qui sanctè numina jurat,
Hunc homines soliti veluti contemnere inertem :
Sed qui sacra Deûm neglexit, fásque nefásque
Permiscet, falsæ & novit perjuria linguæ,
Hic multùm ante alios solet admirabilis esse :
Fortior hic vexat meliorem sæpè nocendo
Artibus injustis, injustâ & fraude, dolóque.

Textus Græcus non est mihi ad manum.

5. *Aspicite*, &c. Deus respondet ad Vatis expostulationem, oratione ad Judæos refractarios conversa, q. d. Circumspicite procellas, quæ vobis impendent, ô Legis divinæ contemtores, attendite diligenter, & obstupescite ad severitatem vindictæ vobis jamjam imminentis, quâ in nullam hactenùs gentem sævitum est.

6. *Ecce ego suscitabo.* Id est, brevi excitabo.

Chaldæos. Chaldæa regio est in Babylonis ditione, ad Orientem Judææ, inter ipsam Babylonem & Arabiam desertam, & inter Tigrim & Euphratem sita, aut secundum Ptolemæum inter Euphratem, & Regium fluvium. Hujus regionis populi vulgò Chaldæi vocantur, cùm olim Cepheni vocarentur, ut scribit Stephanus.

Gentem amaram. Id est, studiis belli asperrimam.

Velocem. Scilicet ad quoduis facinus.

Ambu-

Ambulantem ſuper latitudinem terræ. Hoc eſt, totum orbem, quàm latè patet, armis ſubigere appetentem.

7. *Horribilis*, &c. Q. d. Gens iſta Chaldæorum terribili tyrannide horrificat populos; neque enim ratione agitat imperium, ſed libidine ſuâ, duróque ſervitutis jugo à ſe devictos premit.

8. *Leviores pardis equi ejus.* Nempe equi gentis Chaldaicæ. Pardorum levitas, quam Habacuc tam illuſtribus verbis hîc deprædicat, tam ad curſum, quàm ad ſaltum refertur. Utroque enim pardi pollent, ut obſervat Cyrillus Alexandrinus in Oſ. 5. & fusè probat clariſſimus Bochartus Hierozoici p. 1. lib. 2. cap. 9. & lib. 3. cap. 7.

Velociores lupis veſpertinis. Id eſt, acriores lupis, qui diurnâ inediâ vexati, noctu ad prædandum acri contentione ſe conferunt. Etenim à ſummo Poëta & equi, & lupi dicuntur *acres*, quia quicquid ſibi agendum proponunt, acriter exequuntur, & ſummâ contentione. Georgic. 3.

Et genus acre luporum.

Et Æneid. 4.

At puer Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo.

Lupis veſpertinis. Convenit quidem feris omnibus, ut noctu deprædentur, lupis tamen magis proprium eſt, quàm leoni, pardo, aut urſo; quia ut lupis minùs virium, ſic minùs eſt audaciæ. Hinc Scriptura paſſim lupos vocat veſpertinos, & Arabicè lupus appellatur *alaſaſo*, vel *alaſſaſo*, id eſt, *nocturnus erro*, atque à Poëtis eſt toties obſervatum, lupum noctu ad prædam divagari. Virgilius 3 Georg. cùm graſſatur lues,

Non lupus inſidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat. Acrior illum
Cura domat.

Et Georg. 4.

Veſper, ubi è paſtu vitulos ad tecta reducit,
Auditiſque lupos acuunt balatibus agni.

Diffundentur. Scilicèt, quàm latiſſimè.

Equites ejus. Prædabundi videlicet.

De longè. Id eſt, è locis procul diſſitis.

Volabunt. Equos volare Homerus paſſim dicit, unde à Virgilio & Ovidio *alipedes*, & *alites* vocantur. Æneid. 12.

Alipe

Alipedúmque fugam cursu tentavit equorum.
Lib. 3. Amorum Eleg. 11.
Victor Abantiades alite fertur equo.

Quasi aquila. Id est, rapidissimè, & summo cum impetu. Sic Oppianus de Hispanicis equis lib. 1. Cynegeticῶ ι,

Κείνοισιν τάχα μούνος ἐναντίον ἰσοφαρίζοι
Ἄιετος, αἰθερίοισιν ὀπιθύνων γυάλοισιν·
His aquila audaci certaverit una volatu,
Quæ secat æthereas pennis pernicibus auras.

Ista enim ave volat nulla vehementius, ait somnii interpres apud Ciceronem lib. 2. de divinat. Itaque & ab Archia Poëta, in Epigr. lib. 1. Anthol. cap. 32. equus prævelox vocatur αἰετὸς ἵππων *aquila equorum.*

Festinans ad comedendum. Sic Iliad. φ'. ab Homero describitur Achilles,

Αἰετοῦ ὄρματ' ἔχων μέλανος τῶν θηρητῆρος,
Impetum habens aquilæ nigræ properantis ad escam.
Et Statius de Tydeo dicit 8. Thebaidos,
——————— *Nec segniùs ardens*
Accurrit, niveo quàm flammiger ales olori
Imminet, & magnâ trepidum circumligat umbrâ.

Nempe aquila magno impetu ruit in prædam. Hinc Apuleius Floridorum lib. 1. aquilam ait *in prædam supernè sese ruere fulminis vice.* Proindè draconem, alioqui audax animal, & intrepidum, alarum aquilæ solo fragore fugari tradit Ælianus de Animalibus lib. 2. cap. 26.

9. *Omnes,* &c. Q. d. Chaldæorum exercitus universus vehementi prædæ studio actus consternabit obtutu solo, agros depopulabitur adinstar venti subsolani omnia exurentis, innumerabilémque turbam captivam deportabit.

10. *Et ipse,* &c. Q. d. Idem ille Chaldæorum exercitus virium fiduciâ Reges quosvis & Tyrannos, seu Principes, quibuscum belligerabit, quasi jam triumphatos despicet & spernet, urbésque munitissimas deridebit, & factis aggeribus eas capiet; *Veniet enim Tyrum, & jacto in mari aggere, peninsulam faciet de insula, & incroitum inter fluctus maris in urbem terra præbebit,* inquit Hieronymus.

11. *Tunc*

11. *Tunc*, &c. Q. d. Ex tanto rerum successu crescet ei animus supra modum, & actis triumphis superbiens in gravissimum idololatriæ crimen incurret, idolisque suis tribuet, quòd nihil viribus suis par obvium habuerit.

12. *Nunquid*, &c. Audito Dei responso ad conquestionem suam de impunitate scelestissimorum Judæorum, denuò conqueritur Vates de improbitate & impietate Chaldæorum, indignum ratus ut per tam perditos homines exscindantur Judæi. Sensus itaque hujus versiculi est idem ac si dicat, O Deus mihi unicè colende ac venerande, ut æternus es, sic æternùm conservabis, nec patieris, ut interitus internecando paretur genti tuæ, ad cujus castigationem & emendationem, non autem ad internecionem destinatum à te Chaldæorum populum corroborasti.

A principio. Id est, ante principium, seu, ante mundi constitutionem. Vide quæ observavimus ad Mat. 2. v. 6.

Sancte meus. Vox *Sanctus* de Deo usurpata, non rarò sonat idem, quod *augustum*, *venerabile*, & *inviolabile*, uti à viris doctis est observatum. Quæ significatio illic imprimis locum habet, ubi Deus non simpliciter sanctus, sed sanctus alicujus appellatur. Hinc & Castalio non semel *Augustum Israëlis* vertit, ubi Hebraicè habetur קדוש ישראל. In eadem significatione videtur ea vox accipi, cùm in Scriptura sæpius Dei nomen sanctum esse dicitur; ut nomen sanctum idem sit, atque augustum ac venerandum. Atque haud scio an & in illa acclamatione angelica Es. 6. v. 3. & quatuor animalium Apoc. 4. v. 8. quâ Deus appellatur sanctus, & ad constantiorem rei veritatem exprimendam ter repetitur, *sancti* nomen pro augusto ac venerando ponatur.

In judicium posuisti eum. Id est, in vindictam vitiorum emendatricem, non autem gentis tuæ deletricem populum Chaldæorum disposuisti.

Et fortem. Heb. ולצור, quod vertitur, *& ô rupes*, ut sit invocatio Dei, qui perfugium firmum est fide ad ipsum recurrentibus, cùm Vulgatus interpres hoc referat ad exercitum Chaldæorum, cui Deus, ut in Judæos severissimè vindicaret, firmitatem dedit inexpugnabilem.

13. *Mundi*, &c. Q. d. Mundior es oculis, quàm ut malum libenter videre queas, aut iniquitatis amore capi possis, cur ergo in hominum sceleribus maximis connives, nec animadvertis in improbum, dum absorbet justiorem se?

14. *Et facies*, &c. Piscis in genere est animal stolidissimum, quódque facilè inescatur, adeo ut ipso Plutarcho teste, quicquid idem obtendat de quorundam piscium industria, rudes & stolidi homines per convitium aut ludibrium dicti sint *pisces*. Quo hîc

respiciens Habacuc ait à Chaldæis homines tam facilè ad deditionem subigi, quàm pisces hamo aut sagenâ ex aquis extrahuntur. Tale est quod Eccles. 9. v. 12. Salomon dicit quòd

Fallace incauti pisces capiuntur ut hamo,
Sic homines non sperato quoque tempore morte.

Sunt qui homines à Chaldæis subjugandos ideò cum piscibus conferri putant, quòd ut minuti pisces majoribus pro cibo sunt, sic homines infirmi à potentioribus opprimuntur. In quam sententiam extant hi versus apud Nonnium ex Varrone,

Qui pote plus, urget: pisces ut sæpè minutos
Magnus, comest, ut aves enecat accipiter.

Oppianus Halieut lib. 2.

Ἰχθύσι δ' ἔστι δίκη μεταμώνιος, ἔστι τις αἰδὼς,
Οὐ φιλότης, πάντες γὰρ ἀναρσιοι ἀλλήλοισιν
Δυσμενέες πλάθουσιν, ὁ δ' ἀκαχτεόντεσσι ἐοικὼς
Δαίνυ' ἀφαυρότερον ἄλλῳ δ' ὑπαγγέλλει ἀνωγὴ
Πότμον ἀγων ἕτερος δ' ἑτέρῳ πορσύνει ἰδυίῃ.

Piscibus haud pudor ullus inest, nec juris & æqui
Cura, nec ullus amor. Cuncti sibi bella minantur.
Mutua, & in socios instructo Marte feruntur.
Imminet hic illi, & semper sunt præda minores
Majorum; alterius mensis apponitur alter.

Proinde apud Horum Apollinem lib. 1. cap. 42. Ægyptii piscem execrati sunt, ejúsque usum in sacris interdixerunt. Et, ut rem nefariam significârent, piscem pingebant: Καταπόντια γὰρ ἰχθὺς πᾶς ἡ ἀλληλοφάγον, *Devastator enim est piscis omnis, & sui generis vorax.*

Quasi reptile. Scilicet avarum.

Non habens principem. Militiæ videlicet, cujus ductu & auspiciis se tueantur, cùm tamen aquarum reptilia, seu pisces habeant viæ ducem, quem gregatim sequantur, ut asserit Philosophus Hist. lib. 8. cap. 13. & Plin. lib. 9. cap. 15,

16. *Super hoc*, &c. Q. d. Chaldæorum exercitus, vel Rex Nabuchodonosor, neglecto Deo exercituum, armis, artibúsque suis tribuit, quod gentes nullo negotio sub potestatem suam redigat, divitiis se augeat & fortunis locupletet, atque epuletur opiparè.

17. *Propter*

17. *Propter hoc*, &c. Hic verſiculus eleganter legitur ſecundum veritatem Hebraicam cum interrogatione, q. d. Num quia gloriam rerum geſtarum ſibi arrogat, ſuæque aſtutiæ confidit, nec in Deo ſpem ſuam collocat, auſpicatus tendet plagas & homines venabitur inclementiſſimè?

CAPUT II.

1. *Super cuſtodiam*, &c. Q. d. Dum ut ſpeculator in cuſtodia, aut in arce munitionis collocatus ſubſideo, & proſpicio quidnam Deus ſit reſponſurus ad proximam meam de ipſius nimia in Chaldæos indulgentia querelam.

2. *Reſpondit*, &c. Q. d. Reſponſum accepi in viſione publico programmate, & plano, ut ab omnibus legatur atque intelligatur.

3. *Quia*, &c. Q. d. Etſi enim viſionis eventus nondum immineat, apparebit tamen aliquando reſponſionem in viſione mihi datam non fuiſſe fallacem; Proindéque nemo ejus eventum deſperet, quanta quanta fuerit dilationis mora: omninò namque ad præſtitum diem implebitur, nec diutiùs differetur.

4. *Ecce*, &c. Q. d. Mala mens, malus animus, cui ſuperbienti veritas divinorum promiſſorum perſuaderi non poteſt, priuſquam opere ipſo præſtentur; juſtus autem vitam tranſigit in fide ſua, quâ acquieſcit in Deo promittente tanquam אמונה ſeu fideli *pleniſſimè ſciens quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere.*

Incredulus eſt. Heb. עפלה, *effert ſe, ſuperbit*, id eſt, divinis promiſſis diffidens, ea ſuperbè contemnit, ac pro nihilo putat.

In fide ſua. Fides quæ creditur, eſt numero una omnium fidelium, nempe omnis veritas divinitùs revelata, ut credatur. Fides autem quâ creditur omnis veritas, quæ divinitùs credenda proponitur, omnibus fidelibus una eſt, non numero, cùm unuſquiſque ſuam propriam habeat, ſed genere. Ut enim præclarè Aug. lib. 13. de Trinitate cap. 2. *Ex una ſanè doctrina impreſſam fidem credentium cordibus ſingulorum, qui hoc idem credunt, veriſſimè dicimus: ſed aliud ſunt ea quæ creduntur, aliud fides quâ creduntur. Illa quippe in rebus ſunt, quæ vel eſſe, vel fuiſſe, vel futuræ eſſe dicuntur: hæc autem in animo credentis eſt, ei tantùm*

conſpicua cujus eſt, quamvis ſit & in aliis non ipſa, ſed ſimilis. Non enim numero eſt una, ſed genere: propter ſimilitudinem tamen & nullam diverſitatem magis unam eſſe dicimus quàm multas. Nam & duos homines ſimillimos cùm videmus, unam faciem dicimus & miramur amborum. Faciliùs itaque dicitur multas animas fuiſſe ſingulas utique ſingulorum, de quibus legimus in Actibus Apoſtolorum, quòd eis fuerit anima una: quàm ubi dixit Apoſtolus: Una fides, tot eas audet quiſquam dicere quot fideles. Et tamen qui dicit, O mulier, magna eſt fides tua: & alteri: Modicæ fidei, quare dubitaſti: ſuam cuique eſſe ſignificat. Sed ita dicitur eadem credentium fides una, quemadmodum eadem volentium voluntas una: cùm & in ipſis qui hoc idem volunt, ſua voluntas ſit cuique conſpicua, alterius autem lateat, quamvis idem velit. Et ſi aliquibus ſignis ſeſe indicet, creditur potiùs quàm videtur. Unuſquiſque autem ſui animi conſcius non credit utique hanc eſſe ſuam, ſed planè pervidet voluntatem. Hæc Aug. Juſtus itaque non alterius fide, quâ credit, vivit, ſed ſuâ tantùm, quæ ſit ſimilis fidei alterius qui rectè credit. Fidem verò alterius, quæ creditur, id eſt, doctrinam ſalutis, quæ divinitus credenda proponitur, & quæ credita ducit ad ſalutem, tunc ſuam facit unuſquiſque quando eandem credit, & confitetur.

5. *Et quomodo*, &c. Q. d. Pravâ quoque mente eſt Chaldæorum populus, ſeu Rex Nabuchodonoſor, qui vinolentiâ, ſuperbiáque furiatus, neque regnis, honoribúſque partis unquam contentus, regna regnis accumulat ſine fine, ſempérque inextinguibili cupiditatis ſiti laborat, velut mors, & ſepulchrum, quæ omnes devorant, nec ullâ cadaverum copiâ ſatiantur.

Et non decorabitur. Heb. ולא ינוה, quod optimè verſio Anglicana reddit, *Neither keepeth at home, neque domi ſe continet*, id eſt, fines imperii tueri non contentus, eos in diem proferre, novóſque ſemper ſubigere populos concupiſcit.

Dilatavit quaſi infernus animam ſuam. Huc facit illud Salomonis Prov. 27. v. 20. *Infernus & perditio nunquam implentur: Similiter & oculi hominum inſatiabiles.* Quod clariſſimus Theologus Joannes Maury ſic metrice reddit,

Inferni, mortiſque, ſimul ſatiatur avari
Ingluvies nunquam. Quicquid videt iſte, cupiſcit,
Spéque animóque vorat, nec meta aut terminus hæret.

6. *Numquid non omnes*, &c. Q. d. Omnes iſti populi, quos cèpit & ſub ditionem ſuam ac poteſtatem redegit Chaldæorum Rex, quod modò ænigmatibus, obſcuriſque parabolis proferunt, dicent olim claris, perſpicuiſque verbis de eo.

Væ

Væ ei, &c. Q. d. Maledictus sit ille, qui ambitione inexplebili alienas ditiones acquirit, & ex bonis alienis ingentem vim opum sibi congerit, superbóque alit fastus.

Aggravat contra se. Id est. super se.

Densum lutum. Gregorius Moral. lib. 34. cap. 13. *Denso*, ait, *luto se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressione coangustat.* Quin & opes injustè partæ non minùs incommodant possidentibus, quàm si luto densissimo, compacto atque viscoso intricarentur. Joseph Kimchi *densum lutum* exponit sepulchrum, ac si diceretur, Qui reddit sibi terram gravem & onerosam. Apud Romanos olim alicui imprecantes, ei terram gravem imprecabantur; contràcui benè precabantur, ei terram levem optabant. Guevara verò per *lutum* intelligit ceroma, quo in palæstris ungebantur athletæ, tum ut fortiores essent, tum ut lubrici fallere manus antagonistæ, & elabi possent. Atque ita væ dicitur iis,qui alienis opibus quasi multo ceromate,instar pugilis,ut fortiores & potentiores sint ad comparandos exercitus & bella capessenda se superliniunt : frustrà enim & noxiè id faciunt : nam hoc ceroma eos aggravabit, quasi densum lutum in perniciem suam. Quod autem ceroma *lutum* vocari possit, probatur ex illo Martialis,

Ne lutet immundum nitidos corona capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

7. *Nunquid non repentè*, &c. Q. d. Hæc erit vindicta malorum quæ fecisti tot hominum sanguinem effundens, totque regiones depopulans, atque devastans urbes : Medi & Persæ consurgent repentè, téque proterent, & diripient omnem substantiam tuam populi, quos expoliare non potuisti.

9. *Væ*, &c. Hoc est, væ illi, qui avaritiâ, conscleratissimíque quæstûs cupiditate prædas gentium quàm plurimarum congessit, ut aquilæ instar in montium cacumine nidificantis sublimem omni deliciarum apparatu refertam extrueret arcem, stultè cogitans hoc pacto omnium hostium ac temporum injuriam à regno, gentéque sua propulsatum iri.

10. *Cogitasti*, &c. Q. d. Pessimè consuluisti domui tuæ, dum animum induxisti excidere populos multos, gravitérque à te peccatum est.

11. *Lapis*, &c. Q. d. Tyrannis, violentia, & inclementia tua, ô Nabuchodonosor tanta est, ut licèt homines sileront, lapides tamen ipsi, & lateres tetra tibi imprecarentur. Simili prosopopœâ dixit Juvenalis Sat. 9.

——————Secretum divitis ullum
Esse putas? Servi ut taceant, jumenta loquentur.
Et canis, & postes, & marmora.——————

Lignum quod est inter juncturas ædificiorum. Heb. וכפים מעץ, *& later è ligno.* Agitur de pariete in quo lapides & lateres inter ligneas trabes inserti sunt, quales hodie multos videmus. In tali pariete lateres ex ligno respondent, id est, ex medio tabulato, in quo inter trabes sunt dispositi. Talmudicis in *Bava metsia* cap. 10. fol. 117. B. & in *Bava Bathra* cap. 1. fol. 3. A. כפים *chaphis* idem est, quod אריח, *later sesqui-palmi*, ut לבינה *later trium palmorum.* Nempe lateres per palmos olim dimetiebantur. Et laterem didoron, tridoron, tetradoron, ac pentadoron, à duobus, tribus, quatuor, & quinque palmis nominant Plinius lib. 35. cap. 14. & Vitruvius lib. 2. cap. 3. Sed & *bessalis later*, vel *bessale* simpliciter dictus est later didorus, quia mensuram habet bessis, id est, duos pedes trientis. Pes enim est trium palmorum. Ac proinde Βήσαλον à Græcis recentioribus primò pro bessali latere, deinde etiam pro quovis latere est usurpatum. Tzetzes chil. 9. Hist. 275.

Ὀπτὴν δὲ πλίνθον γίνωσκε τὴν βήσαλον καλοῦμεν·
Τοῦ Βαβυλῶνος κτίσμα γὰρ ὑπῆρχεν ἐκ βασάλου.

Coctum autem laterem scito, quem besalon vocamus: Babylonis enim extructio fuit ex besalo. Ita *Chaphis*, quod propriè est later sesquipalmi, à Propheta videtur sumi pro quovis latere, adeo ut, cùm in priore hemistichio lapidem clamare dixerit, laterem huic respondere subdat propter maximam, quæ lapidem inter & laterem est, analogiam. Et enim later est gleba terræ in lapidis duritiem excocta, & lapidis vice fungitur in ædificio, juxta illud Gen. 11. v. 3. *Habuerúntque lateres pro saxis.*

12. *Væ*, &c. Q. d. Maledictus sit is, qui per vim & fraudem opes ac potentiam consequitur. Nabuchodonosor Rex ex oppressionibus pauperum, & ex pecunia ditiorum cædibus parta Babylonem exædificavit, & permunivit, ut fusè narrat Josephus antiq. lib. 10. cap. 11. ubi post alia Babylonis ornamenta, quæ Nabuchodonosor fieri curavit, addit: *Auxit etiam, & reparavit antiqua urbis ædificia, munito etiam fluminis alveo, ita ne hostes eo possent uti ad civitatis incommodum. Tres quoque mœniorum ambitus intra urbem exstruxit, & totidem foris circumdedit, omnibus è coctilibus laterculis.* Textus Græcus non est mihi ad manum.

13. *Numquid*, &c. Q. d. Justo quippe Dei judicio labores eorum dispereunt, & divitiæ statim atque partæ sunt ignis instar evolant,

evolant, qui laborant & fatignatur in opibus ingentibus sibi per vim & rapinam comparandis.

14. *Quia*, &c. Q. d. Hac enim ratione omnibus abundè innotescet Deum non agi furore, sed justo judicio & æquitate in impios vindicare scelera, & inenarrabili misericordiâ pios nunquam indefensos relinquere.

Quasi aquæ operientes mare. Metonymia, id est, maris alveum. Hæc autem locutio copiam significat. Vide Es. 11. 9.

15. *Væ*, &c. Maledicuntur ii, qui fel & amaritudinem propinant amicis suis, dum illis admovent vas vinarium, ut inde largiùs bibant, citiúsque inebrientur, quos vino sepultos ludificari volunt, aut explendam libidinem turpissimè & flagitiosissimè abuti. Babylonios hoc flagitio fuisse infames narrant Herodotus, Ctesias, & alii.

16. *Repletus*, &c. Q. d. Quod aliis feceris, patieris, ô Nabuchodonosor, & qui more patrio turpiter denudatis illudebas, inebriaberis calice indignationis Domini, somno consopieris sempiterno, ignominiatus denudaberis gloriâ tuâ, evoméque inglorius, quod ad ampliandum splendorem tuum absorbueras.

17. *Quia*, &c. Q. d. Ob effusum hominum sanguinem, & adhibitam violentiam, cùm varias subigeres regiones, urbes expugnares, & earum tibi subjiceres incolas, hostes experieris, qui te eâdem infectentur violentiâ, quæ in Libano adhibetur â venatoribus consequendæ prædæ: atque cassibus eorum ac plagis intercipieris, in eámque vastitatem redigeris, quæ inferri solet feris, cùm à venatoribus exagitantur, & capiuntur.

Vastitas animalium deterrebit eos. Solœcismus pro, *deterrebit ea.*

18. *Quid prodest*, &c. Præclarè Hieronymus, *Consequenter superioribus de Nabuchodonosor dicitur, quòd fabricatus sit statuam idoli Bel, & posuerit eam in campo Δουρᾶ, sive ut in Hebræo scriptum est,* דורא, *Doura, super quo plenius in Daniele legimus. Miratur itaque Scriptura Regis amentiam, & stultitiam, quia ipse jusserit statuam auream fieri, & fictor confidat in simulacro: quod quidem possumus & generaliter contra omnes idolorum accipere cultores. Nec putemus unum esse quod sculpitur & conflatur. Sculpturam quippe possumus in lapidibus & in marmoribus accipere. Conflatura verò in his metallis intelligitur quæ solvi possunt atque conflari, v. g. auro, argento, ære, plumbo, stannóque.*

19. *Væ*, &c. Maledictionem minatur iis Propheta Dei nomine, qui ab idolis mutis consilium in rebus dubiis, & in arduis & angustis auxilium efflagitant, cùm perpetua idolorum taciturnitas & silentium, quo se appellantes excipiunt, doceat & demonstret ipsa esse inanimata, proindéque inutili, quantus quantus sit fulgor auri & argenti, quo obvolvuntur, seu cooperiuntur.

Expergiſcere. Illi homines, qui in deorum catalogum relati erant, cenſebantur ab eorum cultoribus ſemper habere corpora, quæ quiete & ſomno paſcerentur & egerent, ac ſubinde dormire, ideóque à ſomno excitari debere, more regum & principum: unde oraturi, præſertim ſummo mane, deos inclamando excitabant, ut preces ſuas audirent, teſte Arnobio lib. 7. cùm ait, *Quid ſibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiſcunt enim ſuperi, remeare ut ad vigilias debeant.* Atque hæc cauſa fuit cur Elias irridens ſacerdotes Baal diceret 3 Reg. 18. v. 27. *Clamate voce majore: deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.* Quò ſpectat illud Lactantii lib. 6. *Mactant hoſtias deo, tanquam eſurienti: profundunt vina, tanquam ſitienti: accendunt lumina, velut in tenebris agenti.*

20. *Dominus,* &c. Q. d. Deus è cœlo, quod ipſius templum & thronus dicitur, *ut per hoc deſignetur Dei eminentia ſuper omnem creaturam, ſicut cœli eminent ſuper omnem aliam creaturam corpoream,* inquit Thomas Aquinas, Deus inquam è cœlo quæcunque fiunt in hoc mundo ſuâ ſapientiâ adminiſtrat; ſileant ergo omnes terricolæ à facie ejus, id eſt, reverentiam præſtent judiciis ejus, eiſque acquieſcant, nihilque jam mutire audeant, cùm quicquid ſibi placuerit de illis, tanquam de re multiplici titulo ſua, ipſe Deus fecerit.

CAPUT III.

1. *Oratio Habacuc.* Hæc oratio ſcripta fuit ad inſtar pſalmorum Davidicorum: quod teſtantur voces in ea repertæ pſalmis peculiares, ut ſunt שגיונות, *Sigionoth* hoc verſu, סלה *ſelah* verſu tertio, למנצח *lammenat-ſeach,* & נגינות *neginoth* verſu decimo nono.

Pro ignorantiis. Q. d. Hæc oratio canenda eſt juxta cantilenam vulgarem, quam Hebræi vocant שגיונות, Vulgatus interpres *Ignorantias.* Orat autem hîc Vates, ut quæ mirabilia olim fecit, cùm populum ex Ægypto eripuit, ea contra Babylonios Deus inſtauret.

2. *Audivi auditionem tuam, & timui.* Q. d. Ut audivi famam eorum, quæ olim feciſti mirabilia, illico vehemens tuæ majeſtatis inceſſit timor. *Domi-*

Domine opus tuum. Quod scilicet olim fecisti.

In medio annorum vivifica illud. Id est, intra deportationis tempus instauri populo tuo Babylonem deportata.

In medio annorum notum facies. Q. d. Reluceat hoc deportationis tempore virtus tua perinsignis. Ex hoc loco juxta Græcam versionem, *In medio duorum animalium cognoscêris*, & altero Esa. 1. v. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*, colligunt multi veteres Christum nascentem inter duo animalia in præsepi jacuisse. Unde in Hymnis canitur,

Agnoscat bos & asinus
Jacentem in præsepio.

Item,

Cognovit bos & asinus
Quòd puer erat Dominus.

Verùm hic Habacuci locus, quo potissimùm nituntur, perincertus est; nam aliter atque aliter in ipsa Græca versione legitur. Alii enim legunt, ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ *in medio duorum animalium cognoscêris.* Alii, mutato accentu, legunt, δύο ζωῶν, *duarum vitarum.* Cyrillus Alexandrinus utramque lectionem enarrat. Theodoretus utriusque lectionis ita meminit, ut posteriorem præferat. *Per duo,* inquit, *animalia quidam intellexerunt angelos & homines; quidam ex angelicis virtutibus eas, quæ ad divinam gloriam propiùs accedunt, Cherubim nempe, & Seraphim; alii Judæos & Babylonios. Mihi videtur non* ζῶα, *animalia, sed* ζωὰς, *vitas Propheta dixisse, præsentem & futuram, quarum in medio judex justus apparet.* Eandem posteriorem lectionem solùm agnitam à Cyrillo Jerosolymitano ex eo patet, quod Catech. 12. asserit hæc manifestè de Christo dici, *Quia post adventum in carne vixit, & mortuus est, deinde post resurrectionem à mortuis vixit iterùm.* Theophylactus denique disertè hîc habet, *In medio duarum vitarum cognoscêris. Duæ vitæ sunt, præsens & futura,* &c.

Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Q. d. Etsi nunc sis iratus in populum tuum, recordaberis tamen eorum, quæ olim eidem misericorditer promisisti.

3. *Deus,* &c. Q. d. Deus sanctè colendus revelavit gloriam & majestatem suam, cùm in monte Sinai montibus Pharan & Theman vicino Legem Decalogo comprehensam terribili voce promulgaret, & cœlum totum fulguribus coruscans, tonitruúmque strepitu remugiens Legislatoris venerationem, & timorem astantibus terrigenis filiis hominum ingeneraret.

Ab Austro. Hebr. מתימן, *à Theman.* Glossæ Philonis, *Theman, Auster, vel Africus.* Sumitur autem Theman vel propriè, & est nomen

nomen montis in Idumæa, non procul à montibus Paran, seu Pharan, & Sinai; vel appellativè, & sic *omnis Australis regio Hebræis Theman dicitur*, inquit Eusebius de locis Hebraicis. *Theman Idumæorum regio est, & vergit ad australem partem, quod interpretur Themam* ait Hier in Amos 1. Porrò *de* & *ab* in hoc hemistichio sumuntur pro juxta. Neque enim Deus in ipsis montibus Theman & Pharan revelavit gloriam suam, sed in monte Sinai, qui est juxta montes Pharan, & Theman. Sic à theatro venire dicitur, qui venit à loco, qui est juxta theatrum.

Veniet. Enallage temporis pro, venit, id est, præsentiæ suæ majestativæ signa spectabilia edidit in monte Sinai, cunctis cernentibus & trepidantibus.

De monte Pharan. Heb. additur, *Sela*, quæ vox est certi soni, & attentionis animi nota, de qua hîc Hieronymus: *Quod LXX transtulerunt διάψαλμα, & nos posuimus, semper, Symmachus interpretatus est, εἰς τὸν αἰῶνα id est, in æternum, Theodotio, εἰς τέλος, id est, in finem, Quinta editio ipsum Hebraicum* סלה *Selah retinuit,*

4. *Splendor*, &c. Q. d. Resplenduit majestas Dei toti populo spectatæ, cùm Legem daret in monte Sinai, sicut sol, & omnipotentiæ signa coruscarunt, quamvis infinita ipsius virtus istis velut umbraculis velaretur, obtegeretúrque, ne detecta, & develata infinitate suâ populum astantem absorberet.

Ut lux. Id est, ut sol, qui κατ' ἐξοχὴν dicitur אור, *Or*, hoc est, *lux*, Job 31. v. 26. & 37. v. 20. Hinc Apollo dictus *Orus*, id est, sol.

Erit. Pro fuit; futurum pro præterito.

Cornua. Metaphoricè sic vocat vim & fortitudinem, quia quædam animalia vim suam cornibus exerunt.

In manibus ejus. Heb. מידו לו, *è manu ejus ipsi*, hoc est, in promtu habet, seu ut Suetonius loqueretur, *Celeriter ac sub manum.* Cùm enim Deus facere possit quicquid velit, nihilque illi sit difficile & laboriosum, commodè dicuntur cornua ejus in manibus ipsius, seu quod idèm est phrasi Hebraicâ, è manu ipsi, dum manifestat se omnipotentissimâ facilitate quodlibet pollere.

5. *Ante*, &c. Q. d. Cæde & strage horribili subitò quasi peste destruxit Deus Chananæos, cùm deduceret populum suum Israël in terram ipsorum. Sic enim eidem populo suo promiserat Exod. 23. v. 27. *Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris.*

Ibit mors. יולך דבר, *ibit pestis.* Futurum propræterito, & pestis pro exitio ponitur.

Egredietur, &c. Quod mox dixerat, *Ante faciem ejus ibit mors*, aliis verbis repetit.

Dia-

Diabolus, Heb. דבר, quod vocabulum ab Hebræis exponitur *febris calida, & ardens, celeritérque necans*, & hîc ſumi videtur latiùs pro vi promtæ ac ſubitæ cædis effectrice.

Ante pedes ejus. Hebraiſmus, id eſt, ad ipſius adventum, quocunque deducebat populum ſuum.

6. *Stetit.* Deus ſcilicet, cujus numen præſens erat in arca, quæ ſubſtitit annis quatuordecim Galgalis, donec ſubactam Chananæam Iſraëlitæ funiculis diſtribuiſſent.

Menſus eſt terram. Deo tribuit Chananææ inter tribus ſortitionem, quæ ipſius præſcripto facta eſt.

Aſpexit & diſſolvit gentes, &c. Q. d. Qui *conſtituit humiliare omnem montem excelſum*, ut loquitur Baruch cap. 5. v. 7. ipſe juxta itinera æternitatis, ſeu ut alii vertunt, juxta itinera ſeculi, ſive mundi, hoc eſt, juxta rationes, quibus hunc mundum regit, ſempérque gubernat, non bellico apparatu, ſed ſolo aſpectu & nutu extirpavit gentes firmiſſimè radicatas, earúmque montes & colles, id eſt, Reges, dynaſtæ, & megiſtanes priſcâ generis nobilitate, quaſi hereditariâ ſtabilitate firmatos depreſſit & comminuit.

7. *Pro iniquitate*, &c. Q. d. Cùm Æthiopes Orientales, ſeu Chuſæi omni vanitatis & impietatis ſtudio flagrarent, ad ſolum aſpectum meum fuſus, fugatus, & cæſus eſt eorum exercitus. Vide hiſtoriam Judic. 7.

Æthiopiæ. Heb. *Chuſan*, quod eſt diminutivum à Chus. Chuſæos autem eſſe Æthiopes Orientales fuſè probavimus in Amos 9. v. 7. Hi autem populi dicti ſunt Scenitæ, quia, ut hîc patet, in tentoriis habitabant.

Turbabuntur, &c. Ejuſdem ſententiæ repetitio eſt mutatis verbis. Futurum ponitur pro præterito, nam ut jam obſervatum, de præterito ſermo eſt.

Pelles. Extrema tabernaculorum vela, quæ ſolùm pluvias & ventos accipiebant, ex pellibus ad hanc rem arte paratis conficiebantur olim, unde tentoria tota per Synechdochen vocantur pelles, & ſub pellibus eſſe dicitur, qui degit in tentorio.

Madian. Terra Madian hîc inducitur ut eadem cum Chuſæa, quia *Arabiæ regionem, quæ Chuſæa vocatur, Madianitæ incolebant*, inquit clariſſimus Druſius. Vide commentarium noſtrum in Amos 9. v. 7.

8. *Numquid*, &c. Quare, inquit Vates, Rubrum mare olim ſiccaſti optime Deus? Quare Jordanem fluvium toto impetu, & pleno tunc alveo torrentem ſiſtere ac recurrere coëgiſti? Non utique quòd elemento impeccabili ſuccenſeres, ſed quòd virtutis tuæ magnitudine velles ſalutem dare populo tuo. Eleganter autem divinæ virtutis magnitudo adumbratur conſcenſu equorum & quadrigarum, quia in bellico apparatu equi & currus inter fortiſſima

tissima pugnæ instrumenta primum locum apud antiquos tenent.

Quia ascendes. Alii melius legunt, *Ascendis*, id est, ascendere soles.

9. *Suscitans*, &c. Pergit in metaphora à rebus bellicis sumta, & ait à Deo exertam vim ac potentiam, ut præstaret promissa juramento à se confirmata patribus duodecim tribuum Israël. Hebraicè additur hìc vox *Selah*, de qua vide quæ mox diximus v. 3.

10. *Fluvios scindes terræ*, &c. Futurum pro præterito, Q. d. Flumina terræ diffidisti, præsentiâ tuâ concussi sunt Sinai montesque ipsi vicini, Jordanis & maris Rubri aquæ inundantes & æstuantes fugatæ sunt, & infinita earumdem aquarum congeries ingenti undarum fragore bipartita in altum manus suas, id est, latera sua extulit, ut daretur populo Israël intervallum transeundi.

11. *Sol*, &c. Q. d. Cùm rerum omnium splendor & motus à motu & luce solis & lunæ pendere soleat, magnorum istorum luminarium lux & motus pependit à splendore jaculorum à Deo vibratorum, ubi jussu Josuæ sol & luna stiterunt cursum suum donec Amorrhæi profligarentur, ut videre est Jos. 10. Sagittas autem Dei & fulgurantem hastam vocat Habacuc lapides grandinis cum fragore, tonitribus, & fulgetris in Emoræum seu Amorrhæum ab Israële fugatum cœlitùs immissos. Vide Jos. 10.

Steterunt. Scriptura ubique constanter soli motum, & terræ quietem tribuit. Si ergo Pythagoræ sententia de motu terrestris globi à Copernico resuscitata est vera, profectò ex vulgi opinione Scriptura loquitur, quoties terram quiescere, solem verò dicit moveri. At incertum, & adhuc sub judice lis est, utrum Copernici sententia de solis quiete, an verò Ptolomæi de ejusdem motu sit certior, ut de aliorum, mediam sententiam amplectentium, & tam soli, quàm terræ motum tribuentium, opinione nihil dicam. Quamdiu autem celebres Mathematici & Philosophi sententiis à se invicem in hac quæstione multùm distant, nobis Scripturæ potius, quàm Copernico accedere licet, præsertim cùm Petrus Gassendus, quamvis Copernici Ptolomaicâ sententiâ verisimiliorem esse agnoscat, non veritus tamen sit hæc verba proferre: *Tametsi opinio de motu terræ probari videatur quibusdam verisimilibus argumentis, nulla tamen est demonstratio, quæ illam esse veram convincat, adeò ut exprobrari non possit opinioni oppositæ; quòd demonstrationibus careat, certitudineque ab ipsa vincatur.*

12. *In fremitu*, &c. Ne fortissimus quidem sceleratissimarum illarum gentium, quæ terram Chanaan incolebunt, acrem obtritum divinitùs imminentem impavidus atque imperterritus expectare potuit.

13. *Egressus*

13. *Egressus*, &c. Q. d. Ut consuleres saluti populi tui, unà cum Josue, qui ipsum in terram promissionis introduxit, processisti in arca fœderis exerens vim tuam in impios illius terræ incolas, quos, debellatis eorum triginta Regibus, penitùs profligasti.

Cum Christo tuo. Id est, cum Josue populi tui duce. Ut enim ait Hieronymus, *Christi in veteri Testamento dicebantur Patriarchæ, de quibus scriptum est in Psalmis, Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Et in primo Paralipomenõn libro, omnes, qui egressi sunt de Ægypto, Christi vocantur.*

Percussisti caput de domo impii. Id est, unumquemque Regem impiorum gentium terram populo tuo promissam incolentium vi decussisti.

Denudâsti fundamentum usque ad collum. Adagiali locutione Vates exprimit eradicatas, penitúsque excisas impias gentes Chananææ incolas, ut Israëli subigeretur.

Semper. Heb. סלה. Vide dicta suprà v. 3.

14. *Maledixisti*, &c. Q. d. Suismet armis excidisti ducem, qui cum exercitibus suis turbinis in modum fecerat impetum in populares meos Israëlitas, ut eos profligâret, eósque instar pauperis in loco abscondito indefensos exultans opprimeret.

Sceptris ejus. Heb. במטיו, *baculis ejus.* Id est, armis ejus. Maledixisse autem dicitur Deus armis alicujus, dum in abusûs ultionem iis ipse armipotens dominus cæditur, quomodo Goliath proprio gladio truncatus est, 1 Sam. seu Reg. 17. Tremellius sic reddit præsentis versûs hemistichium ex Hebræo, *Perforâsti virgis illius caput pagorum ejus*, quod sequitur editio Anglicana, *Thou didst strike through with his staves the head of his villages*; hoc est, propriis armis jugulâsti pagarchum quemque inimicorum, qui in pagis finitimisque populo Israël regionibus hîc illîc erant. Ratio hujus variæ versionis est quòd verbum נקב quo versus hic incipit, & *maledicere*, & *perforare* significat; deinde vox פרז, quâ præsens hemistichium finitur, & *villam*, & *militem* sonat. Sensus Vulgatæ & Tremellianæ versionis ferè in idem recidit secundum nostram quidem expositionem.

Venientibus ut turbo ad dispergendum me. Id est, cùm Pagorum seu exercituum præfecti una cum militibus suis turbinis in modum irruerent in populares meos, ut eos dissiparent.

15. *Viam*, &c. Q. d. Divinâ virtute tuâ maris undas instar luti undique diduxisti, ut inter eas in acervum mo-

lémque

lémque hinc inde collectas medium iter ſiccum præberes populo tuo Iſraël.

Equis. Cur divina virtus equis deſignetur, dixi ſuprà v. 8.

16. *Audivi*, &c. Q. d. Rumor anguſtiarum, quas populus Dei brevi eſt ſubiturus, me maximè conturbat, ejuſdémque rumoris tonitru contremiſcunt labia mea; imò toto corpore, atque omnibus artubus contremiſco, non ſecus ac ſi oſſa mea univerſa computruiſſent, quamvis certum ſit mihi requieſcere in ſpe cœleſtis auxilii, cùm anguſtiæ intentatæ ingruerint, & Nabuchodonoſor Jeroſolymam aſcenderit populum tuum impetiturus & ſuccifurus. Vide 4 Reg. 25.

Venter. Ventrem & viſcera in Scripturis paſſim pro corde uſurpari notius eſt, quàm ut noſtrâ indigeat obſervatione. Hinc Joan. 7. v. 38. *Flumina de ventre ejus fluent*, idem eſt ac, *ex corde ejus*, uti benè notat Theophylactus ad illum locum.

A voce. Id eſt, à rumore imminentis mali.

Contremuerunt labia mea. Præclare Hieronymus, *Pavor mentis trepidæ in ore deſignatur.*

Ingrediatur. Heb. יבוא, *ingredietur.* Hebraiſmo Scripturæ familiari futurum pro præſenti uſurpatur.

Et ſubter me ſcateat. Heb. ותחתי ארגז, *& ſubtus tremam.* Q. d. In loco, in quo nunc ſto, ac ſi oſſa mea imputreſcant, pedibus conſiſtere non valens totus tremore corripior.

Ut requieſcam. Id eſt, quamvis requieſcere, in ſpe ſcilicet divini auxilii, conſtituerim. Familiare eſſe Scripturis, ut animi propoſitum per ipſam actionem propoſitam ſignificent, obſervavi in Mat. 26. v. 18. Particulam autem *Ut* ſumi pro *Quamvis*, *Licèt*, indicat vel illud Tullii Orat. 1. contra Rullum Num. 22. *Ut circumſpiciamus omnia quæ populo grata ſunt, nihil tam populare quam pacem reperiemus.* Plura hujus rei exempla paſſim occurrunt apud eumdem Tullium, aliósque bonæ Latinitatis autores, quæ brevitatis causâ prætermitto. Heb. אשר אנוח, *qui requieſcam*, id eſt, requieſcere animum induxi. Senſus nihil differt à Vulgata verſione, licèt locutio nonnihil differat.

Ut aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Heb. לעלות לעם יגודנו *quando aſcendet hoſtis contra populum, ut ſuccidat eum*, quomodo optimè horum verborum mentem exprimit clariſſimus Joannes Plantavitius Lodovenſium in Gallia Narbonenſi Epiſcopus in ſuo Theſauro Synonymico. Eundem ſenſum Anglicana editio refert his verbis: *When he cometh up unto the people, he will invade them with his troops.* Et ad marginem, *Or, cut them*

in

in pieces; Quæ duplex versio ex eo oritur, quod verbum Hebræum גדד significat *exercitum congregare*, & *turmatim succidere*, ut fit in prælio. Loquitur itaque Habacuc, ut jam diximus, de Babyloniorum Rege ascensuro contra Jerosolymam, ut eam circumvadat, & unà cum incolis succidat. Historiamvide 4 Reg. 25. Secundum Vulgatum interpretem Habacuc dicit se paratum affligi cum populo Dei, & obfirmâsse faciem suam, ut iret in Jerusalem ad populares suos hostium turmis cinctos & circumvallatos.

17. *Ficus*, &c. Q. d. Etiamsi sterilescant agri, arbores frugiferæ perarescant, abigátque hostis ab ovillbus & bubilibus nostris oves & capras, gregésque bucerias, ego tamen gaudens ad Deum confugiam, spémque meam in eo collocabo, qui me toties ope suæ supremæ dexteræ recreavit, salvúmque & incolumem ex malis misericorditer eripuit.

Mentietur opus olivæ. Id est, oliva nullum edat fructum, sicque fallat olivitorum spem. Simili Phrasi Horatius dixit,

Spem mentita seges.

19. *Deus*, Nc. Q. d. Ipse enim Deus mihi fortitudinem tribuet ineluctabilem, & tutum ab imminente calamitate præstabit.

Ponet pedes meos quasi cervorum. Qui nempe per prærupta rupium securè gradiuntur propter inconcussam pedum & incessûs firmitatem. Rabbi Salomon existimat Vatem nostrum hîc, & Davidem 2 Sam. seu Reg. 22. v. 34. & Ps. 18. v. 34. sibi tribuere pedes cervarum secundum veritatem Hebraicam, quòd cervæ maribus firmiores pedes habeant in loca arduo. Sed cùm cervorum fœminis nihil tale tribuant Naturæ scriptores, non puto fuisse causam cur David aut Habacuc feminas hac in parte maribus præferret, sed in re adjaphora potuisse sexum utrumvis usurpare. Itaque Arabs, neglecto feminino genere, verba Davidis in Psalmis reddit, *Firmavit pedes meos tanquam cervi.* Et in Samuële, *Firmavit pedes meos, & solidavit eos ut pedes cervorum*, quibus videlicet nihil est firmius. Hinc *æripidem* cervam vocat Virgilius Æneid. 6. Et Ausonius in Gripho ternarii,

Vincunt æripedes ter terno Nestore cervi.

Super excelsa, &c. Q. d. Deus victoriâ angorum partâ me quasi pæana canentem deducet super excelsa mea. Excelsa autem vocat Habacuc prærupta & confragosa loca, quæ secundum historiæ naturalis scriptores cervis sunt pro refugio, quò hinnulos deducunt

cunt, ibique tanquam in tuto collocant. Vide Ariſtotelem Hiſt. Anim. lib. 6. cap. 29. & lib. 9. cap. 5.

Victor in Pſalmis canentem. Heb. למנצח בנגינותי, quæ verba non videntur referri ad mox præcedentia, ut vult interpres Vulgatus, ſed exprimere à quo Vates velit orationem ſuam ardoris & zeli plenam decantari. Optimè itaque verſio Anglicana, *To the chief Singer on my ſtringed inſtruments*, id eſt, *Archimuſico Magiſtro Symphoniæ fidium mearum.* Non deſunt qui exiſtiment נגינה, *negina* non dici muſicum inſtrumentum, ſed canticum inſtrumento muſico decantatum. Atque ita verba Prophetæ hîc reddunt, *Præfecto in canticis meis*, ut ſignificet fuiſſe cantorem, cui ipſe ſua cantica decantanda tradere ſolebat.

FINIS.

SO-

SOPHONIÆ PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

Sophonias, ſive Zephania de tribu Simeon in agro Sarabath patrem habuit Chuſi, avum Godoliam, proavum Amariam, atavum Ezechiam nomine. Profitetur ſe vaticinatum diebus Joſiæ filii Amon Regis Judæ; itaque Jeremiæ fuit æqualis & Holdæ, Ezechiele ac Daniele ſenior. Vaticinia ſua contra civitatem Hieroſolymorum, & univerſum regnum Judæ uno miræ & luculentæ brevitatis libello perſtrinxit. Hic Propheta, &, ſi Hebræorum traditioni creditur, Propheræ filius, nepos, pronepos, abnepóſque in Martyrologio Romano aſcribitur iis, qui vitam hanc cum morte commutavere III. Nonas Decembris.

CAPUT I.

1. *Verbum*, &c. Vide dicta Joël 1. v. 1.

2. *Congregans*, &c. Q. d. Omnia inſtar ſordium, quæ converruntur ut projiciantur, converrens averram à facie terræ. Hoc Chaldæus Paraphraſtes reddit, *Delens delebo omnia à facie terræ.* Quod ſequitur verſio Anglicana: *I will utterly conſume all things from off the land.*

A facie terræ. Terra hîc ſumitur pro regione, cui videlicet Sophonias vaticinatur, quam duæ tribus Juda & Benjamin incolebant. Sic de Ægyptiis dicitur Pſ. 104. v. 30. *Edidit terra eorum ranas*, id eſt, regio eorum, ſcilicet Ægyptus, cujus regionis portio Nilus eſt, ex quo ranæ productæ dicuntur à Moſe Exod. 8. v. 2.

3. *Congregans*, &c. Partitione exponit quænam ſint illa omnia, quibus Deus Judæam eſt exuturus.

Et ruinæ impiorum erunt. Heb. והמכשלות את־הרשעים, *& offendicula impiis*; seu, *cum impiis.* Id est, diruámque quæcunque sunt impiis ruinæ occasiones, seu *In musçipulam pedibus insipientium*, ut loquitur autor Sapientiæ cap. 14. v. 12.

4. *Et extendam*, &c, Q. d. Exeram virtutem meam in regnum Judæ, maximè verò in Jerusalem totius regni metropolim, & exscindam è Jerusalem, & Judæa universa quicquid post deportatas decem tribus idololatriæ in populo Dei remansit, dispersámque idolorum sacrificulos cum veri Dei sacerdotibus.

Baal. Hoc nomen est genericum, non unum aliquem certum deum, ut Apollinem, Jovem, aut Mercurium significans, sed eam in universum notionem comprehendit, quæ divinæ naturæ convenit, sive illa natura sit unica, uti reverà est, sive in plures partes, ut antiqua putavit vanitas, diffusa sit. Quemadmodum enim à verbo *nuo* apud Latinos commune diis vocabulum *numen* factum, quòd eorum voluntate, quâ velut nuunt, id est, annuunt, cùm volunt, & abnuunt, cùm nolunt, cuncta regi putarent, unde illud Virgilii Æneid. 2.

———*Non hæc sine numine divûm*
Eveniunt.

Ita apud Hebræos à verbo בעל, *præesse, dominari, subigere* fit nomen *Baal*, quod Latinè sonat *Dominum*, quia deorum dominio gubernari omnia & administrari creduntur. Verùm sicut Hellenistæ Angelos lucis noluerunt appellare *dæmonum* vocabulo, sed in detestationem paganicæ superstitionis, nomen id proprium esse voluerunt spiritibus noxiis, quos Græci κακοδαίμονας, veteres Latini *Vejoves* appellarunt; ita Hebraistæ Judæi Deum noluerunt appellare *Baal*, quòd câ voce à profanis gentibus dii sui vocitarentur. Vide Commentarium nostrum in Os. 2. v. 8.

Nomina ædituorum. Vanorum deorum sacrificuli dicuntur Hebraicè כמרים, à Vulgato interprete *æditui*, & *aruspices* vocantur. Tremellius *atratos* nominat ab atris vestibus, quibus ex superstitioso ritu induebantur. Vide quæ diximus Os. 7. v. 5.

Cum sacerdotibus. Sacerdotes veri Dei, qui כהנים appellitantur, Hebraicè, sicut idolorum sacrificulos prædicit Vates disperdendos, *quia in tantam Juda, & Benjamin venerant impietatem, ut in Templo Domini (juxta quod scribit Ezechiel, & regnorum quartus liber ostendit) statuam Baal quam Imaginem cæli Dominus vocat, statuerint: & in eodem sanctuario idola & Dominum venerati sunt.* B. Hier.

5. *Et eas.* Supple, disperdam.

Super tecta. Hebræorum tecta erant plana, & in ea ascendebant

bant militiam cœli, hoc est, solem, & lunam, & stellas adoraturi, ut eam melius viderent.

Et adorant, &c. Q. d. Disperdam quoque eos, qui profitentur se idolis adolentes per eáque jurantes non simulachra, sed Deum vivum in simulachris devenerari. *Videntur*, inquit Aug. in Ps. 113. Conc. 2. *sibi Purgatioris esse religionis qui dicunt, Nec simulachrum, nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor, quam colere debeo.* Cui simulachrorum adorationi occurrit Augustinus paulò pòst his verbis: *Apostoli una sententia pœnam istorum, damnationémque testatur, Qui transmutaverunt, inquit, veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & serviverunt creaturæ potiùs quàm creatori, qui est benedictus Deus in sæcula. Nam priore parte hujus sententiæ simulacra damnavit: posteriori autem interpretationes simulacrorum.* Deinde docet Augustinus quàm sit plerisque adoratoribus pernicioſus ipse intuitus effigiei à fabro factæ, quicquid prætexant ij, qui sibi acutiores esse videntur; *Quis autem*, inquit, *adorat vel orat intuens simulachrum, qui non sic afficitur, ut ab eo se exaudiri putet, ac ab eo sibi præstari quod desiderat speret?* Haud multò pòst: *Illa causa est maxima impietatis insanæ, quòd plus valet in affectibus miserorum similis viventi forma quæ sibi efficit supplicari, quàm quòd tam manifestum est non esse viventem, ut debeat à vivente contemni. Plus enim valent simulacra ad curvandam infelicem animam, quòd ut habent, oculos habent, aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent; quàm ad corrigendam quòd non loquuntur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, non ambulabunt.* Idem Augustinus Epist. 119. cap. 11. *Prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago ejus coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse.*

In Melchom. Tremellius, *Per Melecum suum, sive Regem, prout idola summa ab idololatris dicebantur.* Rex Hebræis est מֶלֶךְ *melech*, & Ammonitarum Deus iisdem litteris, sed diversis vocalibus *Molech*, vel *Moloch* appellitatur, & à LXX. *Melchom*, nominitatur, ut observavit Hier. in Esa. 57. v. 9. Imò & secundum ipsam veritatem Hebraicam 3 Reg. 11. v. 5, & 33. *Milcom* appellatur, & hìc, si Sophonias idolo Ammonitarum Synecdochicè quodvis idolum significare voluit, nominatur *Malcom*. In honorem hujus idoli *Molech*, seu *Moloch*, sive *Milcom*, sive *Malchom*, vel *Melchom* nuncupati pueros vivos in ignem conjicere moris erat 4 Reg. 23. v. 10. Jerem. 7. v. 31, & 32. 19. v. 5.

Tantùm religio potuit suadere malorum.

Quod ante Mosis tempora Phœnices usurpasse constat ex Levit. 18. v. 21. & Deut. 18. v. 10. Et superstitionem impiam à Pœnis usque ad ævum Annibalis constanter retentam fuisse colligere est ex his Silii Italici lib. 4.

Mos fuit in populis, quos condidit advena Dido,
Poscere cæde deos veniam, ac flagrantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.

Vide quæ diximus Mat. 5. v. 22.

6. *Et qui*, &c. Q. d. Disperdam quoque eos, qui pietatem quam sanctè colebant, falsâ opinione abducti deseruerunt, & eos, qui ne prorsus quidem quæsiêre, neque animum induxere, ut, an sit Deus, an humana curet, perquirerent.

7. *Silete*, &c. Q. d. Nemo contra Deum vel mutire audeat; imminet enim illud tempus, quo peccatorum vindex impios mactabit, ut mactatorum cadavera sint *in escam cunctis volatilibus cæli, & bestiis terræ, & non sit qui abigat*, quomodo loquitur Moses Deut. 28. v. 26.

Dies Domini. Vide Commentarium nostrum in Joël 1. v. 15.

Hostiam. Sic vocat stragem futuram Judæorum.

Sanctificavit. Id est, præparavit. Sic Jerem. 12. v. 3. *Sanctifica eos in diem occisionis*, Id est, præpara eos.

Vocatos. Id est, invitatos. Sic Martialis lib. 2. in Nasicam,

Invitas tunc me. cùm scis, Nasica, vocatum;
Excusatum habeas me, rogo, cœno domi.

Et in Gallum lib. 3.

Nunquam me revocas, venias cùm sæpè vocatus
Ignosco nullum, si modò, Galle, vocas.

Ubi *vocare* est invitare, *vocatus* est invitatus, & *revocare* est vicissim invitare. Eundem in modum verbalia nomina substantiva, *vocatio* apud Catullum, & *vocatus* apud Suetonium pro invitatione usurpantur. Porrò *vocatos* hîc appellat Sophonias animalia carnivora præsertim quæ cadaveribus vescuntur. Similiter Ezechiel cap. 39. describit cædem impiorum, & insepultam, ut ita loquar, sepulturam. En ipsius verba: *Tu ergo, fili hominis, hæc dicit Dominus Deus: Dic omni volucri & universis avibus, cunctisque bestiis agri, Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montem Israël: ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem. Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis, &c.*

8. *Et*

8. *Et erit*, &c. Q. d. Cùm ego Dominus ultionem sumturus sum de impiis, eos commeritâ pœnâ afficiam omnes, nec ipsis Principibus & in purpura natis parcam, & qui transierint in exoticum habitum, séque ad mores victoris populi composuerint, non tractabuntur indulgentiùs.

9. *Et visitabo*, &c. *Hoc est*, inquit Hieronymus, *adversùm superbos, qui cum quodam fastu & dignitatis supercilio, gradus Templi & Sanctuarii limen ascendunt. Porrò, quia in eo, ubi nos interpretati sumus, Qui arroganter ingrediuntur super limen, potest intelligi secundum Hebraicum, Qui transiliunt limen: & hoc historicè sentiendum est, Vindicabo super eos qui juxta Regnorum primum librum non calcant limen idolorum superstitionibus servientes: qui repleverunt domum Domini Dei sui, non solùm idolorum cultu, sed iniquitate, & scelere, & omni mendacio, ut ad errorem rèligionis iniquitas quoque in subjectos, & in proximos mendacium jungeretur.* Quasi verò *limen transilire* sit graviùs, quàm *non calcare* simpliciter, Midras apud Kimchium ait, *Reperimus Israëlitas idolorum cultui impensiùs se addixisse, quàm gentes mundi. De gentibus enim scriptum est* 1 *Sam. 5. v. 5. Ideo*, quia scilicet impurum Dagonis idolum capite truncatum, & manibus limini allisis coram arca Dei semel atque iterùm pronum in terram ceciderat, *sacerdotes Dagon non calcant* (*super limen.*) *sed de Israëlitis scriptum est Soph. 1. v. 9. Transiliunt limen.* Chaldæus Paraphrastes ad hunc Sophoniæ locum habet, *Et animadvertam in omnes qui ambulant in legibus Philisthæorum.*

Complent domum Domini Dei sui. Heb. *Domum dominorum suorum.* Hîc alii putant indicari sacrificia diis oblata ex rapina; alii verò aiunt redargui administros violentiæ, quam potentiores in tenues adhibent.

10. *Et erit*, &c. Id est, Chaldæis ingruentibus, ululatus personabunt totâ Hierosolymorum urbe, seu tribus eorum oppidis. *Nam*, inquit Tremellius, *porta piscium ad civitatem Davidis pertinebat*, 2 *Chron.* 33. 14. *Secunda pars denotat alterum oppidum Jeruschalaimorum, hîc, &* 2 *Reg.* 22. 14. *Colles verò extremitati oppidi tertii impendebant portam sterquilimorum versus, ubi erat olivetum.* Eucherius Lugdunensis in tractatu de quæstionibus veteris testamenti, *Quid est*, inquit, *quod de Holda Prophetide scribitur in* 2. *Paralipomenôn*, 34. *Quæ habitabat in Jerusalem, in secunda, scilicet parte? Ezechias enim secundum Jerusalem murum fecit, filiúsque ejus Manasses tertium. Habitabat ergo haec de qua scribitur, in secunda parte civitatis.* Idem in libros Regum, *Quid sit hoc quod dicit* 4 *Reg.* 22. *In secunda, in superiori parte libri hujus scribitur de Rege Ezecia: Ædificavit quoque omnem murum, qui jacebat dissipatus, & extruxit turres, & forinsecùs alterum murum.* Meminit

hujus loci & Sophonias dicens: Vox clamoris ad portam piſcium, & ululatus à ſecunda: pro qua editio vetus quaſi proprium nomen loci tranſtulit, In Maſana. Maſana quippe interpretatur ſecunda. Quod ergo dicitur hæc Prophetiſſa habitaſſe in ſecunda, in ſecunda muri parte intelligere debemus.

Porta piſcium. Tyrii piſces venales Jeroſolymam deferebant, Nehem. 13. v. 16. & vendebant ad portam piſcium Nehem. 3. v. 3. & 12. v. 22. *Portam piſcium*, inquit Hieronymus, *eam vocabant, quæ & Dioſpolim ducit, & Joppen, & vicinior mari erat inter cunctas viæ Jeruſalem, de qua & Eſdras refert (lib. 2. cap. 3. v. 3.) Portam verò piſcium ædificaverunt filii Aſnaa, ipſi texerunt eam, & ſtatuerunt valvas ejus, & ſeras, & vectes.*

11. *Habitatores pil.e.* Pila, priori longâ, eſt mortarium. *Id eſt*, inquit Tremellius, *Negotiatores omnes in cavo oppidorum interſtitio habitantes, inde a porta gregis ad portam Ephrajimi, ubi erat vicus auri fabrorum pigmentariorum, aromatariorum*, &c. Nehem. 3. v. 8. & 32.

Conticuit. Hoc eſt, in ſilentium redactus eſt. *Silentii* verò nomine mortem intelligimus, quomodo *ſilentes* appellamus mortuos.

Populus Chanaan. Id eſt, mercatores. Chananæi erant inprimis dediti mercaturæ, unde Chanaan vocatur ab Hebræis, qui mercaturam exercet, ut videre eſt Oſ. 12. v. 8, &c. Sic Arabs pro latrone, Chaldæus pro mathematico uſurpatur.

Diſperierunt omnes involuti argento. Id eſt, argentarii, qui ſe argento tanquam muro munitos, tutóſque fore arbitrabantur, diſperierunt.

12. *Et erit*, &c. Q. d. Tunc ne quis meam effugiat vindictam, juſtitiæ meæ miniſtri adhibitis lucernis, id eſt, curioſiſſimè perluſtrabunt omnia, eorúmque miniſterio non elabentur animi obſtinati ad peccandum, qui Deum nec ſcelerum ultorem fore, nec quærentium ſe remuneratorem imaginantur. *Legamus Joſephi hiſtorias, & ibi reperiemus ſcriptum de cloacis quoque, & ſpeluncis, & antris, & ſepulchris extractos principes, & reges, & potentes, & ſacerdotes, qui ſe in eis metu mortis abſconderant.* B. Hier. Vide Joſephum lib. 7. Belli Judaici cap. 17.

Viſitabo. Id eſt, ulciſcar.

In fæcibus ſuis. Fæces alii hîc interpretantur voluptates, alii divitias, alii denique, quos ſecuti ſumus, peccata.

In cordibus. Id eſt, intùs apud ſe, quia apud alios linguâ proferre non audent; vel, *in cordibus*, eſt, penitiſſimè perſuaſi.

13. *Forti-*

13. *Fortitudo.* Sic vocantur divitiæ, quarum operâ ſibi fortes eſſe videbantur.

14. *Juxta eſt,* &c. Q. d. Feſtinanter adventat excidium à Domino intentatum, jamque mihi audire videor amariſſimos ejulatus fortium, triſti clade languentium.

15. *Dies iræ.* Id eſt, vindictæ.

Dies tenebrarum, &c. Vide quæ diximus in Joël 2. v. 2.

16. *Dies tubæ,* &c. Q. d. Hoſtium tubæ & litui cum ſubito & maximo civium terrore & pavore audientur in ipſis urbibus naturâ & opere munitiſſimis.

Super angulos excelſos. Vox Hebræa פנה *pinnah* propriè angulum ſonat; ſed & faſtigium montis ſignificat, quòd in angulum definat. Hinc Chaldæus hîc reddit, רמתא מנטלתא, *colles excelſos.* Aben Ezra quoque פנות hîc dicit idem eſſe ac גבעות, *colles.* Unde ductâ metaphorâ Judic. 23. v. 2. & 1 Sam. 14. v. 39. duces populi vocantur פנות, *pinnoth,* ubi Chaldæus habet רישי, *capita.* Vide infrà cap. 3. v. 6. & Eſ. 19. v. 13. Et Zach. 10. v. 4.

17. *Et tribulabo,* &c. Q. d. Tam arctè premam homines, quia magna peccarunt, ut præ magnitudine preſſuræ quid agant ſint ignoraturi; ſanguini eorum non magis parcetur, quàm inerti pulveri, qui omnibus ſordet; occiſorum verò cadavera per agros projicientur, quomodo lætamen, quo agri ſtercorantur.

18. *Sed & argentum,* &c. Hoc eſt, quemadmodum ignis nulli, neque maximæ rei parcit, ſed ubi illatus fuerit agris, majori vi ac ſtrepitu proceras arbores, quàm gramina ſtipulaſque conſumit; ſic zelo Domini ignis inſtar ſæviente tota Judæa vaſtabitur, nullâque divitiarum, vel dignitatis habitâ ratione, omnes Judææ incolæ properè ac ſine mora ignobili & promiſcuo exitu feſtinanter abſumentur.

CAPUT II.

1. *Convenite*, &c. Q. d. Gens execrabilis, & omni sanctimoniæ studio vacua, congregamini, & in commune consulentes conquirite quâ ratione imminentem vobis cœlitùs vindictam amoliamini.

2. *Priusquam*, &c. Id est, cùm nondum advenit dies acerbus à Deo decretus; qui eâdem celeritate advolat, quâ volatilis pulvis, seu ut habet veritas Hebraica, gluma, dum ventilantur areæ, evolat.

3. *Quærite*, &c. Q. d. O vos, in quibus aliquæ pietatis, & humanitatis scintillæ emicant, sectamini justitiam & mansuetudinem, ut Deo placeatis; sic enim fortassis tegemini divinitùs, & protegemini ab igne ultionis, cùm severissimè in universas gentes peccatrices Dominus est vindicaturus.

Si quomodo. Dubitandi particulam adjicit eadem de causa, qua Joël cap. 2, v. 14. Vide ibidem commentarium nostrum.

4. *Quia*, &c. Q. d. Nam potentissimæ & munitissimæ Philisthæorum urbes excidentur. Hæ autem urbes erant quinque numero, Gaza scilicet, & Accaron, quarum subversio paranomasiâ linguæ Hebreæ propriâ hîc prædicitur, Azotus, Ascalon, & Geth, cujus ultimæ ideo non meminisse hîc Sophoniam aiunt, quòd ipsius ævo Geth fuerit ditionis Judæorum.

In meridie. Id est, vi apertâ, non per insidias.

5. *Væ qui habitatis*, &c. Funiculum maris appellat Palæstinam propriè dictam, quæ ad mare Magnum, seu Mediterraneum sita erat, quia veteres funiculus utebantur in divisione agrorum.

Gens perditorum. Heb. גוי כרתים, *gens Crethim.* In Giggeio קריתא, *Kerita* Arabibus est Palæstinæ regio. Id ipsum erat כרית *creth* Syris: & incolæ Hebræis dicuntur כרתי *crethi*, vel כרתים *crethim*, vox in Scriptura frequens, quam Vulgatus reddit *Crethi*, vel nominis interpretamentum exhibens, *perditores*, *interfectores*, quòd essent milites præstantissimi, qui perdere & interficere alios solebant. Quia verò *Creth* Palæstinæ, & *Crethim* Philisthæorum nomen ad Cretam & Cretenses alludit, quos veritas Hebraica hîc vocat *Gentem Crethim*, Græci interpretes nominant παροίκους Κρήτων *advenas Cretensium*, ac si recepto errore abrepti putaverint Philisthæos Cretensibus longè antiquiores è Creta insula migrasse in Palæstinam. Chaldæus Hebræum כרתי *Crethi* reddit ubique קשתיא *Sagittarios* propter saggittandi

di peritiam, quâ ceteris præstabant. Nam præcipua Philisthæorum arma erant sagittæ & arcus. In Gelboensi prælio, quod Saüli & filiis fatale ejus fuit, his armis Philisthæi se præstiterunt maximè terribeles, ut videre est 1 Reg. seu Sam. 31. v. 3. Nec desunt qui locum ubi Saül cæsus est, dictum putent in rei memoriam גבעת המורה *Gaboath hammoreh*, *vallem jaculatoris*. Proinde ne Judæi deinceps in ejusmodi discrimen inciderent, David 2 Reg. seu Sam. 1. v. 18. jussit ut docerentur filii Juda tractare arcum. Et pace factâ cum Philisthæis, quosdam ex illorum sagittariis habere voluit ad corporis sui custodiam. Hi sunt *Cerethi*, quorum in historia Davidis Scriptura meminit 2 Sam, seu Reg. 8. v. 18. 15. v. 17. 20. v. 7. 3 Reg. 1. v. 38. & 44. 1 Paralip. 18. v. 17. Ut autem Philisthæus sagittipotens à Phœnicibus dicebatur *Crethi* vel *Creti* כרתי, sic ab iisdem *Crethim*, id est, Cretes dicti sunt ii Græcorum, qui sagittandi disciplinam maximè excoluere, ut fusè probat doctissimus Bochartus Geographiæ sacræ parte alterâ lib. 1. cap. 15. Pag. 459. & 460.

Verbum, &c. Q. d. Deus vos, ô nobilissimæ Satrapiæ, quæ terræ Chananææ accensemini, & vi occupatæ à Philisthæis Deut. 2. v. 22. ab ipsis injustè detinemini, vos, inquam, Deus ruinæ & excidio addixit.

6. *Et erit*, &c. Q. d. Atque hæc maritima plaga Philisthæorum pervastata, in pastorum, pecorúmque usus futura est, erúntque ibi נות כרות רועים, *caulæ effossionum pastorum*, ut habet veritas Hebraica, id est, caulæ à pastoribus effossæ ad vitandum solis æstum. Quale Polyphemi antrum fuit, in quo

μηλ', ὅσσα τε, καὶ αἶγες ἰαύεσκε,

pecora, oves scilicet, & capræ dormiebant.

7, *Et erit*, &c. Hoc est, tractus iste maritimus evastatus ad pastionis commoditatem cedet Judæis è captivitate Babylonica reducibus, qui ex Ascalonis ruderibus & cœmentis magalia sibi construent, quò se vesperè greges pasti recipiant. Hoc impletum sub Machabæis ait Theodoretus.

Quia visitabit. Visitare eum dicitur Deus, cui præstat quod pollicitus est bonum, aut interminatus est malum; quem miseratur; & quem ulciscitur.

Eos. Scilicet Judæos captivos Babylonem abductos.

Avertet captivitatem eorum. Nimirum, reductione in patriam, Simili phrasi quod vulgò dicimus, Sitim extinguere, Silius Italicus dixit, *Sitim avertere fluvio.*

8. *Magni-*

8. *Magnificati sunt super terminos eorum.* Hebraismus, id est, de terra Israël magnificè superbéque locuti sunt, quomodo Idumæi, de quibus Ezechiel cap. 35. v. 12, & 13. *Et scies quia ego Dominus audivi universa opprobria tua, quæ locutus es de montibus Israël, dicens: Deserti nobis ad devorandum dati sunt. Et insurrexistis super me* (seu ut vertit Tremellius, *magnificastis vos contra me*) *ore vestro, & derogastis adversum me verba vestra, ego audivi.*

9. *Propterèa*, &c. Q. d. Idcircò Deus injuriarum ultor, & Israëlis vindex irrevocabili juramento constituit Moabitidem atque Ammonitidem diruere instar Sodomæ & Gommorrhæ, dirutámque perdiu derelinquere. Similem ultionem intentat Deus loco Ezechielis mox laudato Idumæis, quòd similiter insultassent Israëlitis. Impleta est autem præsens Sophoniæ prophetia quinquennio circiter ab excidio Jerosolymæ, cùm à Nabuchodonosore Moabitæ & Ammonitæ subacti sunt, ut testis est Josephus lib. 10. cap. 11. Ex eo quippe tempore Babyloniis, Persis, Græcis, ac denique Romanis perpetuò servierunt.

Sic citas spinarum. Heb. ממשק חרול, *seminarium urticæ.* Chaldæus pro חרול *urticæ* habet מלוחין halimorum; halimus enim dicitur Hebraicè Job. 30. v. 4. מלוח, *maluach.* Halimus autem est *frutex*, inquit Calepinus, *sepimento vallari idoneus, similis rhamno sine spinis, foliis oleæ, sed latioribus. Nascitur in sepibus & maritimis, lociſque salsis, salsilaginémque refert. Unde & nomen videtur accepisse. Alii sine aspiratione scribunt: indéque alimum dictum putant, quòd famem arceat. Tradit enim Solinus fruticem hunc in Creta nasci, mirabili effectu, quòd eo admorso faxes aliquandiu nulla sentiatur. Vidi Dioscoridem lib. 1. Theophrast. lib. 4. cap. 5.*

Acervus salis. Heb. מכרה מלח, quæ Chaldæus reddit, *Fodinæ salis*, quia כרה est *fodere.* Talmudicis tamen כרי est *acervus*, & כרון *acervi* Exod. 8. v. 10. in paraphrasibus Chaldaicis Jonathanis, & Jerusalem. Dicitur autem *salis fodina*, seu *salis acervus* Hebræâ phrasi terra, quæ nihil gignit, & in totum sterilis est, quia salsugo terram defrugat. Plinius lib. 31. cap. 7. *Omnis locus, in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit.* Virgil. 2. Georg.

Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
(Frugibus infelix ea, nec mansuescit arando:
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat.)

Hinc Deut. 29. v. 23. Deus Israëlitis prævaricantibus minatur, sulphure & sale exustum iri totam ipsorum terram sicut factum in subversione Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, & Seboim, *ita ut ultrà non seratur, nec virens quippiam germinet.*

Reliquiæ,

Reliquiæ, &c. Id est, qui ex gente mea restituti fuerint post captivitatem Babylonicam, vastabunt eos, bonáque & facultates eorum diripient. Quod factum esse sub Machabæis patet ex lib. 1. Mac. cap. 5. v. 6. & Joseph. 13. Antiq. cap. 22, & 23.

10. *Hoc*, &c. Inculcat hæc omnia mala Moabitis & Ammonitis esse eventura, quòd superbiloquentiâ & contumeliis insultaverint populo Dei.

11. *Horribilis*, &c. Id est, terribilem Dominus de Moabitis & Ammonitis vindictam sumet, paulatimque ac sensim omnia gentium idola diruet, ut adoret eum suæ quisque domi sedens, ubique gentium, sive continentem terram, sive insularem incolat.

Viri. Hebraismus, id est, singuli quique.

Omnes insulæ gentium. Hebræi insulas vocitant omnes regiones, ad quas itur navi.

12. *Æthiopes.* Heb. כושים, *Chusæi*, qui Æthiopiam Orientalem incolebant. Vide quæ diximus in Amos 9. v. 7.

Gladio meo. Gladium suum vocat Deus gladium servi sui Nabuchodonosori, vel ipsum Nabuchodonosorum, quomodo dicitur Es. 10. v. 5. *Assur virga furoris mei.*

13. *Extendet.* Scilicet Nabuchodonosor.

Super Aquilonem. Nempe, respectu Judææ.

Perdet Assur, &c. Q. d. Assyriam universam, quæ ad Judææ Aquilonem sita est, cum ipsius Metropoli Ninive desolabit, & ad id rediget miseriarum, ut semper sit horridum desertum, solis bestiis idoneum.

Speciosam. Id est, Niniven, cujus nomínis impretationem pro ipso nomine Vulgata exhibet, more sibi perfamiliari.

14. *Greges.* Id est, buceriæ & oviariæ.

Omnes bestiæ gentium. Id est, omnigenæ bestiæ ad hominum usus ali, conservarique solitæ.

Onocrotalus. Heb. קאת *Kaath*, à verbo קאה *Kaah*, *vomere*, quâ voce significari Pelicanum, qui conchas jam absorptas revomit, postquam calore ventris apertæ sunt, ut ex iis esculenta legat; & ardeam, de qua Plutarchus & Ælianus idem narrant, præcipuè stellarem, probat clarissimus Bochartus Hierozoici part. 2. lib. 2. cap. 4. cùm avis onocrotalus pelicano similis & congener Hebraicè dicatur כוס *Chos*, ut idem Bochartus probat ibidem cap. 20. Porrò quisquis in Psalmos edidit commentaria sub Hieronymi nomine ait in Ps. 101. *Duo genera esse horum volatilium, quorum unum in aquis est, & ejus esca pisces sunt: & unum in solitudine, & esca ejus venenata animalia, hoc est, serpentes, & crocodili, & lacertæ.* Utut est, falluntur qui putant aquaticis avibus,

avibus, quales ſunt pelicanus, & ardea ſtellaris, ſeu butio, nuſquam eſſe in deſertis commodam habitationem, cùm non omne deſertum ſit inaquoſum. In intimis Marmaricæ, quæ regio maximè deſerta eſt, ponuntur à Ptolemæo paludes Cleartis, Lacci, & Lycomedis. In Arabiæ deſertis Iſraëlitæ inciderunt in aquas Mara, & fontes Elim, Exod. 15.

Ericius. Heb. קִפּוֹד, *Kippod* ab inuſitato קָנְפַּד, *Kanphad*, quæ vox *ſpiculis amictum* ſonat, ex קָנָה, *Kana*, *ſpiculum*, & אָפַד *Aphad*, *amicire*. Hoc quippe animal ſpinis & aculeis tanquam ſpiculis amictum & circumvallatum eſt, quos impunè nemo attigerit, adeóque ab omni aliorum animalium ſocietate prohibetur. *Quod ſi nomine Kippod*, inquit eruditiſſimus Bochartus Hierozoici part. 1. lib. 3. cap. 26. *hyſtricem intelligamus, quem ſub eodem cum herinaceo genere, contineri ex veteribus probavimus, res videbitur eò magis ad horrorem comparata, ſi Prophetæ minentur fore ut populoſæ urbes, quales in Chaldæis Babylon, in Aſſyriis Nineve, & Botſra in Idumæis, hyſtricibus in hereditatem cedant. Hyſtrix enim hericio & major, & ferocior eſt, & propter miſſiles ſpinas, quas in canes & venatores certo deſinatóque ictu vibrat, longè terribilior.* Porrò Sophonias animalia toto genere diverſa ſimul in unum congerit, quia hoc ipſum magis afficit lectorem, auditorémve, cùm in deſcriptione Vaſtitatis quæ horrificant confuſanco ordine proponuntur.

In liminibus ejus. Heb. בִּכְפְתֹרֶיהָ, *in pomis*, ſeu *malogranatis ejus.* Cùm autem poma & malogranata ſculpi ſoleant in tabulatis & ſuperliminaribus, alii hîc ex Hebræo reddunt, *In tabulatis*, alii, *In ſuperliminaribus.*

Vox cantantis in feneſtra. Id eſt, vox avium deſerta loca quærentium reſonabit è feneſtra.

Corvus in ſuperliminari. Heb. חֹרֵב בַּסַּף, *vaſtitas in limine*, ſupple, erit. *In Hebræo*, inquit Hieronymus, *ponitur* חֹרֵב, *quod ſecundum lectionis diverſitatem vel ſiccitas, vel gladius, vel corvus accipitur.* Quaſi idem ſint חֹרֵב, & עֹרֵב, quod Hieronymo nullus conceſſerit. Nam עֹרֵב per *Ajin* & *Cholem* corvum ſonat: ſed חֹרֵב per *Cheth* & *Cholem*, quomodo hîc apud Sophoniam in textu Hebræo ſcribitur, ſiccitatem & vaſtitatem ſignificat. Sin verò legatur חָרֵב per *Cheth* & *Segol*, gladium denotat, quomodo reddunt Syrus & Aquila.

Quoniam attenuabo robur ejus. Heb. כִּי אַרְזָהּ עָרָה, *quoniam cedrus*, (id eſt, cedrina tabulatio) *ejus nudata.* Tabulato, ſeu tecto ablato neceſſe eſt reliquas domûs partes ventis & imbribus expoſitas labefactari, proindéque ab hominibus deſeri, & in ſedes avium ſolitariarum relinqui.

Robur.

Robur. Roboris nomen cedri genus firmissimum, & diuturnum, quod Hebraicè dicitur אֹרֶן, exponit Arias Montanus.

15. *Hæc est*, &c. Q. d. Excidium tuum, O Ninive, Sibilabit viator, & gesticulatione manûs demonstrabit dicens, Quomodo hæc civitas, quæ divitiarum nomine gloriabatur & insolescebat, & præfidens viribus suis invictam se arbitrabatur, ceteráſque urbes omnes sibi comparatas vix urbium nomen mereri sibi persuadebat; quomodo, inquam, hæc civitas frequentissima, & potentissima in eam redacta est solitudinem, ut in cubile bestiarum cesserit?

CAPUT III.

1. VÆ, &c. Postquam de aliarum gentium ruinis disseruit Vates, ad Jerusalem suas minas convertit, cò quòd multis calamitatibus & periculis liberata, & redemta, suo tamen vitio clementem & pronum ad misericordiam Dominum provocâret, & irritaret, ut qui vellet misereri, punire quodam modo compelleretur.

Provocatrix. Heb. מוראה, *horrendum in modum fœdata.*

Et redemta. Heb. ונגאלה, *& coinquinata.*

Columba. Alii vertunt, Opprimens. Vox Hebræa יונה & columbam, & opprimentem significare potest. Scholia Hebraica monent Jerusalem hîc dici columbam ratione vecordiæ, quomodo Osee 7. v. 11. Ephraim dicitur *factus quasi columba non habens cor.* Rabbi Azarias in libro inscripto *Meor enajin*, cap. 21. putat Jerusalem vocari columbam, quasi Propheta eam arguat, quòd in operibus suis Babyloni sit haud absimilis; quia Babylonium signum militare in vexillis erat columba.

2. *Non audivit*, &c. Hoc est, non auscultat voci doctorum suorum, nec patitur se instituì aut erudiri; prementibus malis non est confisa in Domino Deo suo; nec ad eum confugit.

3. *Principes*, &c. Id est, Dynastæ Jerusalem leonum instar terrifico rugitu omnium bonis inhiant.

Judices, &c. Q. d. Megistanes seu magnates ejusdem Jerusalem tanquam lupæ uberibus alti luporum animos habent

bent *inexplebiles ſanguinis, atque imperii, divitiarúmque avidos ac jejunos*, uti Mithridates de Romanis loquitur apud Juſtinum lib. 38.

Lupi veſpere, &c. Id eſt, lupis frendentibus ſimiles, qui ſub noctem in prædam graſſantur, eámque ita abſumunt, ut ad matutinum tempus ne oſſa quidem relinquant. Neque obſtat quòd Gen. 49. v. 27. legitur lupus manè comedere prædam. Nam de veſpertina præda Sophonias, de antelucana Moſes agit; utrumque enim tempus rapiendo pecori obſervant, ut videre eſt apud clariſſimum Bochartum Hierozoici par. 1. lib. 3. cap. 10. Deinde non rarò lupus venatur tam multam prædam veſperè, ut ad matutinum uſque tempus prædæ partem vel invitus relinquat, quia per ventris anguſtias non licet totam nocte abſumere. Proindè apud Arabes *Chathala* de lupo eſt, *prædæ partem ſeponere, & ſibi recondere*. Ita Alcamus Lexicographus Arabs. Tamen ab iiſdem lupus *helluo* appellatur, & famelicus quiſquis eſt, vulgari proverbio dicitur eſſe *lupo avidior*. Neque id latuit Poëtas, qui lupos paſſim *avidos*, atque *inſatiabiles* nominitant. Statius Thebaid. lib. 11. verſu 30.

Tunc avidi venêre lupi. ———

Ovidius lib. 2. Faſtorum,

Sæpè avidum fugiens reſtitit agna lupum.

Et in Ibin,

Déque tuo fiet, licèt hac ſis laude ſuperbus,
Inſatiabilibus corpore rixa lupis.

4. *Prophetæ ejus veſani.* Heb. פוחזים, id eſt, Plantavitio interprete, *viles & contemtibiles ob levitatem animi.*

Viri infideles. Heb. אנשי בוגדות, *viri prævaricationum*, hoc eſt, omnium perfidioſiſſimi.

Polluerunt ſanctum. Id eſt, Templum.

Injuſtè egerunt contra Legem. Heb. חמסו תורה, *contemſêre Legem vim inferendo*, id eſt, violenter eam in pravum ſenſum detorquendo.

5. *Dominus*, &c. Q. d. Dominus quidem ab iniquitate abhorrens non deſtitit ſuſcitare intra Jeroſolymam Prophetas, qui populo judicia ipſius ipſo perſpicaciùs ſole manifeſtârent, ſed fruſtrà; nam frons mulieris meretricis facta eſt huic populo, ut eum impietatis ſuæ neque pudeat, neque tædeat.

Mane, mane. Hoc eſt, quotidiè, ſine intermiſſione.

Judicium ſuum dabit in lucem. Id eſt, palàm per Prophetas ſuos ſua revelavit judicia.

Non

Non abſcondetur. Heb. לא נעדר, *non defuit*, id eſt, non deſtitit abſcondita ſua judicia propalare.

6. *Diſperdidi*, &c. Q. d. Exteras gentes excîdi, ſtupendâ deſolatione pyrgos, ſeu turres earum dirui, civitates earum pervaſtavi, adeo ut nullus ibi verſetur, nec illac tranſeat.

Anguli earum. Sunt qui per *angulos* hîc intelligant *primores*, qui ut anguli molem ædificii, ſic ipſi Rem-publicam ſuſtinent, & quaſi fulciunt.

7. *Dixi*, &c. Q. d. Tam ſeverè in exterorum noxiam vindicavi, ut metu pœnæ ſimilis abſterreris cândem noxiâ, ô Jeruſalem, neque ſubvertereris cùm in peccata tua animadvertero. Aſt adeò ne ſeveriſſimi quidem in exteros judicii exemplis à malefaciendo deterrita es, ut continuè ac ſtudioſiſſimè omnes actiones, cogitationéſque tuas depravares & corrumperes.

Habitaculum ejus. Scilicet, Jeroſolymæ. Eſt enim pronomen affixum fœmininum in textu Hebræo. Dicendum autem fuiſſet, *Habitaculum tuum*; verùm non eſt inſolens in ſacris literis, dum quempiam affantur, ſubitò mutari perſonam, quaſi alìo converteretur oratio.

8. *Quapropter*, &c. Apoſtrophe ad pios, q. d. Quandoquidem ſalus iſtius urbis Jeruſalem eſt perdita, vos ſaltem, quorum animis adhæret pietas, Videte, inquit Deus, ut temporarium illius excidium patienter feratis, ſpémque veſtram in me collocetis, donec illuceſcat ille dies, quo gentes ſum perpopulaturus; ſtatutum enim eſt in judicio meo, ubi ſævierit ignis inſtar zelus meus in Judæam, in gentes in unum collectas, & congregatas effundere totum æstum iræ meæ. B. Cyrillus Alexandrinus hæc de Chaldæis poſt captivitatem Babylonicam Judæorum delendis intelligit.

In futurum. Heb. לעד, *ad ſpolium.*

Omnem iram furoris mei. Furoris & iræ nominibus nulla intelligenda eſt in Deo perturbatio, *ſed judicium, quo irrogatur pœna peccato*, ut loquitur Aug. de civ. Dei lib. 15. cap. 25. Idem in Enchiridio cap. 33. *Cùm Deus iraſcitur, non ejus ſignificatur perturbatio, qualis eſt in animo iraſcentis hominis; ſed ex humanis motibus tranſlato vocabulo, vindicta ejus, quæ non niſi juſta eſt, iræ nomen accipit.* Similiter furor & zelus dicitur providentia illa Dei, quâ ſeverè vindicat in peccatores, qui non reſipuerint.

9. *Tunc*, &c. Q. d. Cùm ſupplicium ſumſero de gentibus, convertam populos, qui reliqui erunt ex publica clade, ſeu populos Judæorum, id eſt, duodecim tribus, ut de Deo caſtè ſentiant, ac loquantur, ſummóque conſenſu in ſanctum, religioſúmque ipſius cultum conſpirent.

Labium

Labium electum. Id est, optimum vitæ institutum. Simili phrasi Seneca dixit Epist. 13. *Non loquor tecum Stoicâ linguâ*, hoc est, secundum instituta, & præcepta Stoicorum.

Humero uno. Proverbialis locutio, quâ exprimitur unus consensus, sumta à bobus, paribus humeris jugum idem trahentibus.

10. *Ultra flumina Æthiopiæ.* Scilicet, Orientalis, quæ aliter dicitur Arabia Chusæa, cujus flumina sunt Besor in mare Mediterraneum, Rhinocoruræ torrens in lacum Sirbonidem, Trajanus amnis in mare Rubrum ad Heroum urbem influens; & Corys è quo Regem Arabum tres aquarum elices in viam deduxisse, quâ è Babylone in Ægyptum ivit Cambyses, testatur Herodotus in Thalia lib. 3. cap. 9. Trans hæc flumina describitur Ægyptus Es. 18. v. 1.

Inde supplices mei, &c. Q. d. Qui dispersi fuerant per loca, quæ sunt trans flumina Arabiæ Chusææ, seu per Ægyptum, inde omni fastu depositò revertentur mihi supplicantes & fertum deferentes.

11. *In die,* &c. Hoc est, cùm è regionibus, quæ sunt ultra flumina Æthiopiæ Orientalis, fueris reversus, nihil, ô populecte, cujus te pudeat, committes, quomodo antehac commisisti; auferámque è medio tui magniloquos superbiæ in monte sancto meo, id est, superbiloquos, qui jactant Jerosolymam, & possessionem montis Sion, in quo erat Templum sanctum Domino. Huc facit illud Ezech. 24. v. 21. *Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperii vestri.*

12. *Populum pauperem & egenum.* Non cui res angusta domi, sed mansuetum & humilem, qui non sit magniloquus superbiæ Israël.

Et sperabunt in nomine Domini. Q. d. Hi spem, fiduciámque suam, non in Templo, aut in metropoli sua Jerusalem collocabunt, sed in Domino, sub cujus præsidio, tuteláque latebunt,

13. *Quoniam,* &c. Q. d. Etenim à pastore pastorum omnium providentissimo, & vigilantissimo hostium insidiæ ita vel arcebuntur, vel elidentur, ut instar ovium à lupis tutarum reliquiæ Israëlis securè accubent.

14. *Lauda,* &c. Id est, O Ecclesia Sion, seu Jerusalem exulta, & exultabunda Dei erga te beneficientiam prædica.

15. *Judicium tuum,* &c. Q. d. Supplicium tibi debitum Deus avertit, tuósque subvertit inimicos, & te adversus omnia pericula tutam præstat ipsius præsentia.

16. *Dicetur.* Scilicet. à Prophetis.

Non

Non dissolvantur. Id est, debilitentur præ mœrore.

17. *Dominus,* &c. Q. d. Deus enim tuus, ô Jerusalem, exeret virtutem suam præfortiter in medio tui, sospitati tuæ invigilabit, prægestiens in suo erga te amore conquiescet, suúmque gaudium te canendo testabitur.

18. *Nugas,* &c. Nugæ appellantur propriè carmina præficarum, quæ canebantur in mortuorum laudem, teste Scaligero in Varronem. Hîc autem *nugæ* dicuntur mœrentes, qui nugas canunt, quâ figurâ scelestus dicitur *scelus,* & dolosus *dolus.* Advertit autem hîc B. Hieronymus à se ipsum vocabulum Hebræum נוגי *nugæ,* quod mœstos significat, retentum in versione Latina, *ut nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem.*

Qui à Lege recesserant. Heb. pro his verbis habetur unica vox, מִמּוֹעֵד, *ob solemnitatem.* Sensus itaque præsentis versiculi est idem ac si dicatur, Mœrentes, quòd juxta Legis edictum ter quotannis Jerosolymam ad festa solemnia itare nequeant, congregabo quia ex civibus tuis sunt, & reducam in patrium solum, ne tibi ultrà gentes objiciant ut probrum, quòd exules & captivi solemnitates suas ritu à Lege præscripto celebrare non possint.

19. *Ecce,* &c. Q. d. Quinimò, afflictis afflictoribus tuis, salvam salutem præstabo claudicanti, id est, miseram vitam in exilio degenti, & extorrem patriis sedibus restituam, efficiámque ut omnes ipsius cives dilaudentur, & celebrescant iisdem in locis, ubi captivi & exules probra pudenda pertulerunt.

20. *In tempore illo,* &c. Q. d. Ita profectò, ô Judæi, cùm captivas turbas vestras reduxero in patriam, quod sanè vobis videntibus palàm præstiturus sum, ab omnibus populis, apud quos captivi oberrâstis summo cum dedecore, nomen vestrum percelebrabitur. Vide quæ diximus in Joël 3. v. 20. & in Amos 9. v. 15.

FINIS.

TAG-

AGGÆI PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

AGgæus Babylone natus, peradolescens Jerosolymam petit, negligentiam Judæorum in extruendo Templo reprehendit: continuam agrorum sterilitatem, ceteráſque quas hucusque è captivitate Babylonica reduces perpessi fuerant plagas, ob opus Dei neglectum accidisse declarans, & erroris emendationem seriò urgens. Unde excitati Zorobabel Judæorum Præses, Jesu, seu Josua summus Sacerdos, populúsque reliquus; intermissum opus repetunt. Eos Aggæus promissione præsentiæ divinæ in opere confirmat: & licet in oculis eorum, qui prius Templum conspexerant, initia ista admodum despicabilia viderentur; desideratissimi tamen Messiæ, hîc primùm sistendi, pacísque hinc ab eo in omnes gentes propagandæ ratione habitâ, hujus Templi gloriam prioris illius longè excellentiorem futuram prænunciat. Plagarum hucusque maledicto populo inflictarum cessationem, regnorum eversionem, & Zorobabelis exaltationem prædicit. Structurâ Templi finitâ, Aggæus omnium primus ibi cecinisse dicitur canticum *Halleluja*. Mortuus proditur Hierosolymis annis quinquaginta post exitum è Babylone, IV. Nonas Quintiles, si Martyrologio Romano est fides habenda. Ad Sacerdotum Sepulchra tumulatum, Isidorus, Epiphanius, & Pseudo-Dorotheus attestantur.

CAPUT

CAPUT I.

1. *IN anno ſecundo Darii.* Hic tertius Perſarum Monarcha natione Perſa fuit, filius Hyſtaſpidis Perſarum Præfecti, à Cyro genere paterno oriundi.

Menſe ſexto. Is eſt Elul, Auguſto ex parte reſpondens. Sextus autem dicitur ſubducto calculo à Niſan anni eccleſiaſtici menſe primo, à quo ſolitos fuiſſe calculum ordiri Judæos indicat Zacharias cap. 1. v. 7. & cap. 7. v. 1.

Die unâ. Hebraiſmus, id eſt, primâ.

In manu Aggæi. Hoc eſt, miniſterio & operâ Aggæi. Sic Act. 7. v. 35. ὐ χειρὶ ἀγγέλου, Vulgat. *cum manu angeli*, id eſt, ductu angeli.

Zorobabel. Hic naturâ fuit filius Phadaiæ, & Lege Salathielis: ſeu quia Zorobabel ſucceſſor fuerit Salathielis, mortuo ſcilicet Phadaia ante Salathielem ſuum patruum; ſeu quia à patruo Salathiele fuit adoptatus; ſeu denique quia mortuo Salathiele Phadaias ex ejus uxore Zorobabelem genuit jure leviratûs. Atque ita 1 par. 3. v. 19. Phadaiæ filius dicitur, cùm apud Eſdram, Aggæum & Evangeliſtas vocetur Salathielis filius. Non eſt itaque neceſſe ut duos ſtatuamus Zorobabeles, quorum alter ſit Phadaiæ filius, alter Salathielis, ut rebar ſcribens in Mat. 1. v. 12. Porrò unius ejuſdémque Zorobabelis tres diverſas lineas exhibet Scriptura: unam 1 Paralip. 3. ejus filiorum, quorum progenies fuit præclara, & ex quibus gubernatores ac duces aliquot ſeculis Judæorum genti Babylone reduci ſunt præpoſiti. In novo verò Teſtamento proponuntur duæ lineæ ejuſdem Zorobabelis, una Abiud, Mat. 1. altera Reſæ, Luc. 3. qui duo Zorobabelis fuerunt filii, ſed homines privati, quorum vita inter populum obſcura, & paupercula, proptereáque aut ab ore Paralipomenôn omiſſa. Quod præter 1 Par. 3. nominatos Zorobabel habuerit filium Abiud & Reſam, quorum lineæ ad Joſephum virum Mariæ, de qua natus eſt Chriſtus, derivatæ ſunt, nemo dubitat, qui divinam Evangelio Matthæi & Lucæ aſcribit autoritatem. Quòd etiam Abiud & Reſa fuerint viri obſcuri, altum de iis apud omnes autores ſacros & prophanos ſilentium demonſtrat; & quòd pauperculi, parvæ admodum Joſephi & Mariæ ab illis in linea recta & legitima oriundorum fortunæ probant. Quòd autem hæc obſcuritas & paupertas vera cauſa fuerit, cur à Scriptore Paralipomenôn præteriti ſint, certò ſciri non poteſt; pro conjectura tamen

men valde probabili potest accipi, donec alia probabilior alicunde compareat.

Salathiel. Hic 1 Par. seu Chron. 3. v. 17. Jechoniæ Asir filius dicitur, ubi *Asir* non est nomen proprium, sed appellativum, denotans Jechoniæ statum in vinculis & captivitate. Jechonias itaque *Asir*, id est, vinctus, seu captivus & in Babyloniam deportatus genuit Salathielem, & Phadaiam, & quinque alios, qui loco laudato Paralip. recensentur. Cùm autem hic Salathiel Jechoniæ filius patrem habuisse Neri dicatur Luc. 3. v. 27. oportet eum habuisse duos patres legalem scilicet, & naturalem, quorum alter descendit à Davide per Nathanem, alter verò per Salomonem. Porrò nihil frequentius tam apud Judæos, quàm gentes quascunque unum hominem duos habere patres, hunc secundum naturam, illum secundum legem; imò verò omnes filii adoptati duos ejusmodi patres habeant necesse est. Ita Manasses & Ephraim fuere solius Josephi filii naturales, sed Jacobi legales per adoptionem, in omnia jura filiorum, tanquam Ruben, Juda, aut alii quicunque à Jacobo geniti. Moses naturalem habuit matrem solam Jochabed, sed præter eam legalis ei mater evasit filia Pharaonis; à qua adoptatus est in filium. Davidis avus Obed naturalem patrem habuit Booz, sed legalem etiam Mahalon maritum priorem suæ matris Ruth, cui maritus posterior Booz post mortem secundum Legem suscitavit semen. Augustus Cæsar Octavii solius fuit filius naturâ, sed lege Romanorum adoptivus filius factus est Julii Cæsaris magni sui avunculi, nimirum suæ per matrem Attiam aviæ fratris.

2. *Hæc*, &c. Q. d. Per me in hæc verba vos alloquitur Dominus.

Populus iste. Non ut olim *populus meus*, sed *populus iste*, ac si populum demonstraret alium, quàm suum. Neque enim meretur dici populus Dei, qui, neglecto ipsius cultu, rei faciendæ, & accumulandis opibus totus incumbit.

3. *Factum est verbum Domini.* Supple, ad populum. Vide quæ adnotavimus Joël 1. v. 2.

In manu Aggæi. Hoc est, per Aggæum.

4. *Nunquid*, &c. Q. d. Quî fit ut tempus idoneum & opportunum judicetis ad laqueatas deliciis domos vobis extruendas, cùm illud vobis videatur inopportunum ad superstruendum fundamentis, primis & imperfectis Templi jactis 1 Esd. 3. v. 10, 11, & 12. anno secundo Cyri monarchiæ Babylonicæ? Ab eo enim anno, qui Cyri monarchiæ Babylonicæ secundus, & ejus regni Persici vigesimus secundus, vel vigesimus quartus, ante ipsius mortem sextus vel octavus perhiberi solet, ab eo, inquam, anno ad annum secundum Darii Hystaspis, hoc est, undeviginti annis,

cœpta

cœpta Cyri edicto Templi instauratio quasi deserta jacuit. Hostes quippe populi Dei, omnibus diebus Cyri, dum ipse scilicet aliis intentus erat, ac Massagetarum bello implicitus, reædificationem Templi edictam urgere non poterat, ejusdem Cyri consiliarios largitionibus corruperunt, & Judæis impedimento fuerunt. Cùm verò Cambyses Cyri filius & successor qui 1 Esd. 4. v. 6. vocatur *Assuerus*, regnare cœpisset, hostes illi, qui sub Cyro clanculùm tantùm egerant, ut impedirent opus ab eo jussum, jam apertis accusationibus petierunt, ac demum Cambyse mortuo, ad Smerdim Magum, qui à Ctesia *Tanyoxares*, & 1 Esd. 4. *Artaxerxes* appellatur, monarchiæ Persarum invasorem scripserunt: Ille verò cùm nihil nisi de regno suo stabiliendo cogitaret, benignè rescripsit præfectis provinciarum, qui Judæorum hostes erant, eis concedens quicquid postulâssent. Etenim, ut novi solent tyranni, omnium captabat benevolentiam. Quod etiam satis declarat Herodotus lib. 3. cap. 67. Non desunt tamen, qui velint non ad Smerdim Magum, sed ad ipsum Cambysem litteras fuisse datas, ipsúmque vocari loco laudato Esdræ Assuerum & Artaxerxem, qui contra patris sui Cyri edictum Dei Templum strui vetuit. Nam אחשורוש, nihil aliud significat, quàm magnum ducem, ab אחש *ahash*, magnus, *vau*, &, ac *rosh* caput. Artaxerxes autem ferè idem significat, magnum scilicet bellatorem, ab *art*, Magnus, & *Xerxes* ἄρειος, bellator, Cambyses verò fuit magnus dux, & bellator, nam totam Ægyptum suis armis subegit. Utut est, Mago brevî sublato successit Darius Hystapis, cujus regni anno secundo Judæi, adhortantibus Aggæo, & Zacharia Prophetis, intermissum Templi ædificium resumunt, atque fundamentis primis & imperfectis in diebus Cyri jactis, secunda superstruunt Agg. 2. v. 19. fundamenta completa & perfecta; & cùm denuò apud novos regios præfectos accusarentur, sic causam suam tuentur, ut omni re ad Darium Hystaspis delatâ, novo edicto edicti à Cyro editi confirmationem obtinerent. Judæis itaque in ædificio Templi perficiendo prosperè procedentibus, finita est tandem ejus structura anno Darii Hystaspis sexto. Artaxerxes verò Longimanus Darii Hystaspis nepos, Persarum omnium post Cyrum & Darium Hystaspis Princeps erga Judæos benignissimus multa ornamenta & additamenta tam intùs, quàm extra in ædibus adhærentibus, & vicinis Templo adjungi mandavit, 1 Esd. 7. Atque ita 1 Esd. 6. v. 14. Templum dicitur extructum mandato Cyri, Darii, scilicet Hystaspis, & Artaxerxis nimirum Longimani, à quo Esdras & Nehemias multa donaria, & benigna decreta Judæis impetrarunt. Lavaterus tamen putat loco mox laudato Esdræ particulam *Et* sumi *explicativè*, q. d. Templum ædificatum Jubente Cyro, & Dario, qui

 cogno-

cognominatur Artaxerxes. Hinc ſtatim ſequitur ibidem v. 15. Templum Dei fuiſſe perfectum anno ſexto Darii nimirùm Hyſtaſpis, qui cùm primus fuerit hujus nominis inter Perſarum Reges, Scriptura Darium ſine addito ipſum nominitat.

5. *Ponite*, &c. Q. d. Studia, negotia, opera veſtra conſiderate, ut ex iis iratum eſſe vobis Deum intelligatis.

6. *Seminaſtis*, &c. Q. d. Nihil procedit eorum, quæ tentatis; ſeminaſtis enim multa, & minimam fructuum meſſem demeſſuiſtis; comedendo non potuiſtis ſatiari, neque bibendo ſitim explere; circumamicti non concaluiſtis, nec plus vobis profuêre res induſtriâ & labore partæ, quàm ſi partas loculo pertuſo indidiſſetis.

7. *Hæc*, &c. Q. d. Dominus itaque præcipit vobis, ut expendentes vitæ veſtræ inſtitutum, negligentiam in extruendo ipſius Templo deponatis, cùm tot ac tam graves vobis plagas importaverit.

8. *Aſcendite*, &c. Q. d. Advecta ligna ex Libano portate in montem Sion, & reſumite intermiſſum Templi ædificium; hoc quippe Templum gratum, acceptúmque erit mihi, qui in eo ſum honorandus.

Glorificabor. Heb. אכבד, *honorabor*, ſcribitur hîc ſine littera *He*, quæ addi ſolet vocibus futuri per Paragogen. Quia verò iſta littera *He* in numeris deſignat quinque, Hebræi, ut ſunt in fabulis comminiſcendis audaces, per hunc defectum deſignari aſſerunt quinque res in ſecundo Templo deſideratas, quæ prius Templum inſigniebant. Sunt autem ut habetur in *Sepher Amana* cap. 6. Sect. 70. arca cum propitiatorio & Cherubinis, ignis ſacer, שכינה, id eſt, divinæ majeſtatis præſentia, Spiritus ſanctus, urim & thummim. Cùm autem propitiatorium nihil aliud fuerit, quàm arcæ operculum, cui Cherubini erant inſculpti, arcæ nomine continentur propitiatorium & Cherubini, veluti ejuſdem appendices; unde Hebræi, dum enumerant res quinque, quibus orbatum fuerit Templum ſecundum, arcam nominâſſe contenti, nihil de propitiatorio & Cherubinis addere ſolent. Utut verò Hebræi ferè omnes magno conſenſu tradunt in poſteriori Templo defuiſſe ignem illum ſacrum è cœlo delapſum, qui inextinctus ſervabatur à ſacerdotibus juxta præceptum Levit. 6. v. 12, & 13. Non tamen deſunt, qui etiam poſt captivitatem Babylonicam arſiſſe, & uſque ad ſecundi Templi excidium durâſſe velint. Certè 2 Mac. 1. v. 19. leguntur pii ſacerdotes ante transmigrationem Babylonis ignem altaris in puteo quodam arido abſcondiſſe, & poſt redditum è captivitate miſſi à Nehemia nepotes illorum ſacerdotum ad requirendum ignem abſconditum, non inve-

inveniſſe ignem, ſed aquam craſſam, quâ cùm aſperſæ fuiſſent victimæ, ſole illucescente, *accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* Spurius quoque Joſephus Hiſt. Jud. lib. 1. cap. 17. eundem ignem narrat à Jeremia in puteo quodam infoſſum, è quo cùm Eſdræ juſſu ſacerdotes aquam pinguem & mellis in modum denſam pugillis ſuis hauſiſſent, & ſuper altare ſparſiſſent, tantum ignem ſubitò exarſiſſe, ut fugere coacti ſint, nec holocauſtum & ligna tantummodò combuſſiſſe, ſed & totum Templum, & vaſa ejus luſtrâſſe. Hæc Joſephus Ben-Gorion.

9. *Reſpexiſtis*, &c. Id eſt, cùm uberiores fructus ex agris ſperaretis, minùs in horrea intuliſtis, & hoc ipſum exuſſavi, & in nihilum redegi, quia diſtuliſtis ædificare domum meam, ut propriis commodis inſerviretis.

10. *Prohibiti.* &c. Id eſt, Hieronymo interprete, *Non ſolùm cœli pluvias non dederunt, quibus irrigata humus fruges facit, ſed ne rorem quidem matutinum, atque nocturnum, ut arentes agri ſaltem humore modico temperarentur. Terra quoque devoravit, agricolis non redditura, ſementem, & quæ ſpinè ſolet gignere, avaro ſinu tenuit.*

11. *Vocavi.* Id eſt, induxi, invexi.

Siccitatem. Id eſt, vaſtitatem, & deſolationem.

Super terram. Hoc eſt, ſuper campos jacentes. Induxerat ergo Deus vaſtitatem ſuper omnia, quia ipſe omnium conditor negligebatur, dum ceſſatum eſt à Templi ædificio, ut ſuis quiſque ſtudiis inſerviret.

12. *Et audivit*, &c. Q. d. Hortatu Aggæi Prophetæ à Deo miſſi divino præcepto de reſtauratione Templi parent populi dux, ſummus ſacerdos, ipſéque populus univerſus, Deum timentes, judiciáque ejus.

13. *Nuncius Domini.* In antiquis editionibus nonnullis eſt, *angelus Domini.* Quæ verſio quibuſdam erroneè perſuaſit Aggæum fuiſſe angelum naturâ, & ob diſpenſationem, & juſſionem Dei aſſumſiſſe humanum corpus, & inter homines converſatum; cùm angelus Domini nihil aliud hîc ſit, quàm legatus voluntatem Domini populo annuntians, quo ſenſu & quivis ſacerdos dicitur *angelus Domini*, Malach. 2. v. 6.

De nunciis. Heb. בְּמַלְאֲכוּת, *in legatione Domini.* Hoc eſt, cùm legatus à Deo peculiariter conſtitutus fuiſſet ad populum.

Ego vobiſcum ſum. Id eſt, adſum vobis, ut cœptum & redintegratum opus perficiatis, me autore & duce, ac invitis omnibus adverſariis veſtris.

14. *Et ſuſcitavit*, &c. Q. d. Hácque voce Prophetæ ſui concitatiores omnium animos reddidit Deus, ut ſerio ſedulóque in Templi reſtaurationem incumberent.

CAPUT II.

1. *IN die vigesima*, &c. Hoc versu finitur caput primum secundum divisionem Hebræorum. Ergo Aggæus cœpit vaticinari die primâ mensis sexti anni secundi monarchiæ Babylonicæ Darii Hystaspis. Die autem vigesimâ quartâ ejusdem mensis, & anni, ut hîc dicitur, populus unà cum duce suo & summo sacerdote accingitur ad opus faciendum in domo Domini, hoc est, præparat diligenter quæcunque erant necessaria ad Templi structuram, quam tandem aggreditur die vigesimâ quartâ mensis noni, ut dicitur infrà v. 19.

2. *In septimo mense.* In *Thisri* dicitur, & partim Septembri, partim Octobri respondet.

4, *Quis*, &c. Nihil manifestius, quàm Aggæum interrogationibus suis supponere fuisse ex populo qui Templi prima & imperfecta fundamenta in diebus Cyri jacta ob ipsorum oculos obversantia cum conspecto à se Templi prioris splendore comparantes, posterioris Templi gloriam externam ad prioris despicabilem, & nullam judicarent futuram.

5. *Et nunc*, &c. Q. d. Nolite despondere animum propter tantilla Templi principia, ô Zorobabel, & Jesu fili Josedec, & universe hujus terræ populc, inquit Dominus exercituum. Quinimò resumite propere ædificationem Templi, nec quocunque prætextu diutiùs moras innectite; præsens enim erit vobis adjutorium meum, dicit Dominus, cui angeli, stellæ, & & quævis res creatæ ad nutum obsequuntur, & exercituum instar pro eo depugnant.

6. *Verbum*, &c. Ribera ait non posse hinc Trinitatis mysterium probari, quia pro *verbo* LXX. verterunt ῥῆμα, quod non solet Filii esse nomen, sed λόγος. Hebræum את הדבר, optimè reddit clarissimus Joannes Calvinus, *secundum verbum*, quod sequitur versio Anglicana reddens, *according to the word*. Sensus itaque hujus versiculi est idem ac si dicat: Viriliter vos gerite, præstabo enim quod olim pollicitus fui patribus vestris in ipso exitu Ægypti, & juxta pactum, quod tunc percussi vobiscum, cùm illud percuterem cum patribus vestris, spiritus meus ad finem usque in medio vestri continuabit.

Cùm egrederemini de terra Ægypti. More Scripturæ familiari facta parentum tribuuntur filiis.

Spiritus

Spiritus meus. Internam significat vim à Deo manantem, quâ corroboretur innata imbecilitas, & ad perficienda præcepta divina vires efficacissimæ, invictissimæque tribuuntur.

7. *Quia,* &c. Q. d. Paulisper durate, & ad breve tempus, inquit Dominus, quia cito concutiam cœlum, & universum terræ globum, qui constat mari & aridâ; hoc est, exeram incredibilem manus meæ potentiam.

8. *Et commovebo,* &c. Theodoretus hoc exponit litteraliter & historicè de gentibus Scythicis, quæ statim à Zorobabelis reditu ante Templum reædificatum à Judæorum hostibus pecuniâ & promissis attractæ cum maximis copiis in Judæam profectæ sunt, & omnia ea fecerunt, ac passæ sunt, quæ habet Ezechiel de Gog & Magog capitibus 38, & 39. Et certè Gog & Magog esse Scythicas gentes probat clarissimus Pochartus in suo Phaleg. lib. 3. cap. 13. etsi fateatur se non satis scire quando vaticinium Ezechielis de excidio gentis Gog & Magog fuerit impletum. Utut est, Theodoretus existimat illud impletum ante Templi secundi ædificationem, atque ex spoliis Gogi & Magogi Templum illud fuisse exædificatum. Alii existimant ad litteram hîc prædici fore ut gentes, quæ priùs Deum spernebant, sic trahantur arcano gratiæ impulsu, ut tamen liberè ad veram pietatem & religionem accedant, & quidem instructæ omnibus divitiis suis, ut se & sua omnia offerant Deo in sacrificium.

Et veniet desideratus cunctis gentibus. Heb. ad verbum, *Et venient desiderium omnium gentium,* Desiderium pro persona vel re desiderata sumi passim, probat Glassius in Rhetorica sacra Tract. 1. cap. 4. Num. 5. Quod autem numerus pluralis *venient* ponitur pro singulari *veniet,* est quia, ut idem clarissimus Glassius ait in Grammatica sacra lib. 3. Tract. 3. Can. 54. *Quando duo substantiva, quorum unum regit alterum, conjunguntur, tum verbum numero quandoque respondet posteriori, cùm deberet priori.* Hoc variorum exemplorum inductione comprobat. *Potest hoc duobus modis exponi,* ait clarissimus Joannes Calvinus, *vel quòd gentes accedent, & simul afferent quicquid pretiosum est, ut consecrent ad cultum Dei. Nam Hebræi desiderium vocant quicquid habetur in pretio: ita hoc nomine comprehendunt omnes divitias, honores, & delicias, & quicquid tale est* ——— *Sed possumus etiam intelligere de Christo, quod dicit: Desiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloriâ. Scimus enim Christum fuisse expectationem totius mundi, sicut etiam apud Jesaiam dicitur. Et optimè quadrabit hæc locutio, Ubi desiderium gentium advenerit, hoc est, ubi patefiet Christus, ad quem respicere debent omnium vota tunc illustrem fore secundi Templi gloriam: sed quia statim subjungitur, Meum argentum, & meum aurum, ideo simplicior erit*

sensus

ſenſus ille quem jam retuli, nempe venturas gentes, & quidem inſtructas omnibus divitiis, ut ſe & ſua omnia offerant Deo in ſacrificia.

9. *Meum eſt argentum*, &c. Q. d. Argento & auro, quo prius Templum fuit inſtructiſſimum, poſſum & iſtud ornare, cùm mea ſit terra & plenitudo ejus, inquit Dominus. Theodoretus vult hujus verſiculi ſenſum eſſe eundem, atque ſi dicat Deus ſe, cùm ex Gogi & Magogi ſpoliis Templum inſtaurat, non aliena in rem ſuam convertere, ſed recipere divitias liberaliter ab ipſo donatas, quia donorum largitorem ingrati non agnoverunt.

10. *Magna*, &c. Id eſt, Tantum vobis auri & argenti dabo in Templi fabricam, ut major ſit futura ipſius gloria, hoc eſt, opulentia, quàm fuerint divitiæ & facultates Templi prioris. Ita Hieronymus, Remigius, Haymo, Ribera, &c. *Dicuntur*, inquit Joannes Oecolampadius, *nonnunquam divitiæ & facultates Gloria, Eſa.* 16. *In tribus annis quaſi anni mercenarii auferetur gloria Moab. Et de illa quidem, ſi ad litteram loquaris, certum eſt multum auri & argenti fuiſſe in Templo ſecundo, ita ut cum Templo Salomonis contenderint.* B. Theodoretus ait, *Non magnitudine & pulchritudine ædificii dici Templum ſecundum fore illuſtrius priore, ſed conditione, & modo gentium acciſionis, cujus fama quaquaverſum pervagans, Dei omnipotentis robur declaravit. Quare commotionem cæli & terræ & maris id factum appellat*; *ſcilicet quòd omnes metu perterruiſſet, & rei miraculo excitati fuiſſent ad laudandum Deum, non ſoli continentem incolentes, & ad inſulas commorantes, ſed & inviſibiles poteſtates in æthere, & in cælo verſantes.* Hæc Theodoretus. Judæi dicunt gloriam poſterioris Templi dici majorem gloriâ prioris, duratione, donis, & pulchritudine. Nam prius Templum ſtetit annis 410. ſecundum 420. Præterea longe pluribus muneribus ſecundum Templum, quàm primum fuit dotatum ab exteris gentibus. Denique, *De externo ſplendore, qui Templo acceſſit ſumtibus Herodis reſtaurato*, inquit clariſſimus Joannes Druſius, *ſcribit Gorionis filius non fuiſſe ſimile ædificium in universo terrarum orbe. Nam ad vetera ornamenta addita fuit vitis aurea, quæ prælongis luxuriens ſarmentis, aureiſque omnia racemis, artis dexteritate vincebat ſui generis opera pretioſiſſima, & pondere æquabat libras auri mille. Item paries argenteus inter ædem & porticum ſpiſſitudine ſeſquipalmi, hoc eſt, dimidii* זרת, *Zereth, cum janua aurea, in cujus limine ſupero enſis erat librarum auri duodecim, inſcripta habens hæc verba,* הזר הקרב ומות, *Alienus quicunque acceſſerit, capitale eſto.* Calvinus contendit quicquid hîc dicitur ab Aggæo de futura ſecundi Templi gloria, referri debere ad ſpiritualium

donorum

donorum præstantiam, quæ apparuit Christo exhibito, & tamen adhuc nobis conspicua esse debet, sed per fidem : quia cæcutiunt profani homines ad ejus conspectum. *Et hoc,* inquit præclarè pro more Calvinus, *tenendum est, ne fabulemur cum crassis interpretibus, qui putant hoc aliqua ex parte fuisse præstitum ubi de integro Herodes novum Templum construxit. Nam etsi fuit sumtuosa illa structura, tamen dubium non est, quin diabolus conatus sit potiùs larvam objicere Judæis, ut desinerent sperare in Christum. Fortè etiam talis fuit Herodis astutia. Scimus enim fuisse duntaxat Semi-Judæum : Profitebatur se unum esse ex filiis Abrahæ, sed scimus tantùm pro suo commodo mores suos accommodasse Judæis. Ergo ne attenti essent ad Christum, potuit illis objicere fallax & inane spectaculum illud ut ferè obbrutescerent. Ceterùm, etiamsi hoc non venerit Herodi in mentem certè diabolus datâ operâ voluit hanc fallacem umbram obtrudere Judæis, ut desinerent erigere mentes suas ad sperandum Christi adventum, sicuti tempus tunc propinquum erat. Deus enim poterat statim ab initio Templum magnificum extruere : quemadmodum veditum permisit populo suo, ita simul potuit & animos dare, & suggerere materiam, ut Templum posterius vel æquaret, vel etiam superaret Templum Solomonis. Atqui edicto prohibuit Cyrus, ne in tantam altitudinem assurgeret Templum : Deinde aliquid etiam diminuit ex longitudine : cur hoc factum est ? deinde, cur Darius, qui tamen liberaliter adjuvit Judæos, & qui sumtibus non pepercit ut Templum extrueretur : cur uterque Rex, quum tamen impulsus esset Spiritu Dei, non permisit ædificari Templum eodem splendore, quo prius erectum fuerat ? Sed hoc non contigit sine admirabili Dei consilio. Scimus enim quàm crassi fuerint Judæi. Et eodem etiam vitio Apostolos videmus fuisse implicitos, quia non aliud, quàm terrenum Christi regnum sperabant. Si ergo æquè opulentum fuisset Templum, & si regni etiam species fuisset qualis antè fuerat, Judæi acquievissent in illis externis pompis : ita contemtus fuisset Christus, imò pro nihilo habita fuisset spiritualis Dei gratia. Quum ergò adeò propensi essent ad terrenam felicitatem, oportuit ipsos expergefieri, & Dominus adjuvit eorum infirmitatem, quum passus non est erigi tale Templum. Per Herodem verò, quum jam instaret Christi manifestatio, quod passus est Templum illud adulterinum construi, indicium magis vindictæ fuit ad puniendam ingratitudinem, quàm testimonium favoris : adulterinum dico, quia splendor ille nunquam probatus est Deo. Fuit enim profanatio veri Templi potiùs quàm ornatus ; quod Herodes consumsit magnos thesauros in illa structura. Stultè igitur commemorant etiam aliqui quicquid erogavit Helena Adiabenorum Regina, putant hoc modo aliqua ex parte fidem vaticinio fuisse factam, sed Satan potiùs lusit talibus impostoris ac præstigiis, ut abduceret pio-*

rum

rum animos à spiritualis Templi ornatu. Sed cur ergo Propheta hîc aurum & argentum nominat? Nempe facit hoc communi & recepto more. Quoties enim de regno Christi loquuntur, delineant vel adumbrant ejus splendorem figuris, quæ seculo suo conveniunt. Jesaias dum vaticinatur de Ecclesiæ restitutione, prædicat Ecclesiam fore totam argenteam, vel auream, vel quæ fulgeat lapidibus pretiosis: & præcipuè cap. 60. celebrat magnificentiam illius Templi, quasi undique gentes adductura essent in sacrificium quicquid ubique pretiosum erat. Sed figuratè locutus est Jesaias, quemadmodum alii Prophetæ. Sic ergo quod nunc legimus de auro & argento debet exponi, ut anagoge fiat ad regni Christi naturam: quemadmodum quum prius vidimus. Offerent mihi ab ortu solis usque ad occasum pura sacrificia, inquit Dominus; quænam illa sacrificia sunt? An vituli adhuc sunt mactandi, vel agni, vel alia animalia? Minimè: sed spectanda est natura sacerdotii spiritualis; sic etiam aurum de quo nunc loquitur Propheta, & argentum, debet accipi spiritualiter, quia ex quo apparuit mundo Christus, jam Deus non vult coli in vasis aureis vel argenteis, sicuti etiam nullum est Altare, in quo victimæ immolentur: nullum etiam candelabrum: denique cessarunt omnes illæ figuræ legales. Sequitur ergò hîc Prophetam agere de spirituali Templi ornatu. Atque ita nunc tenemus quo modo gloria secundi Templi major futura fuerit quàm prioris. Hactenus aurea verba & sensa Calvini, quæ è si longiuscula transcribere placuit.

Dabo pacem. Id est, prosperitatem. Sensus enim est, ut ait B. Hier. *Quia scio ad ædificationem inclytæ domûs, & quæ superatura sit domum pristinam, nihil ita facere, ut pacem; idcircò & hanc spondeo: dabo enim in loco isto pacem.* Id ipsum à Deo præfatum patet 1 Esdræ 6. v. 14. ubi recensitis litteris Darii jubentis instaurari Templum, subdit Esdras: *Seniores autem Judæorum ædificabant, & prosperabantur juxta prophetiam Aggæi,* hanc videlicet, *Dabo pacem.*

11. *In vigesima,* &c. Hactenus populum hortatus est Aggæus ad Templum exædificandum, nunc monet non sufficere si neque sumtibus, neque labori parcat in ædificatione Templi, nisi hoc totum faciat sincero affectu cordis, ut purè & sanctè Deum illic colat.

12. *Interroga sacerdotes Legem.* Q. d. Quære à sacerdotibus, qui Legis interpretes sunt, non quid ipsi sentiant, sed quid definiat Lex Domini de his ceremoniis, ut populus ex legalibus ceremoniis convictus, non litiget, neque obstrepat, sed agnoscat damnari omnia opera tanquam vitiosa, quæ non manant ex puro & sincero cordis affectu.

13. *Si tulerit*, &c. Q. d. Siquis carnem sanctam, hoc est, frustum sacrificii sumat, & gestet vel in manica, vel in ala, hoc est, in ora vestimenti sui: deinde attingat vel panem, vel oleum, vel quodvis edulium, an solo tactu sanctificabitur quicquid conjunctum fuerit cum carne illa sancta? Huic quæstioni scitè & verè respondent sacerdotes tantam à Lege non tribui vim sacrificiis, ut sanctificent quicquid attigerint.

14. *Si tetigerit pollutus in anima*, &c. Immundum animâ intelligunt qui polluerat se tactu cadaveris: quod mihi non probatur. Nomen animæ subinde in Lege occurrit pro homine ipso Levit. 17. v. 15. *Anima quæ comederit morticinum vel captum à bestia, tam de indigenis, quàm de advenis lavabit vestimenta sua & semetipsum aquâ, & contaminatus erit usque ad vesperum.* Num. 19. v. 22. *Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.* Ergo hîc dicitur *pollutus in anima*, qui intus gestat suam immunditiam: quemadmodum Gallicè dicimus, *Pollu en sa personne.* Quæritur itaque à sacerdotibus an ex Lege polluatur quicquid homo impurus & pollutus attigerit? Respondent sacerdotes hominis immundi tactu solo contaminari omnia, quæ per se alioqui pura erant.

15. *Sic populus iste*, &c. Q. d. Sic quamdiu populus iste ab omni cordis inquinamento non bene purgatus fuerit fide vivâ, etiamsi multos sumtus faciat in sacrificiis, & se multùm fatiget in Templo ædificando, non modò inanis est ipsius labor, sed quicquid offert pollutum est, ac mera abominatio apud tribunal Dei, qui legali figurâ declaravit pollui ab hominibus quicquid attingunt, nisi puritas cordis præluceat, quæ ipsorum opera sanctificet. Hinc illud Prov. 15. v. 8. *Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota justorum placabilia.* Quod Cl. Theologus Joannes Maury sic metricâ paraphrasi dilucidat:

Quæcunque impurâ mactatur victima dextrâ
Numen non valeat superum placare, Deúsque
Hac se rideri credat, non ducat honori.
Qui sis ipse, Deus, non quæ tua munera, curat:
Ac non ille manus, sed córque, animúmque tuetur.

Secundum hanc rationem & Persius poëta ethnicus Satyrâ secundâ irridet eos, qui victimis & muneribus deos posse capi existimant, cùm requirant

Compositum jus fásque animi, sanctósque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Verum

Verum itaque est illud Augustini pronunciatum lib. 4. contra Julianum cap. 3. *Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Cùm autem sine fide, quæ per dilectionem operatur, nulla opera referantur ad eum finem, ex quo sunt bona; sine fide *quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur*, ut ait idem Aug. lib. 3. ad Bonifacium cap. 5.

16. *Et nunc*, &c. Hoc est, considerate quàm infeliciter & contra animi sententiam omnia vobis cesserint ad hunc usque diem, quòd neglecto Templo, operam dedistis omnem privatis commodis.

17. *Cùm accederetis*, &c. Q. d. Ex quo neglexistis fabricam Templi sub Cyro inchoatam, Deus vestram socordiam ulturus, arefecit spicas & uvas, ut non redderent quod solebant; atque ita ipse spicarum & uvarum aspectus spem vestram fefellit. Nam cùm quilibet vestrûm accederet ad acervum messis, qui daturus videbatur viginti modios frumenti, eum excutiens invenit tantùm decem. Sic qui accedebat ad torcular plenum uvis, sperans se quinquaginta inde dolia musti expressurum, vix invenit in torcularis lacu viginti.

18. *Percussi*, &c. Q. d. Nunc corruptæ fuerunt fruges vestræ rubigine, nunc æstu vanuerunt, nunc fuerunt grandine percussæ Deo varia flagella exerente, quòd posthabito ipsius cultu, tantùm privata commoda fueritis secuti; quæ vos cordicitùs non solùm non pupugêre, sed ne in cute quidem titillârunt. Atque adeò nec toties támque variis modis in omni terræ cultura percussi correxistis segnitiem vestram, ut neglectam Templi structuram resumeretis sedulò & magno fervore.

19. *Ponite*, &c. Q. d. Observate quàm manifesto Dei judicio laboraftis frugum inopiâ superioribus annis ad præsentem usque diem vigesimam quartam noni mensis; quâ fundaminibus Templi primis & imperfectis sub Cyro jactis secunda fundamenta completa, & perfecta superstruere cœpistis.

Et in futurum. Heb. ומעלה, *& suprà.* Emphaticè itaque repetit Vates, quod dixerat v. 16. Adeo quippe torpebant Judæi ut animum ad tam manifesta Dei judicia hactenus non adjicerent.

20. *Numquid*, &c. Q. d. Quia resumsistis hodiè intermissum tot annis Templi ædificium, parata vobis est Dei benedictio, ideóque etiamsi nondum humanis conjecturis statui possit, qualis vel quantus frugum proventus sperari debeat, cùm sata nondum germinaverint, neque refloruerint arbores frugiferæ; tamen certo oraculo vobis prædico uberrimam fore messem, largas vindemi-

as,

as, atque ampliſſimam olei, ficuum, & malogranatorum copiam. *Utique*, inquit Hieronymus, *nono menſe, quem nos Novembrem, vel Decembrem dicimus, futurarum nulla ſigna ſicut frugum.*

In germine. Heb, בְּגִנּוֹרָה, id eſt, Hieronymo interprete, *In folliculo, ut thecam frumenti ſignificet*; nempe à radice גָּנַר, *incolere, inhabitare*, quia in hac theca quaſi habitat frumentum

21. *Secundò.* Id eſt, iterùm. Bis enim Deus hac eadem die vigeſimâ quartâ menſis noni Aggæum eſt affatus; primo ſcilicet ſuprà v. 11. ſecundò hîc.

22. *Movebo cœlum pariter & terram.* Id eſt, Theodoreto interprete, *O Zorobabel, ſermones illos confirmabo, quos de Gog & Magog prædixi.* Vide quæ diximus ſuprà v. 8. Movere cœlum & terram dicitur Deus, dum majeſtas ejus ſplendidior apparet, virtúſque ejus in mirificis rerum mutationibus plenior refulget.

23. *Subvertam*, &c. Hoc eſt, evertam potiùs omnia regna terræ, frangam & conteram quadrigas, dejiciam & proſternam equos & ſeſſores eorum, omnéſque inter ſe committam, ita ut mutuis cadant vulneribus, quàm ſinam præpediri inſtaurationem Templi, cultúſque mei reſtitutionem. Theodoretus hæc omnia de gentibus Scythicis, ſeu Gog & Magog intelligens, exiſtimat hîc prædici quàm facilè Zorobabel eas ſit exciſurus, utpote quarum mílites inſaniâ & dementiâ perculſi in invicem armabuntur, & alter alterius gladio jugulabitur.

Deſcendent. Id eſt, cadent interfecti.

Vir in gladio fratris ſui. Hebraiſmus, id eſt, alter alterius gladio.

24. *Aſſumam te Zorobabel*, &c. *Hoc loco*, inquit Theodoretus, *Jeſu filii Joſedech non mentionem facit, ſed Zorobabelis, cùm de bellis & eorum adminiſtratione ſermones habuit, quòd bellorum adminiſtrationem ſolus procuraret. Itaque dicit, In illa die, gentibus illis cæſis, te Zorobabel, quem in ſervitutem & procurationem meam delegi, illuſtrem & præclarum declarabo, & propter te omni ſtudio populum tuebor, te utens tanquam ſignaculo quodam: nam ſignum foribus admotum, & arcis, omnia, quæ intùs ſunt repoſita tuetur & conſervat. Et prophetia quidem jam completa eſt. Ego verò Apollinarii dementiam admiror, qui tam apertis vaticinationibus contrariam intelligentiam afferre aggreſſus fuerit, dicens exercitum Gog & Magog nondum fuiſſe, ſed ad finem ſeculi fore: & non ſapientiſſimus hîc attendit prophetiæ conſecutionem, quòd poſt prædictionem illarum occiſionis ſtatim Propheta intulit, In die illa, dicit Dominus omnipotens aſſumam te, Zorobabel, &c. Sin autem aliam*

quemdam

quemdam Zorobabel in ſuis confictionibus fabuloſis fingit illo tempore futurum, perfectam fabulam nobis finget. Sin autem hic ſolus Zorobabel eſt, qui poſt reditum populo præfuit, ſub quo illarum gentium exercitus profligatus fuit, & poſt illius cladem & offenſionem admirandus & præclarus extitit Zorobabel, Apollinarium hoc non ignorare oportuit, quòd ob inopiam tauſantibus ædificationis prorogationem, omnipotens Dominus promiſit ſe has gentes coacturum, & harum divitias in ædificationis ſumtus ſuppeditaturum: quare adjunxit: Meum eſt argentum, meum eſt aurum, magna erit gloria domûs iſtius noviſſimæ pluſquam primæ. Sed hunc errantem relinquamus, & veritati adhæreſcamus. Hæc Theodoretus, cujus textus Græcus non eſt mihi ad manum. Verùm nullus capio unde Theodoretus habuerit celeberrimam à Judæis Zorobabelis ætate victoriam de Scythis fuiſſe reportatam, cùm altum hac de re ſit filentium apud Eſdram & Nehemiam, qui accuratam valde & particularem hiſtoriam conſcripſerunt de omnibus, quæ Zorobabelis tempore Judæis contigerunt. Utut eſt licèt hæc Aggæi prophetia litteraliter & hiſtoricè in perſona Zorobabelis fuiſſet impleta, ut Theodoretus aſſerit, longè inſigniùs tamen præſtita fuit per Chriſtum, cujus Zorobabel ille, Dux populi Judaici typus fuit. Chriſtus enim eſt annulus ille ſignatorius cœleſtis, qui Patris gloriam & expreſſiſſimam majeſtatis imaginem in ſe ab æterno habet: interim tamen & in mundum miſſus eſt à Patre, ut autor vitæ ac ſalutis nobis hominibus eſſet. In Chriſto fundatum eſt electionis noſtræ ſigillum, de quo 2 Tim. 2. v. 19. & credentium obſignationis beneficium, de quo 2 Cor. 1. v. 21, & 22. Epheſ. 1. v. 14. & 4. v. 30. Per hunc annulum ſignatorium imago Dei amiſſa credentibus imprimitur denuò, hac in vita inchoativè, in æterna vita conſummatè Col. 3. v. 10. In ipſo & per ipſum credentes fiunt divinæ conſortes naturæ 2 Pet. 2. v. 4. non per ſubſtantiæ tranſmutationem, ſed per qualitatum cum Deo conformationem, quantùm noſter fert modulus. Sigillum præ aliis rebus diligitur, & arctè cuſtoditur, quia Reges volunt hac in parte ſibi ſervari ſummam autoritatem, ut ſigillo eorum credatur potiùs, quàm proceribus etiam ſummis. Sic in Chriſto ſibi Pater complacuit, eúmque unicè dilexit, & unicum Eccleſiæ ſuæ doctorem conſtituit, ut tantùm ab ejus ore pendeat, ita ut nullus ſit fidelis Eccleſiæ Doctor, niſi qui & diſcipulus eſt Chriſti, & alios ei docendos offert. Meritò itaque Joannes Oecolampadius in hunc ultimum Aggæi verſum, *Maxime*, inquit, *congruit benedictio hæc Chriſto, imò ſoli ei convenit, qui eſt dilectus Filius, & ſervus Dei Patris, quem Pater ſignavit Spiritu-ſancto, & juravit ei juramentum, cujus non pœnitebit eum, quòd ſit ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchizedak,*

dek, & quòd regni ejus nullus futurus ſit finis. Dan. 2. In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur. Comminuet autem & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. Quia Chriſtus lapis eſt de monte, ſine manibus abciſus, & commimuet teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. Chriſtus vicit mundum & principes mundi, ac per crucem glorificatus eſt, regnátque nunc in ſpiritu & cordibus fidelium: cui etiam omne judicium dedit Pater, & in ipſo pacificavit omnia, quæ in cælis & terra, ut omnibus ei ſubjectis in nomine ejus omne genu flectatur. Nam ipſe eſt Dilectus ille, in quo complacitum habet. Ei ſit gloria in ſecula. Amen.

FINIS.

V ZA-

ZACHARIÆ PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

ZAcharias filius Barachiæ, nepos Addo Prophetam agere cœpit anno ſecundo Darii Hyſtaſpis, menſe iſtius anni octavo, duobus tantùm menſibus Aggæo ſeriùs, habétque ferè idem quod Aggæus argumentum, urgens Templi fabricam pari fervore, etiamſi fuſiùs de inſtauranda civitate Jeruſalem, quàm de Templo ſuper jactis ſub Cyro fundamentis extruendo loquatur. Oſtenſæ ſunt autem ei viſiones valde obſcuræ, quas Hebræi vocant מראות סתומות. In his explicandis multa præclara tam Judæorum, quàm Chriſtianorum ingenia ſudarunt. *Deceſſit*, inquit Sixtus Senenſis, *longo ſenio confectus in Judæa, & proximè cum Aggæo Propheta humatus eſt circa annum ab orbe condito ter milleſum quadringenteſimum ſexageſimum.* Martyrologium Romanum ipſius meminit VIII Idus Septembris.

CAPUT I.

1. IN *menſe octavo.* Is eſt *Marcheshvaan* Hebræis, *Athyr* Ægyptiis, Octobri partim reſpondens.

Factum eſt verbum Domini. Vide quæ diximus in Joël. 1. v. 1

Filii Addo. Fuit ergo Zacharias nepos Addo. Atque ita cùm 1 Eſd. 5. vocatur filius Addo, filius pro nepote ſumi debet, ut ſæpè aliàs. Nam omnes qui in gradibus deſcendentibus ſunt, Hebræi filios vocant. Ratio temporum vetat ne cum Hieronymo pro comperto ſtatuamus hunc ipſum eſſe Addonem videntem, cujus mentio fit 2 Paral. 9. v. 29. & 13. v. 22. *qui miſſus ſit ad Jeroboam filium Nabat, ſub quo altare dirutum eſt, & manus Regis aruit, rurſumque ad preces illius reſtituta eſt.*

2. *Iratus,*

2. *Iratus*, &c. Hoc est, terribili vindictâ Deus testatus est se patribus vestris fuisse periratum.

3. *Et dices ad eos*, &c. Id est, ad Israëlitas præsentes hoc ampliùs dices, Convertimini ad me syncerè & citra fictionem pœnitentes, & revertar ad vos beneficentissimus, dicit Dominus exercituum.

4. *Ne*, &c. Q. d. Cavete ne patrum vestrorum vestigiis insistatis, ad quos clamaverunt superiorum temporum Prophetæ; Deus de vestra salute sollicitus, adhortatur vos ad resipiscentiam, & vitæ innovationem; neque auscultavetunt mihi humanâ illos invitatione per Prophetas meos ad pœnitentiam incitanti.

5. *Patres*, &c. Q. d. Et patres vestri, & qui ipsorum temporibus prophetaverunt Prophetæ, mortui sunt.

6. *Verumtamen*, &c. Q. d. At verba mea & sanctiones meæ nunquam moriuntur, sed effectum suum suo tandem tempore sortiuntur. Sic patribus vestris supervenerunt mala omnia, quæ ipsis eventura per servos meos Prophetas prædixeram; atque ita prædictiones eventu ipso comprobatæ patrum vestrorum pervicaciam edomuerunt, háncque illis confessionem extorserunt, commeritas videlicet sibi inflictas pœnas, sicut Dominus decreverat, & decretum significaverat.

7. *Mensis Sabat*. Hic mensis, qui apud Hebræos anni sacri undecimus est, *ab Ægyptiis*, Hieronymo teste, *Mechir, à Macedonibus* Πορίτικος *vocatur*, & respondet partim Januario, partim Februario nostro.

8. *Vir*. Id est, Angelus in specie viri.

Ascendens. Id est, inequitans.

In profundo. Id est, juxta profundum, ad ripam fluminis, ubi arbores multùm crescunt.

Et post eum equi rufi, &c. Haud dubiè cum suis sessoribus.

Varii. Heb. שרקים, id est, Bocharto interprete, *Gilvi*. Gilvus color ad flavum maximè accedit, sed est paulò dilutior, & Græcis dicitur κιῤῥὸς, Hebræis שרוק, vel שריק, & tribuitur à Scriptura equis, lino, & vino. Colorem autem vini, quem Hippocrates gilvum vocat, à Plinio vocari fulvum, & posse vocari flavum, observat idem Bochartus Hierozoici p. 1. lib. 2. cap. 7. Nempe colores vicini passim confunduntur.

9. *Et dixi*. Scilicet Angelo, cujus ministerio mihi oblata est visio equitis equo rufo insidentis, & in myrteto profundo retenti, quem sequebantur alii equites vecti equis rufis, gilvis, & albis.

Quid sunt isti? Hoc est, quid significant isti equi rufi, gilvi, & albi, qui equitem inter myrteta stantem sequuntur?

Et dixit ad me Angelus Domini qui loquebatur in me. Q. d. Respondsum mihi dedit idem Angelus, cujus ministerio & operâ intelligebam, quæ me Deus scire volebat.

Ostendam. Heb. אראך, *videre faciam te*, hoc est, faciam ut intelligas, vel ut audias. *Videre* enim & intelligere significat & audire. *Videre*, inquit Augustinus q. 72. in Exodum, *solet pro generali sensu poni, non solùm corporis, verùm etiam animi.*

10. *Et respondit.* Hebraismus, id est, locutus, seu sermonem exorsus est. Fortè tamen ab Angelo, qui cum Propheta loquebatur, interrogatus Angelus in specie viri inter myrteta equo rufo insidens, respondit quæ sequuntur.

Isti sunt, &c. Angeli à Deo mittuntur, & eum sequuntur ducem, ut animalia domita, quæ dominus agit ad libitum. At diabolus, ut leones, & feræ indomitæ, proprio motu fertur, & prout impellit libido.

11. *Et respondérunt.* Id est, locuti sunt Angelo, qui equo rufo insidebat, & ceteris præibat.

Omnis terra habitatur & quiescit. Hoc est, nulla terra præter Judæam deserta est, aut angustiis infestatur.

12. *Et respondit.* Id est, loqui cœpit. Angeli terram circumeunt in fidelium bonum. Proinde cùm versu mox præcedenti post illud iter emensum Angeli retulissent reliquam terram pacatè degere, nempe præter Judæam, quam miserandum in modum infestabant vicinæ gentes: inde, occasione sumtâ, Angelus qui stabat inter myrteta pro Judæis intercedit. At diabolus, cùm divagatur, & terram perambulat, longè alium sibi scopum proponit, nempe, ut homines devoret leonum instar, de quibus David Ps. 103. Heb. 104. v. 22, & 23. *Posuit tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ: Catuli leonum* (seu leunculi) *rugientes ut rapiant.* Quod ipsum in diabolum omninò quadrat, qui princeps est tenebrarum, & ignorantiâ seculi, tanquam nocte profundâ, in hominum perniciem abutitur.

Domine, &c. Q. d. Cùm profanæ gentes pace & otio fruantur, an justum est, ut assiduis motibus & bellis exerceatur illa gens, quam tibi in hereditatem delegisti, Domine, maximè cùm jamprídem elapsi sint anni septuaginta, quibus populum tuum in captivitate Babylonica detinendum prædixeras?

Iste jam septuagesimus annus est. Multò rectiùs versio Anglicana, *These Threescore and ten Years, Istis septuaginta annis.* Finiti enim erant septuaginta anni captivitatis Babylonicæ à Daniele & Jeremia memorati septendecim annis ante hunc annum secundum Darii Hystaspis, quo Zacharias Angelum audit orantem pro removendis desolationum reliquiis, quæ adhuc post exactos

ctos istos septuaginta annos & reditum populi restabant. Vulgatum interpretem fefellit Hebraicæ constructionis idiotismus, multùm cùm à Græca, tum à Latina Syntaxi discrepans; sic enim habet textus Hebræus, זה שבעים שנה, quod est ad verbum, *Iste septuaginta annus*; nempe numeralia pluralia apud Hebræos construuntur cum substantivis singularibus, & contrà numeralia singularia cum substantivis pluralibus, ut videre est apud Buxtorfium Thesauri Grammatici lib. 2. cap. 2. Porrò omnis à Deo facta promissio annis septuaginta finienda à Jeremia prolata est, & applicata uni septuagesimæ captivitatis Babylonicæ, perfectáque in Babylonis ruina per Persas, solutione captivitatis, & reditu Judæorum anno primo Cyri monarchiæ Babylonicæ, qui vigesimus primus, vel vigesimus tertius regni ipsius Persici, & septimus vel nonus ante ejusdem obitum perhiberi solet. Nullibi verò promiserat Deus statim & immediatè post terminatam septuagesimam captivitatis Babylonicæ, Templum & Urbem ædificatum iri, sed ista divinæ providentiæ secundum suum beneplacitum perficienda relicta sunt. *Sunt*, inquit Oecolampadius, *qui hunc locum citant, ut sanctorum intercessionem & invocationem commendent. Ecce, aiunt, Angelus iste oravit, cur non & sancti orarent? Esto, Angelus hic oret, orent & sancti: optant enim reparationem ruinæ Jerusalem: contextus tamen iste non hoc convincet, ut nobis novum dogma statuant id quod illi moliuntur, quasi opus sit patronis ad Christum: qui ipse ideò carni nostræ communicavit, ut accessum securum citra patronos ad eum haberemus intrepidi, cujus gloriæ novum illud idolum præjudicat. Nusquam ex Scripturis vel exemplum, vel præceptum ostensum est, quo alios patronos præter unicum Advocatum requirere jubeamur.* Hinc Tertullianus de oratione scribit, *Christum docuisse nos religiosas nostras preces illi soli offerre, quem ubique audire nos & videre credimus.*

13. *Qui loquebatur in me.* Id est, mihi.

Verba bona, verba consolatoria. Bona de futurorum promissione, & consolatoria de præsentium necessitate, inquit Hieronymus.

14. *Zelatus*, &c. Zeli nomine hoc in loco significatur providentia illa Dei, quâ non sinit impunè abire eos, qui populum suum injuriâ affecerint, q. d. Magno injurias Judæis illatas ulciscendi studio accensus sum contra gentes.

15. *Gentes opulentas.* Heb. השאננים, id est, *quietas*, seu *bello carentes*, illas scilicet Persicæ monarchiæ, de quibus supra v. 11. Angeli dicebant: *Ecce omnis terra habitatur & quiescit.*

Quia ego iratus sum parùm, &c. Q. c. Cùm ego modico Judæorum,

dæorum, ut parentes ſolent filiorum, ſupplicio eſſem contentus, immane quantum gentes illæ, apud quas Judæi diverſabantur, in eos deſævierint. Vide ſimilem immiſericordiæ in Judæos atque immanitatis exprobrationem factam Chaldææ genti Eſ. 47. v. 6. Huc facit illud Terentii in Andria Act. 5. Scen. 3.

Pro peccato magno paulùm ſupplicii ſatis eſt patri,

16. *Revertar ad Jeruſalem in miſericordiis*, &c. Id eſt, miſericorditer Judæis reconciliabor, Templúmque Jeroſolymitanum ipſis reſtituam, & ipſam urbem Jeruſalem reſtaurabo. Hoc impletum vide Nehem. 2, 3. & ſeq.

Perpendiculum extendetur ſuper Jeruſalem. Loquitur more ædificantium, qui funiculum cum perpendiculo adhibent erigendis muris, q. d. Præter Templum etiam urbs reſtaurabitur.

17. *Adhuc*, &c. Q. d. Civitates populi mei, quæ nunc ad egeſtatis terminos redactæ ſunt, ſic diffluent rerum omnium copiâ, ut præ abundantiâ rumpantur, non valentes omnia bona continere. Et quum aliæ civitates Judææ ita locupletentur, maximè tamen ipſa Sion & Jeruſalem benignitatis divinæ demonſtrationibus refulgebit.

18. *Quatuor cornua.* His cornibus ſignificantur Cuthæi, Ammonitæ, Arabes, & Philiſthæi, qui Nehem. 4. Hieroſolymitas, & Judæos alios, eiſque adjunctos Iſraëlitas à muris Jeruſalem exædificandis præpedire conati ſunt.

19. *Ventilaverunt.* Hebræum זרה, quod hîc *ventilare* vertitur, quocunque modo *incommodare* ſignificat, vertitúrque per διατιθέναι, Prov. 20. v. 8. & per καθυβρίζειν, Jer. 51. v. 2. Etiam per *ligare* aut *circumdare*, Kimchio in Pſ. 139. v. 3. Græcis Prov. 15. v. 8. Itaque nihil aliud hîc ſibi vult Angelus, niſi quatuor gentes mox dictas incommodaſſe populo Dei muros Jeruſalem exædificanti, ut videre eſt loco laudato Nehemiæ.

20. *Quatuor fabros.* Scilicet, qui retundant & comminuant quatuor cornua, id eſt, quatuor gentes prædictas ſuccidant.

21. *Hæc ſunt*, &c. Q. d. Hæ ſunt quatuor gentes, quæ adeò incommodarunt populo Dei Urbem reſtauranti, ut vix ullus ex eodem populo gravi metûs pondere depreſſus levaret caput; at venient iſti fabri, quos vidiſti, qui exarment, & ita mutilent quatuor illas gentes, ut ſe in poſterum contra quemquam efferre nequeant. Quatuor illi fabri, qui ferociam præfatarum quatuor gentium edomuere, *ſunt*, inquit Grotius, *Reges Perſæ, Alexander, Reges Syriæ, Reges Ægypti: nam hos, quanquam in partem venere potentiæ Alexandri, ab Alexandro ſemper ſeorſim ponunt Prophetæ, quòd*

quòd sedem præcipuam imperii non Pellæ habuerint, ut Alexander, sed Antiochiæ & Alexandriæ.

Quæ levaverunt cornu. Enallage, id est, cornua.

Super terram Juda. Id est, contra Judæam gentem.

Ut dispergerent eam. Hoc est, ut impedirent eam à suscepta suarum urbium instauratione. Est enim Hebraicè לזרותה, *ut ei incommodarent, seu adversarentur, insolentérve injuriarentur.*

CAPUT II.

1. *Ecce vir.* Hoc est, Angelus specie viri. Visio hæc Urbis, ejúsque regionum instaurationem ob oculos ponit, de qua prædixerat capite præcedenti v. 16. Vadit enim Angelus aream civitatis reædificandæ priùs metiturus funiculo mensorio, ut solent facere architecti.

4. *Dixit ad eum.* Scilicet alius Angelus à Deo missus ad Angelum qui hactenus cum Zacharia colloquebatur, & quasi peracto mandato egrediebatur, id est, ab ipso abibat.

Curre, loquere ad puerum istum. Hoc est, propera loqui ad Juvenem istum, putà Zachariam. *Tres prophetârunt in adolescentia, Samuel, Jeremias, & Zacharias,* inquit in Scholiis Aben-Ezra.

Absque muro habitabitur, &c. Q. d. Nullis Jerusalem egebit munimentis, quibus civium multitudinem tueatur, aut pecuaria numerosissima à periculis defendat. Heb. פרזות תשב ירושלים, *Villæ habitabitur Jerusalem,* id est, villarum instar tenuissimarum muro carere poterit Jerusalem, nihil timens civibus suis frequentissimis, neque eorum copiosissimæ rei pecuariæ. Est itaque in Hebræo פרזות pro כפרזות, cum similitudinis vocula. Deinde *habitabitur,* est idem ac habitari poterit. *Consuetudo Scripturæ,* inquit Glassius in Grammatica sacra lib. 2. tract. 3. can. 5. *ut id dicatur fieri, quod aptum est, ut fiat.* Fuit enim aliàs Jerusalem septa muro ab Esdra, imò, ut Josephus tradit, triplici.

In medio ejus. Hebraismus, id est, in ea.

5. *Et ego,* &c. Q. d. Ego enim ero ipsius defensor, hostiúm-

que ejus terribilis ultor, quos instar ignis consumam, dum in ea gloriosum me præstabo.

6. *O, O, fugite*, &c. Hortatur Propheta eos, qui amore vorum & liberorum in Babylonia remanserant, ut illinc fugiant, cùm Dominus illis latissimam regionem polliceatur.

De terra Aquilonis. Id est, è Babylonia. *Plagæ orbis, quas Græci appellant κλίματα, juxta situm Jerusalem intelliguntur, & Templi. Assyrii ergò & Babylonii, qui Dei populum vastaverunt, habitabant in terra Aquilonis*, inquit Hieronymus.

In quatuor ventos. Id est, quàm latissimè.

Dispersi. Præteritum pro futuro, id est, expandam.

7. *O Sion*, &c. Q. d. ô Sionis cives, qui Babylonem extorres inhabitatis.

8. *Quia*, &c. Q. d. Præcepit enim mihi Deus, ut post restitutam vobis pristinam gloriam ulciscar gentes, quæ vos afflixerunt; quia qui vos lædit, id lædit, quod Deus habet charissimum.

Misit me. Michaëlem scilicet Archangelum, si Grotio credimus. Certè Danielis 12. v. 1. Michaël magnus ille sub Deo princeps gentis Judaicæ describitur, quomodo hîc Angelus Zachariam alloquens.

Ad gentes. Scilicet ulciscendas.

Spoliaverunt. Id est, infestarunt.

Qui enim tetigerit. Id est, afflixerit.

Tangit pupillam oculi mei. Heb. עינו, *oculi ejus*, vel *sui*. Si *ejus* vertatur, refertur ad Deum, & significat ut homini nihil carius est oculi pupillâ, sic Deo nihil potius esse populo suo. Sin autem *sui* reddatur, ut habet Vulgata Regia, sensus erit, sibi ipsi pernocebit, q. d. *Qui afflixerint vos, gravius affligentur*, inquit Franciscus Vatablus.

9. *Ecce ego.* Ut scilicet solent verberaturi.

Et erunt prædæ his qui serviebant sibi. Hoc est, gentes quæ in Judæos dominatæ sunt, ipsis vicissim subjectæ erunt. *Impletum hoc*, inquit Grotius, *maximè per Judam Maccabæum & fratres ejus* 1 *Mac.* 5. *Joseph. Antiq.* 12. *cap.* 11, *&* 12. *Et per Hyrcanum, Joseph.* 13. *Antiq. cap.* 17.

Cognoscetis. Nimirùm per experientiam.

Misit me. Nempe Michaëlem Judæorum procuratorem ad graviter puniendas illas gentes Judæis vicinas & infestas.

10. *Lauda.* Sionis cives hortatur Dominus, ut præ ingenti lætitia in ipsius laudem erumpant, quia Templum suum ibi habiturus est denuò. Allegoricè hic prædicitur Christi incarnatio, q. d. Exulta & Jubila filia Sion, naturam enim humanam assumam, & in te commorabor, converfans cum hominibus,

&

& per ſpiritum meum ero cum fidelibus uſque ad conſummationem ſeculi.

11. *Et applicabuntur*, &c. Id eſt, *multi venient variis ex locis, ut relictâ idololatriâ, uni verôque Deo ſerviant in atrio gentium*, 3 Reg. 8. v. 41. *Nec id mirum, cùm Cyrus & Darius in Templo pro ſe orari voluerint. Sic & Lacedæmonii. Alexander Deo in Templo victimas obtulit. Idem fecere Ptolemæus Philadelphus, Auguſtus quoque & Tiberius. Reges plurimi, ut & Soſius, dona eò miſere.* Grotius. Myſtico ſenſu prædicitur converſio gentium, de qua loquitur Paulus Rom. 11.

Habitabo in medio tui. Scilicet per Spiritum meum, vel converſando, prædicando, & miracula edendo.

Et ſcies, &c. Si Angelus Michaël, aut alius ipſius vices gerens loquitur, ſenſus litteralis eſt, rerum eventu filiæ Sion, ſeu civibus Sion comprobatum iri hunc Angelum mandatum à Deo accepiſſe, ut hæc Sionem affaretur: Si Chriſtus Dominus Angelus magni conſilii inducitur ipſe loquens, ſenſus erit idem ac ſi dicat Sionis incolas facilè perſpecturos miraculis & operibus ſuis ſe à Deo Patre miſſum eſſe.

12. *Et poſſidebit*, &c. Q. d. Coletúrque Dominus à gente Judaica tanquam à populo ſibi peculiariter dilecto & electo in terra jam olim ipſius cultu ſanctificata, rurſúſque complacebit ſibi in Jeruſalem, & inibi virtutem ſuam exeret.

13. *Sileat*, &c. Q. d. Tunc omnes gentes admirabundæ ſtupebunt coram Domino, cùm qui indormiſſe videbatur ſuos impunè vexari permittens, ſubitò quaſi evigilans velut è Templo prodierit, de vexatoribus ultionem ſumturus.

CAPUT

CAPUT III.

1. Coram *Angelo Domini.* Nempe quasi coram judice. Hîc Angelus ab aliis creditur fuisse Christus, *qui,* inquit Drusius, *Angelus Domini vocatur, & Dominus simpliciter, id est, Jova, vel Jehova. Angelus vocatur, quia missus à Deo Patre ad nos; juxta illud, Et cognoscetis Dominum exercituum misisse me ad te. Siquidem Angelus Græcè dicitur qui Latinè Nuncius. Ergò Angelus Domini, id est, Nuntius vel Legatus Domini. Dicitur etiam Magni consilii Angelus eandem ob causam.* Alii verò non Christum sed Angelum Michaëlem hîc significari putant, qui præesse creditur Judæorum populo, & Satanam litigantem de corpore Mosis eisdem verbis increpat quæ hîc sequuntur ἐπιτιμήσαι σοι κύριος, *coërceat te Dominus.* Judæ v. 9.

Et Satan. Verbum שטן, *Satan adversari* significat, unde nomen שטנה Eziæ 4. v. 6. *simultatem, inimicitias, accusationem & calumniam* sonat. Hinc nomen Toar, ut Hebræi vocant שטן, *adversarius, accusator, calumniator,* &c. ut Græci rectè verterunt, διάβολος. Dicitur autem nomen שטן tam de hominibus, quàm de spiritu maligno, ut habes de tempore Salomonis 3 Reg. 5. v. 4. אין שטן ואין פגע רע, *non fuit adversarius ullus, aus ullus malus eventus.* Sic & nomen מלאך *Angelus* nunc de homine, nunc de spiritu administratorio Dei dicitur, ita tamen ut vix reperias Satanam ab Hebræis dictum מלאך nisi cum additione vocis המות. Vocant autem מלאך המות, *Angelum mortis* tum temporalis, tum æternæ teste R. Mose Ben Nachman in præfatione in librum Job. Eundem appellant Hebræi יצר הרע, *figmentum mali,* seu *genium malum.* Vide commentarium nostrum in Mat. 4. v. 10.

A dextris ejus. Quia nempe vera erat accusatio, si Hieronymo credimus.

Ut adversaretur ei. Suâ scilicet accusatione. Alludit ad nomen Satanæ, quod ab *adversando* appellatum, ut mox diximus. Justinus contra Tryphonem ait accusatum à Satana Jesum sacerdotem summum, quòd duxerit uxorem meretricem. Hieronymus verò quòd cum ceteris Judæis alienigenam acceperit uxorem.

2. *Et dixit Dominus,* &c. Deus inducitur de se ipso loquens in tertia persona, quomodo apud Mosem legimus, *Pluit Dominus*

nus à Domino, id est, Tirino interprete, *Dominus à se ipso pluit, vi & potentiâ propriâ, non intercurrentibus causis naturalibus, ut solet in aliis incendiis.* Cui similis locutio, *Dixit Moses socero Mosis*, id est, socero suo. *Exemplorum talium*, inquit Drusius, *pleni sunt libri.* Grotius & alii putant ipsum Michaëlem vocari *Jehova, Dominum* per μετάληψιν, aut ἔλλειψιν, quia Dei partes agit. Alii denique autumant non Michaëlem, aut Deum in tertia persona de se ipso loquentem hîc induci, sed Christum, *qui verus est* יהוה, *idemque Angelus* יהוה, *hoc est, nuntius seu legatus Domini*, inquit Drusius.

Increpet Dominus in te. Id est, perterreat te Dominus potentiâ suâ, ne huic summo sacerdoti satis dura passo ampliùs noceas. Huic locutione simile est illud Plauti, *Totus timeo, ita me increpuit Jupiter*, hoc est, perterruit crepitu fulminis. Hinc in illud Psal. 105. Heb. 106. v. 10. ויגער, *& increpuit mare Rubrum*, Heb. ים סוף, *in mare algosum*, præclarè Augustinus, *Non legimus ullam quâ increparetur mare, emissam cœlitùs vocem, sed potentiam divinam, quâ id factum est, increpationem vocavit.*

Dominus. Id est, Deus Pater, si Christus hîc loquitur.

Qui elegit Jerusalem. Hoc est, qui charam habet Jerosolymam, cujus instaurationem per ministros tuos præpedire conaris.

Nunquid, &c. Q. d. Nónne hunc summum Sacerdotem Deus è captivitate Babylonica liberavit, ut Jerosolymam veniens, Templum instauraret, & sacerdotio fungeretur? Ne speres ergo hunc virum è maximis periculis divinitùs ereptum furori tuo à Deo permissum iri. Judæi fabulantur ipsum à Chaldæis in ignem fuisse conjectum, postulantibus id pseudo-prophetis Achabo & Sedecia quorum Jeremias meminit cap. 29. v. 21. At illæsum evasisse, vestibus solummodò adustis.

3. *Et Jesus*, &c. Q. d. Aliquid culpæ legalis ex ignorantia aut infirmitate in Jesu summo sacerdote apparebat extrinsecùs; etenim vel conjugium illicitum iniverat, ut censent Justinus & Hieronymus, vel, ut habent Scholia Hebraica, initum à filiis non redarguerat.

Ante faciem Angeli. Intelligit Christum, vel Michaëlem Judæorum præsidem, ut dictum est.

4. *Qui respondit*, &c. Q. d. Ipse Angelus Dei personam sustinens ceteros Angelos coram se stantes alloqui incipiens, Repurgate, inquit, Jesum summum sacerdotem ab eo, quod unum ipsi objici potest.

Et dixit ad eum. Idem scilicet Angelus Dei personam sustinens ad summum sacerdotem, postquam ceteri angeli præceptum su-

um

um opere compleſſent, hoc eſt, poſtquam ſordida veſtimenta ſummo ſacerdoti detraxiſſent.

Ecce, &c. Q. d. Scito dimiſſam tibi eſſe culpam, quam indicabant veſtes ſordidæ, quibus juſſu meo te Angeli exuerunt, certúſque ſis me jamjam curaturum ut induaris veſtibus mutatoriis, id eſt, ut Scholia Hebraica interpretantur, *veſtibus pulchris & candidis*, quæ quantis modò quámque variis gratiis ac virtutibus divinitùs ſis ornatus ſignificent. Jeſus itaque ſummus ſacerdos Angeli miniſterio repurgatus à defectu illo, qui ipſum Satanæ oppugnationi obnoxium reddebat, typum gerit Jeſu Chriſti ſecundum carnem infirmi, qui à morte reſurgens liberatus eſt ab infirmitate naturæ mortalis, cujus reſpectu ſatanæ inſultibus patebat.

5. *Et dixit*. Heb. ואומר, *& dixi*. Q. d. Et juſſi ut Angeli me inferiores ponerent ſuper caput tuum cidarim mundam, hoc eſt, inſigne ſummi ſacerdotis, quod munditiâ ſuâ te defæcato animo eſſe prodat.

Et poſuerunt, &c. Verba ſunt Zachariæ, q. d. Illicò, præſente Angelo Domini, ceteri Angeli ipſo inferiores præceptum ipſius opere complerunt, & ornamentum capitis proprium ſummo ſacerdoti, mundum impoſuerunt capiti Jeſu, mundiſque & nitidis veſtimentis ſacerdotalibus eum induerunt. Quod itaque ſuprà v. 4. dixit Angelus Domini, *Indui te mutatoriis*, idem eſt ac, induendum te juſſi, vel curabo ut induaris.

6. *Et conteſtabatur*, &c. Q. d. Poſthæc idem Angelus Domini Jeſum veſtibus ſacerdotalibus indutum palàm & conteſtatò monebat.

7. *Hæc*, &c. Q. d. Si Legem ſollicitè ſervaveris, & *cuſtodiam meam*, id eſt, partes tibi à me mandatas fideliter obieris, Templi mei ceremoniis ſummo præeris imperio, & *cuſtodies atria mea*, hoc eſt Synecdochicè, obibis omnia ea munia, quæ in Templo ſoliti ſunt obire ſummi ſacerdotes, inquit Dominus.

Et dabo tibi ambulantes de his, &c. Id eſt, ex hoc Angelorum numero, quos hîc aſtantes vides, dabo tibi cuſtodes, qui te defendant. Heb. *Et dabo tibi ambulacra inter ſtantes hos*, id eſt, curſu vitæ peracto, anima tua verſabitur inter angelos iſtos, in quorum præſentia hæc geruntur.

8. *Tu & amici tui qui habitant coram te*. Alii vertunt ex Hebræo, *Tu & ſocii tui, qui tibi aſſident*. Intelliguntur autem vel ſacerdotes, ipſi Jeſu ſacerdoti ſummo aſſidentes, vel quicunque viri juſti cum ipſo Jeſu erant, ut Prophetæ Aggæus, Zacharias, & Malachias.

Quia

Quia viri portendentes sunt. Heb. אנשי מופת, *homines portenti*, hoc est, portentifici, qui faciunt signa & prodigia multa in populo; vel, ut alii volunt, homines digni, quibus rerum futurarum signa edantur. Hebræi putant Ananiam, Azariam & Missaëlem hîc vocari viros portenti, quia ab igne intacti & illæsi egressi sunt è medio fornacis septuplo magis accensæ, quàm accendi consueverat.

Ecce enim ego adducam. Id est, propediem adducturus sum huc ad vos.

Servum meum Orientem. Heb. צמח, *germen*. *Id est*, inquit Grotius, *Zorobabelem surculum Davidicæ stirpis, qui* צמח *vocatur & Esa. 4. v. 2. Jer. 23. v. 5. & 33. v. 15. Sic & infrà 6. v. 12. Chaldæus & Judæi alii de Messia hunc locum interpretantur. Addunt alii* צמח *esse* ἰσόψηφον *nomini* מנחם, *quod Consolatorem significat, & inter indigetamenta est Messiæ. Id interpretandi genus* גמטריא, *id est*, συμμετρίαν *vocant. Neque dubium quin mystico quodammodo hic locus ad Christum pacis æternæ autorem pertineat: sed primum obviumque sensum si quærimus, agi hîc de Zorobabele evincet v. 10. & seqq. & dictus locus 6. v. 12.* Porrò Græci interpretes צמח reddiderunt ἀνατολὴν, unde Luc. 1. v. 78. Christus vocatur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Oriens ex alto.*

9. *Quia*, &c. Hic versus illustratur ex iis quæ habentur infrà 4. v. 7, 8, 9, & 10.

Lapis. Scilicet, Stanneus, ut patet infrà cap. 4, v. 10. *Per lapidem*, inquit Grotius, *intelligit globulum stanneum de perpendiculo dependentem, quo utens Zorobabel super illa jacta sub Cyro fundamenta primum lapidem, ut Princeps gentis, erat posturus.*

Quem dedi. Id est, dari volui in manum Zorobabelis.

Coram Jesu. Hebraismus, hoc est, coram te; Jesum enim summum Sacerdotem Deus alloquitur.

Super lapidem unum septem oculi sunt. Hoc est, in lapide isto stanneo septem apparent velut insculpti oculi, signantes multiformem Dei providentiam fore pervigilem, ut cœptum Templi ædificium felicitèr perficiatur.

Ecce ego cælabo sculpturam ejus. Heb. הנני מפתח פתחה, *ecce ego aperiens apertionem ejus*, q. d. Non hominis manus, sed mea potentia effecit ut isti oculi septem quasi insculpti in isto lapide stanneo repentè apparerent. *Hoc*, inquit Grotius, *est portentum illud, quò respiciunt verba* אנשי מופת, *viri portenti*, versu mox præcedenti.

Et auferam iniquitatem. Id est, jejunitatem & ἀκαρπίαν, de qua Aggæus cap. 1. v. 6, 9, 10, & 11. *Iniquitatem*, inquit Drusius,

Druſius, *poſuit pro pœna iniquitatis, ut Gen. 15. v. 16. & Levit. 10. v. 16.*

Terræ illius. Relativum ſine antecedente. Deſignat autem terram promiſſionis, quæ vulgò Judæa vocatur.

In die una. Id eſt, perbrevi temporis ſpatio.

10. *In die illa*, &c. Q. d. Tunc ſummâ quiſque fruetur pace, optatiſſimáque ubertate. Vide commentarium noſtrum in ſimilem locutionem adagialem Mich. 4. v. 4.

Vocabit. Hoc eſt, ad convivium invitabit. Hoc ſenſu paſſim Latini *vocare*, Græci καλεῖν, & φωνεῖν, Hebræi קרא uſurpant.

Vir. Hebraiſmus, id eſt, quiſque.

Subter vineam. Heb. גפן, *vitem.*

CAPUT IV.

1. ET *Reverſus eſt.* Supple, ad me. Reliquerat enim eum ad tempus, cùm deſiiſſet eum alloqui, ut dicitur ſuprà cap. 2. v. 3.

Qui loquebatur in me. Hebraiſmus, id eſt, mihi,

Suſcitavit me, &c. His verbis Vates indicat ſe antedictis viſionibus velut extra ſe raptum fuiſſe.

2. *Candelabrum aureum totum.* Hoc magnifico Templi opere Deus deſignatur, ut patet infrà v. 14.

Et lampus ejus. Heb. וגלה, *& guttus ejus*, ſcilicet geminus; nam ex v. 12. infrà patet duos lecythos fuiſſe in ſuperiore parte hujus candelabri. Verùm nihil hac numeri enallage in Scripturis frequentius.

Septem lucernæ ejus ſuper illud. Hoc eſt, circum illud; q. d. Stipitem candelabri aurei circumdabant ſeptem lucernæ, in quas è gemino gutto in ejuſdem ſummitate collocato per infundibula oleum defluebat.

Et ſeptem infuſoria Lucernis. Heb. *Septem & ſeptem infundibula lucernis.* Rabbi David Kimhi vult ſingulas lucernas unum dumtaxat habuiſſe infuſorium, ac ſi dixiſſet Vates, *Septem infundibula ſeptem illis lucernis.* Rabbi Salomon autem putat ſingulis lucernis ſeptem fuiſſe infundibula.

Quæ

Quæ erant ſuper caput ejus. Q. d. Quæ infundibula erant in ſummo candelabro, ut ſcilicet per ea è guttis in ſummitate candelabri ſitis in lucernas continuè diſtillaret.

3. *Et duæ olivæ ſuper illud.* Id eſt, juxta illud candelabrum ex utroque latere, quaſi ex altera oliva oleum in dexterum, & ex altera in ſiniſtrum guttum in ſummitate ejuſdem candelabri collocatum diſtillaret.

4. *Et reſpondi.* Hebraiſmus, hoc eſt, & dixi.

Loquebatur in me. Hebraiſmus, id eſt, mihi.

6. *Hoc,* &c. Q. d. Tota hæc viſio ad Zorobabelem ſpectat, qui juxta id quod ad ipſum per Prophetas locutus eſt Dominus, non viribus ſuis & armis, ſed ope meâ Templum perficiet, quomodo candelabrum iſtud aureum divinitus ſibi oſtenſum nullâ humanâ operâ jugiter lucet.

7. *Quis,* &c. Loquitur Angelus ad Sanaballat, qui confidens ſe eſſe montem magnum, impedire Templi fabricam tentavit cum ſociis ſuis. Verùm, ait Angelus, qui magnus ſibi videbatur mons præ Zorobabelis tenuitate, in planitiem redigetur, hoc eſt, qui magnus atque invictus habebatur, dejicietur manu & potentiâ Dei.

Et educet lapidem primarium. Heb. והוציא את האבן ראשה *& eduxit lapidem primarium,* q. d. Ipſe enim Zorobabel abhinc bimenſem operis tamdiu intermiſſi auſpicator, fundamentis Templi ſub Cyro jactis primum lapidem impoſuit anni ſecundi Darii Hyſtaſpis menſis noni die vigeſimâ quartâ, 1 Eſd. 3. v. 8. Agg. 2. v. 11. Particulam *Et* ſumi pro cauſali *quia, enim,* notiùs eſt quàm ut probatione indigeat.

Et exæquabit gratiam gratiæ ejus. Id eſt, Deus proſperè cœpto operi proſperum dabit ſucceſſum. Heb. חן חן להּ תשאות *cum ſtrepitibus, Gratia, gratia ei,* hoc eſt, Zorobabele duobus abhinc menſibus lapidem primum jaciente, populus acclamabat, Gratia, gratia huic lapidi, q. d. Faveat Deus illi lapidi, détque fauſtum & felicem ſucceſſum ædificio, cujus eſt lapis primarius.

9. *Manus,* &c. Q. d. Ipſe Zorobabel, qui ante hos duos menſes intermiſſam Templi fabricam reſumſit, reſumtam conſummabit, túmque certè cognoſcetis me à Deo vobis miſſum eſſe, ut hæc vobis antè prædicerem.

10. *Quis enim deſpexit dies parvos.* Heb. ליום קטנות, *diem tenuium,* ſupple, principiorum, q. d. Næ dies iſte, quo tenuia hæc Templi redintegrandi fundamenta jacta ſunt, non eſt ſpernendus, cùm ſeptem oculi globulo ſtanneo de perpendiculo Zorobabelis dependenti divinitùs inſculpti magnum lætitiæ præ-

beant

beant argumentum iis, qui hoc perpendiculum viderint in manu Zorobabelis. Septem namque oculi isti significant multiformem Dei providentiam, quâ universus terrarum orbis regitur & gubernatur, pervigilem adfuturam operi isti prosperè absolvendo. Vide suprà cap. 3. v. 9.

11. *Et respondi & dixi.* Hoc est, & locutus dixi. Verbum ענה de omni locutione dici, etiam ubi nullus alterius sermo præcessit, notum est.

12. *Spicæ.* Sic vocat olivarum ramos cum baccis. Baccas granis tritici, ramos culmis comparat.

Juxta duo rostra. Id est, juxta geminum guttum. Idem enim צנתרה quod suprà v. 2. גלה.

In quibus sunt suffusoria ex auro. Heb. המריקים מעליהם הזהב *quæ*, scilicet, spicæ, olivarum, *fundunt ex se aurum*, id est, oleum auri instar purum.

14. *Isti sunt duo filii olei,* &c. Hoc est, duæ istæ spicæ olearum velut quandam olei scaturiginem habentes, idque indesinenter subministrantes designant duplex unctorum genus, principes nimirùm & summos sacerdotes, qui Deo per candelabrum aureum significato sunt inservituri in administrando cultu Templi externo, pro mandatis sibi quique partibus.

CAPUT V.

1. *Conversus sum.* Id est, Verti faciem in aliam partem.

Volumen volans. Hoc est, liber apertus & explicitus. מגלה est liber ita scriptus ut convolui possit. Sed illud עפה *volans* denotat fuisse explicitum. Quod etiam longitudo viginti cubitorum & latitudo decem cubitorum Prophetæ versu mox sequenti observata in ostenso sibi volumine.

2. *Longitudo,* &c. Volumina illis in locis oblonga erant.

3. *Hæc est maledictio,* &c. Q. d. Hic liber continet comminationes pœnarum, quas brevi Dominus immissurus est in habitatores totius terræ promissæ, *tum illius*, inquit Grotius, *quam habuerant decem, tum illius quam duæ tribus.*

Quia, &c. Q. d. Hinc enim fur, hoc est Synecdochicè, qui injustus est in proximum, eâ afficietur ultione, illinc qui jurat, id est pejerat, seu impius est in Deum, & impudenter volumi-

minis instar tibi ostensi se ab omni macula purum prædicat.

Omnis fur sicut ibi scriptum est judicabitur. Heb. *Omnis fur hinc sicut ipsa* (supple, מגלה *volumen*, quod vocabulum est fœminini generis) *innocentem agit.* Q. d. Eò processit peccandi licentia, ut peccatores se Legis divinæ instar immaculatos prædicent, dum in ipsam Legem gravius peccant. Nihil itaque est accesse ut Hebræum נקה, vertamus per *punire*, vel *succidere*, cum innata voci notio sola optimè hîc quadret, unde à Tremellio redditur *se innocentem asserit.*

Ex hoc similiter judicabitur. Heb. מזה כמוה נקה, *illinc ut ipsa innocentem agit.* Vide mox dicta.

4. *Educam*, &c. Q. d. Volumen illud immaculatum proferam, & decretam in eo contra impios in Deum, & in proximum injustos maledictionem inducam, neque desistam donec eos, & eorum substantiam funditùs absumserim.

5. *Et egressus est Angelus.* Scilicet è loco, in quem antehàc abierat, ut ad me rediret novum visum explicaturus.

6. *Hæc est amphora egrediens.* Heb. *Epha egrediens*, Est autem *Epha*, seu ut Vulgatus interpres efferre solet, *Ephi*, mensura aridorum continens tres modios; tantundem liquidorum continet amphora, sive bathus. Vide commentarium nostrum in Matthæi cap. 13. v. 33.

Hæc est oculus eorum, &c. Q. d. Hæc mensura, quam Deo ordinante vides è Templo, vel ex alio quodam loco egredi, est quasi oculus quo videntur & examinantur Israëlitarum scelera. Pronomen *eorum* passivè sumi debere, optimè observavit Mariana.

7. *Talentum plumbi.* Hoc est, Massa plumbea talenti, pondo. De talento ex sententia Diodori ita habet Suidas: τάλαντον, ὡς φησὶ Διόδωρος ἐν τῇ περὶ σταθμῶν, μνᾶς ἕξηκοντα ξ'. ἡ δὲ μνᾶ δ' ἑκατὸν ρ'. *Talentum, sicut Diodorus ait lib. de ponderibus, valet sexaginta minas. Mina verò drachmas centum.* Itaque talentum quodvis continet sex millia suarum drachmarum. Talentum autem Hebraicum fuit duplum ad talentum Atticum, adeóque centum viginti minarum. Sicuti verò talentum Hebraicum duplum fuit ad Atticum, ita & drachma Hebraica fuit dupla ad Atticam. Hinc eundem Siclum Græci Scripturæ interpretes fecerunt didrachmum, non comparantes cum drachmis Atticis sed Hebraicis, quæ duplæ fuerunt ad Atticas: & tetradrachmum Josephus Antiq. 3. cap. 9. comparans nimirùm Siclum cum drachmis Atticis. Porro Siclus semunciæ pondus habuit, quod pondus fuit etiam stateris & quatuor drachmarum Atticarum, adeóque Siclus Hebraicus valorem habuit præter propter duorum solidorum

rum Anglicanorum cum dimidio. Vide commentarium noſtrum in Mat. 17. v. 26.

Et ecce mulier una. Quæ ſcilicet unà cum maſſa plumbea viſa eſt mihi portari.

Sedens in medio amphoræ. Id eſt, ſedens ſuper *Epha*, nihil mali metuens.

8. *Hæc eſt impietas.* Hoc eſt, hæc mulier, quam vides ſedentem ſuper Epha, eſt impietas, mater omnium ſcelerum, furtorum & perjuriorum.

Projecit eam in medio amphoræ. Intra Epha includitur Iſraëlitarum impietas, ne ſupra modum indies ingraveſcat. Tum os amphoræ ſeu *Epha* clauditur talento plumbi, ne commerita fugiat ſupplicia.

9. *Duæ mulieres*, &c. Quid iſtæ mulieres ſignificent, dictu eſt perdifficile. Tremellii tamen ſententia omnium quos vidi interpretum maximè arridet. *Deſignant*, inquit, *Eccleſiam duorum temporum: unum eſt cum Hhezra ex Babylonia in Judæam miſſu Eccleſiam conſtituit, & ab impiis illis, quibus commaculata erat Eccleſia, repurgavit, Hhezræ 9, & 10. alterum, cùm Nechemia, adhibito ſacerdotum conſilio, ſimiliter fecit, ut legimus Nechem. 13. Quamobrem hæc tempora mulierum appellationem habent, quia ferè cum muliere comparatur Eccleſia, ſive ſingularis aliqua ſit, ſive catholica: duæ verò ponuntur mulieres ad diſtinguenda duo illius tempora.*

Spiritus. Id eſt, ventus. Deſignantur autem per alas vento plenas alæ ad volandum inſtructiſſimæ, quæ adumbrant expeditiſſimam Eccleſiæ celeritatem ad exequendum voluntatem Dei, ut 1 Eſd. 10. v. 8.

Et habebat alas quaſi alas milvi. Heb. וכנפי החסידה, *quaſi alas ciconiæ.* Nam חסידה eſſe ciconiam evincit clariſſimus Bochart. Hierozoici part. poſt. lib. 2. cap. 29. Ciconias alis maximè valere, & iis migrare etiam ad loca remotiſſima probat idem Bochartus ibidem Num. 5.

Et levaverunt amphoram inter terram & cælum. Id eſt, evictos impietatis intra amphoram ſeu Epha ſupra v. 8. incluſæ deportarunt *palàm publicâ ſententiâ, & executione illius; ut quæ efferuntur in aërem, oculis omnium quàm longiſſimè exponuntur*, inquit Tremellius.

11. *Ut ædificetur*, &c. Q. d. Ut relegatione perpetuâ foràs extra Eccleſiam relegetur impietas in terram Sennaar, id eſt, Babylonis, ibíque collocetur in baſi ſua, id eſt, in ſede illa, ubi iſti impii Judæi ob impietatem ſuam ex Eccleſia ejecti antèà fundati & radicati corruptiſſimos ſuos mores hauſerant, & ubi fratres ipſorum neglectis Dei beneficiis ſedes ſuas fixerant. Itaque evictos

evictos impietatis & improbitatis extra Ecclesiam deportari, & & in Babyloniam relegari est, ut optimè advertit Tremellius, *adjudicari atque implicari eodem judicio, quod manebat Judæos alteros, qui Babylonicam vitam piæ & sanctæ in Judæa vitæ prætulerant.*

Ædificetur. Perpetua habitatio aut certè diuturna in Scripturis figuratur sæpè domûs ædificatione. Hoc idem hîc significatur stabilitione & positione supet basim.

In terra Seunaar. Clarissimus Bochartus in suo Phaleg lib. 1. cap. 5. putât à verbo נער, quod est *excutere*, dictam terram שנער, *quæ excutit*, id est, cujus incolæ justo Dei judicio in omnes mundi oras excussi sunt, & dissipati, dum insanam illam Babylonicæ turris substructionem moliebantur.

CAPUT VI.

1. ET *conversus sum.* Id est, verti me ad novum visum alteri superveniens.

Quatuor quadrigæ. Quæ videlicet secundum Chaldæum Paraphrasten quatuor imperia denotant.

Egredientes de medio duorum montium. Ubi scilicet in fauces angustas coëunt.

Et montes, montes ærei. Si Grotio credimus, *portas Ciliciæ intelligit inter montium ardua, per quas Babylonii & Persæ, Alexander quoque & duces ejus in Syriam, Judæam, Ægyptum transire soliti.*

2. *In quadriga prima equi rufi.* Equis rufis Chaldæi videntur significari, quos ut sanguinis fundendi avidos Jeremias describit in Threnis. Horum obiter meminit ordinis servandi causâ, ut præterita futuris connectat.

In secunda equi nigri. Equus niger famem significat Apoc. 6. v. 5, & 6. & Metonymicè vastitatem, quam plurimis terris intulere Persæ, ut ex historia Darii Hystaspis & Xerxis liquet. Vide Grotium ad Dan. 8. v. 4.

3. *Equi albi.* Præclarè Grotius, *id signum triumphi perpetuas Alexandri victorias significat.*

Equi varii. Heb. קומים ברדים, *equi grandinati*, hoc est, equi maculis albis grandinis instar respersi, quos Latine scutula-

tos, guttatos, & varios dicimus. His significantur Ægyptii Reges, quibus, uti constat ex Daniele, fortuna belli modò ravit, modò fuit adversa.

Et fortes. Heb. אמציים, pro חמציים, *acres*, hoc est, acris ruboris, seu spadices, phœnicei, rutili. Acor enim, ut cetera saporum nomina, ad colores transfertur, significatque splendorem & exuberantiam coloris. Quia verò intensus ruber præ ceteris coloribus splendet, ut Græcè ἐξὸ ferè dicitur de purpureo, sic Hebraicè חומץ & אמוץ dicitur spadix seu Phœniceus color. Vide clarissimum Bochartum Hierozoici par. 1. lib. 2. cap. 7. His equis intensi ruboris significantur Reges Syriæ, ob acres cædes Judæorum ab ipsis factas, ut videre licet in libris Machal æorum. Junguntur autem Reges Syriæ cum Regibus Ægyptiis, *quòd Judæi modò sub his, modò sub illis fuerint, & ipsa genera sæpè matrimoniis permixta, possessionesque transfatæ vi aut pactionibus.* Inquit Grotius. Ne porro mirum videatur equos ejusdem currûs describi varios & phœniceos, *etiam*, inquit mox laudatus Bocharus loco citato, *in Eumeli quadrigis Euripides Iphig. in Aulide describit* τὸν μὲν μέσον ζυγὸν κόσμοισι τοῖσι βαλίοις, τοὺς δ' ἔξω, ἀσπιλοφόρους, αὐτῆρες Καμπαῖοι δέρμα πυρρόθριχας, *medios quidem jugales equos pulchris albis, maculis distinctis variis, funales verò, extra jugum oppositos flexibus cursuum, rufis pilis insignes.* Neque enim, ut Hodæ, in curru quadrijugo funales equi præcedebant subsequentibus jugalibus: sed in medio duo jugales ibant, & ad latera duo funales utrinque erant loro adnexi, ita ut equi quatuor æquatâ fronte procederent. Olim quidem omnes jugarii erant. *Sed primus Cleosthenes Sicyonius tantum medios jugavit, illique singulos ex utraque parte simplici vinculo applicuit, quos Græci* ἀμφηρεῖς, *Latini funarios vocant*, inquit Isidorus Hispalensis Orig. lib. 18. cap. 35. Equis igitur in Eumeli curru sic dispositis, medii quidem varii, extremi verò rufi. Et Cleosthenis, de quo modò, funalium equorum unus erat Phœniceus, alter niger; & Jugalium unus varius: quod ex illorum nominibus colligere est, ut apud Pausaniam in Eliacis extant, & à Bocharto referuntur loco mox laudato, ubi etiam observat quomodo intensus ruber dicitur *spadix*, & *phœniceus*, quia fructus palmæ ejusdem coloris *phœnices* dicuntur, & avulsus à palma termes cum fructu est *spadix* Gellio lib. 3. cap. 9. Sic etiam eumdem acrem ruborem dici *badium* pro *baidium* eandem ob causam. *Nam*, inquit, *Bai Ægyptiis hodieque est palmæ ramus, unde* Βαΐς & Βαΐον *Græcè. Prius est in Hesychio: Posterius Jo.* 12. *v.* 13. & 1 *Macc.* 13. *v.* 31. Atque ita Anglicana versio Hebræum אמציים opptime reddit, *bay horses.*

4. *Quia*

4. *Quid sunt hæc?* Hoc est, quid sibi volunt hæ quadrigæ, & hi equi quos egredientes è locis duris & asperis, ubi velut venti intra cavitates montium conclusi tenebantur?

5. *Isti sunt quatuor venti cæli.* Id est, isti sunt quatuor flagellatores, castigatores, castigatores à quatuor diversis climatibus concitati & porrò concitandi. Vide Apoc. 7. v. 1.

Qui egrediuntur, &c. Q. d. Hi priùs clausi continebantur à Deo, permittuntur erumpere ad exercendum judicia Dei, pace & tranquilitate, quâ antea fruebantur gentes, sublatâ.

Ut stent coram dominatore universæ terræ. Heb. *A stando coram dominatore universæ terræ.* Utrumque verum est, quatuor scilicet imperia egredi à locis, ubi Dei voluntate priùs continebantur, & egredi ut ipsius voluntatem exequantur.

6. *In qua.* Scilicet, quadriga.

Egrediebantur in terram Aquilonis. Persæ egressi sunt in Chaldæam, quæ est Aquilonaris Judæis.

Albi egressi sunt post eos. Venit Babylona & Alexander.

Varii egressi sunt ad terram Austri. Id est, Grotio interprete, Illi Lagidæ Ægyptum tenuere, quæ ad Austrum Judæis.

7. *Robustissimi.* Id est, vegetissimo rubore insignes. Heb. אמצים, pro דמעצים, Aleph cum littera Cheth permutatâ. Vide quæ diximus suprà v. 3.

Exierunt, &c. *Seleucidæ*, inquit Grotius, *modo Ægyptiis bellum intulere, modò Judæis & Arabibus, coëunque vicinis, modò Armeniæ Mediæque & Parthis, ita ut nihil intactum sinerent, faciente Dei permissu.* Porrò de rufis equis primæ quadrigæ, quorum obiter ut diximus, mentio fit suprà v. 2. jàm nihil dicit, quia imperium Chaldæorum illis designatum transierat, cùm hoc visum Zachariæ obtingeret.

8. *Et vocavit me.* Heb. ויזעק אלי, *& advocavit me clamando fortiter*, id est, altâ voce me ad se accersivit Angelus, qui me alloquebatur suprà.

Qui egrediuntur in terram Aquilonis, &c. Id est, Persæ, qui egressi sunt in Chaldæam, jampridem ibi iram meam, contra Chaldæos suscepram abunde satiarunt. De reliquis Monarchiis, putà Alexandri, Lagidarum & Seleucidarum tacet, ut quæ necdum existerent, sed postèà demùm extituræ essent.

Spiritum meum. Id est, iram meam. *Spiritus*, inquit Grotius, *modò iram, modò benevolentiam significat. Ex materiæ diversitate varianda interpretatio.* Præclare autem Augustinus pro more lib. 2. ad Simplic. q. 2. *Ira hominis turbida est, & non sine cruciatu animi: ira verò Dei, illo in tranquilitate jugiter manente, in creatura subdita exercet admirabili æquitate vindictam.*

10. *Sume a transmigratione.* Id est, ab iis, qui recèns venerunt

è captivitate Babylonica, scilicet ab Holdai, à Tobia, & ab Idaia.

Intrabis in domum Josiæ. Ubi videlicet illi tres viri divertunt. Hic Josias ut & Holdai binomius erat. Nam infrà v. 14. vocatur Hen, & Holdai nuncupatur Helem.

Qui venerunt de Babylone. Hæc verba interpretantur quod præcessit, *à transmigratione.*

11. *Et sumes,* &c. Q. d. Sume, inquam, aurum & argentum, quod illi viri exportarunt Babylone, ad offerendum Domino in Templo, quod jam extruetur, fácque inde coronas, quarum unam ceteris in Templo anathematum vice suspensis, summo Sacerdoti impones.

12. *Ecce vir.* Hæc verba Deo dirigente Pilatus Christo aptavit, dicens Joan. 19. v. 5. Ἴδε ὁ ἄνθρωπος.

Oriens nomen ejus. Heb. צֶמַח שְׁמוֹ, *germen nomen ejus.* Id est, surculus velut renatus ex stirpe Davidis est Zorobabel, & qui per eum figuratur Christus Dominus. Vide dicta suprà cap. 3. v. 8.

Subter eum orietur. Heb. וּמִתַּחְתָּיו יִצְמָח, *& è loco suo germinabit*, id est, ejus dignitas germinis instar paulatim succrescet donec ad summum gradum pervenerit.

Ædificabit Templum Domino. Id est, Zorobabel exædificabit Templum, cujus ipse primum posuit lapidem, & Christus per eum figuratus consummabit Ecclesiam, cujus ipse est lapis angularis, & unicum fundamen.

13. *Ipse extruet Templum,* &c. Q. d. Ipse, inquam, perædificabit Deo Templum, ipse laudem ex hostibus reportabit, & in solio sedens regiam autoritatem habebit; pariter quoque & Josue summus Sacerdos concessam sibi divinitùs potestatem plenè obtinebit, unanimitásque inter Zorobabelem regiâ potestate gaudentem, & Josue summo sacerdotio fungentem vigebit, ut olim inter Moysem & Aaronem.

14. *Coronæ erunt,* &c. Q. d. Coronæ autem à te factæ suspendentur in Templo, ut sint monimentum eorum liberalitatis qui argentum & aurum dederunt. Vide dicta suprà v. 10. & 11.

15. *Et qui procul,* &c. Q. d. Etiam gentes deferent munera, quibus non solùm extrui poterit Templum, sed etiam ornari intùs & decorari, hóque eventu comperietis me verum esse Prophetam à Deo missum, ut istud vobis eventurum prædicerem, si tamen audientes fueritis voci Dei, qui per Prophetas suos vobis præcepit, ut Templi ædificium ad finem perducatis.

CAPUT

CAPUT VII.

1. *IN anno quarto.* Hoc est, anno eunte altero post resumtam à Zorobabele tamdiu intermissam Templi structuram.

In quarta. Scilicet die

Mensis noni. Incipiendo annum à Nisan, qui partim Martio, partim Aprili nostro respondet.

2. *Et miserunt.* Heb. וישלחו, *& misit.* Præclarè Drusius, *Duplex*, inquit, *archaismus: primum ET pro CUM, id est, POSTQUAM; deinde MISIT, sub. populus,* Itaque Judæi remanentes adhuc Babylone post solutam captivitatem, vel qui extra Jerosolymam in vicis, villisque habitabant, vel denique, si Græcis & Vulgato interpreti credimus, Sarasar & Rogommelech, cum sociis suis miserant legationem in Templum, ubi jam sacra fieri incipiebant, ut ibi Deum deprecarentur.

Sarasar, &c. Plerique interpretes volunt Sarasar, & Rogom-Melech cum viris ipsum comitantibus missos fuisse legatos, non verò legationem misisse, ut Vulgatus & LXX. exprimunt.

3. *Ut dicerent Sacerdotibus*, &c. Q. d. Deinde ut missi à populo extra Jerosolymam legati nomine ipsius interrogarent Sacerdotes, consulerentque Prophetas, qui tunc tres erant, Aggæus nempe, Zacharias & Malachias, an adhuc lugere & jejunare debeat, sanctificando se, id est, separando à cibis & voluptatibus in mense quinto, uti tôto captivitatis tempore fecerat, cum jam Deus ab iræ suæ severitate se converterit ad miserendum afflicto populo suo, & Templum fermè instauraverit? Mensem porrò quintum nominavit, quia ejusdem die septimâ, ut habetur 4 Reg. 25. v. 8, & 9. vel decimâ, ut habetur Jerem. 52. v. 12. Templum fuit exustum. Error haud dubie ex veteribus notis numeralibus aut in ultimum librum Regum, aut in Jeremiam irrepsit. Josephus Nonâ quinti mensis die Templum fuisse incensum scripsit, quod sequitur hodiernum Judæorum Kalendarium.

5. *In quinto & septimo.* Ex 4 Reg. 25. v. 25. habemus Godoliam mense septimo occisum fuisse. Judæorum Kalendaria, quæ fabulis scatent, quinti mensis diei primæ jejunium assignant ob mortem Mosis: diei sextæ ob raptas à Benjamitis virgines: diei nonæ ob seditionem ab exploratoribus terræ Canaan excitatam:

diei decimæ octavæ ob extinctam lucernam in Templo diebus Achaz. Mensis septimi diei tertiæ ob occisum Godoliam; diei quintæ ob occisos Israëlitas ad Godoliam venientes; diei decimæ ob populi solemnem quotannis expiationem.

Numquid jejonium jejunastis mihi. Q. d. An meæ voluntati consentaneum observâstis jejunium?

6. *Et cùm comedistis*, &c. Q. d. Ut in vestris conviviis, non quid mihi placeret, sed quid vestræ arrideret libidini spectastis; sic in jejuniis vestris privatos potiùs affectus estis secuti quàm solemni humiliatione meam à vobis iram avertere contendistis.

7. *Numquid*, &c. Q. d. Jejunia vestra esse præposterа pridem vobis Dominus denuntiavit per Prophetas suos, qui captivitatem Babylonicam antecessêre, & vaticinati sunt cùm Jerusalem habitaretur in summa tranquillitate, atque opulentia, & tractus Judææ Australis, qui montosior est, æquè ac regiones planæ & campestres inhabitaretur, ita ut nulla pars terræ esset inculta.

9. *Hæc ait.* Heb. *dixit.* Scilicet per Prophetas priores.

Judicium, &c. Monet Deus veritatem & integritatem in judiciis ita esse servandam, ut neque largitate corrupta sint, privatâ aliquâ ratione inflexa: deinde clementiam omnem & benignitatem aliis in alios esse exercendam. Sub his autem officiis, quæ spectant proximum, intelliguntur, quæ ad Deum spectant; nec quit namque diligi proximus verâ charitate, quin simul, imò priùs diligatur Deus. Quod præclarè declarat circuli & centri similitudine B. Dorotheus tom. 3. Bibl. Patrum Doct. 6. in fine: *Circulus*, inquit, *est mundus, centrum est Deus, lineæ à circumferentia ad centrum ductæ, significant varias hominum affectiones, actiones, & amores: sicut ergo lineæ, quò magis à circumferentia distant magisque ad centrum accedunt, eò sibi invicem magis appropinquant, adeóque tandem in centro coëunt: ita amor noster, quò magis à carne & mundo avellitur, magisque ad Deum accedit, eò magis & ad proximum accedit, tandémque in Deo ipso coit & unitur. Quò enim magis à Dei dilectione recedimus, eò magis & à proximi amore distamus: quantùm verò Dei charitati adhæremus, tantùm & proximi; quantúmque proximo, tantùm & Deo conjungimur.*

Et misericordiam & miserationes facite. Misericordiæ nominis reduplicatione multam crebrámque esse faciendam monet, nullámque in ea proximis exhibenda prætermittendam esse occasionem.

Unusquisque cum fratre suo. Heb. ad verbum, *Vir cum fratre suo.* Id est, alii in alios. Hebraismus Scripturæ familiaris.

10. *Et*

10. *Et viduam pupillum & advenam & pauperem.* Particula ET hîc, ut & alibi passim disjunctivè sumitur.

Nolite calumniari. Hoc est, per fraudem litibus vexare. Heb. אל־תעשקו, *ne opprimatis.*

Et malum, &c. Q. d. Neque alter alteri nocendi consilium sibi in mentem venire patiatur. Quale jejunium Deus velit, Esaias simillimâ iis quæ hîc dicuntur ratione describit cap. 58. v. 6, & 7.

11. *Averterunt scapulam recedentem.* Heb. ויתנו נתף סתרת, *& præbuerunt humerum refracturium,* seu, ut Vulgatus interpres eadem verba reddit Nehem. 9. v. 29. *Et dederunt humerum recedentem.* Q. d. Instar boum, qui jugum recusant, eique obnituntur, salutaribus Prophetarum monitis contumaciter obluctati sunt, tergáque obverterunt monentibus.

12. *Ut adamantem.* Heb. שמיר, *Smiris,* seu, *Smyris,* sive ut in Græca versione Job. 41. v. 7. appellatur *Smyrites,* & in editionibus Complutensi & Parisiensi majore *Smirites,* lapis durissimus, quo gemmarii ad gemmas expoliendas utuntur. In quem usum etiam à veteribus fuisse adhibitum contra Cardanum ex Dioscoridis diserto testimonio evincit clarissimus Bochartus Hierozoici par. post. lib. 6. cap. 11. Eundem lapidem veneno cujusdam arbusti *Ghalka* nomine in Arabiæ provinciis Hegiaz & Thehamia tinctum in Æthiopum sagittis pro ferro fuisse probat idem Bochartus ibidem. Quia vero hic lapis in tenuissimum pulverem contusus ad opus adhibetur, ab Hesychio dicitur ἄμμου εἶδος ᾗ σμήχονται οἱ σκληροὶ τῶν λιθῶν, *arenæ species, quâ deterguntur duri lapides.* Hinc Ezech. 3. v. 9. quo Ezechiel contra populum perfrictæ frontis obstinatique ad malum animi pertinacissimâ constantiâ muniatur, Deus dat illi frontem נשמיר חזק מצור, *Similem smiri, firmiorem rupe.* Rabbini nescientes quid esset שמיר, & ex loco Ezechielis mox laudato colligentes *Samir* esse lapide fortiorem, fabulati sunt esse vermem hordei granum mole corporis excedentem, cujus tactu lapides findantur & dissiliant, húncque vermem annumerant decem rebus, quas in *Pirke Aboth* nugigeruli aiunt vesperâ Sabbathi creatas. Hujus vermis operâ nugantur Mosem Ephodi gemmas, ac utrasque Legis tabulas, & Salomonem Templi lapides aptasse ac expolivisse. Hinc quod habetur 3 Reg. 6. v. 7. Salomonis Templum ex lapidibus integris, prout advecti fuerant, sic fuisse ædificatum, ut in eo construendo nulli mallei, aut secures, aut instrumenta ferrea adhibita fuerint, Gemaristæ in *Sata* sic accipiunt, ac si simpliciter negetur Templi lapides ullo ferro fuisse fissos, aut dedolatos. Quomodo autem hic vermis innotuerit Mosi, non multùm quærunt isti fabulatores, sed eundem ut Salomoni sistant, omnem

movent

movent lapidem. Talmudici in tractatu *Gittin* fol. 60. a. allatum fuisse asserunt ab Asmodæo dæmoniorum Principe. In tractatu *Cholin* fol. 63. a. aiunt ab upupa allatum. Nempe volunt à Salomone missum ad upupæ nidum, & pullos in eo repertos vitro includi jussum; itque ita mater ab eorum accessu se prohiberi non ferens, attulit vermem שמיר, cujus solo attactu dissiliit vitrum, & contractum est. Kimchius in locum Regum mox laudatum & Rabbi Simeon Concionator in *Jalkut*, Salomonem, qui linguas avium apprimè callebat, ab iis quæsiisse dictitant, ubi esset שמיר, *Samir*. Quo audito confestim aquilam in hortum Edenis evolasse, unde vermem illum attulerit. Quem usque ad primi Templi desolationem, Judæi in area plumbea summo studio servaverint, rebus mollibus illi substratis, & copiâ furfurum ei abundè subministratâ. Sed magno scilicet Reipublicæ damno, משחרב בית המקדש בטל השמיר, *ex quo vastata fuit domus Sanctuarii, defuit Samir*, uti habetur in *Misna* tractatus *Sota* cap. 9. Ad quem locum *Gemara* de usu τῦ *Samir* multa habet insignia. Ipsa Rabbinorum loca, ex quibus hæc petita sunt, in Talmudico Buxtorfii Lexico videre est ad vocem שמיר. Vincentius Bellovacensis hunc vermem *Thamur* vocat, & upupæ struthionem substituens, totam fabulam ita adornat Doctrinalis sui lib. 16. cap. 122. *Thamur dicitur vermis Salomonis. Nam Salomon cùm marmor Parium ad ædificationem Templi de remotis partibus convehi præcepisset, conscius prohibitionis Legis, quæ vetuit altaris ædificandi lapides ferro mundi, quæsivit experimentum in vermibus, quod ars humana nescivit. Nam pullum struthionis in vitreo vase recluserat, quem cùm videret struthio, & habere nequiret, naturaliter agnitam artem attentans, ad desertum cucurrit, redièque vermiculum tulit, cujus sanguine vitrum linivit, & confractum est, sicque fœtum eripuit. Quod videns Salomon hoc experimento, eodem genere vermis in incisione durissimi marmoris usus est, & effectum consecutus est.* Has nugas retulisse, earumque fontes indicasse, utique refelliste est. Similis tamen ferè fabula de upupa extat apud Ælianum Hist. lib. 2. cap. 26. *Cùm*, inquit, *in parietis parte maximè deserta peperisset hæc avis, in lapidis rima vetustate acta, & parietis curator, pullis intùs observatis, luto vimenti obduxisset: upupa post reditum, murum obstructum videns, herbam attulit, & luto admovit. Quo statim dissoluto, illa ad pullos suos accessit, & inde pastum rediit. Et, cùm idem ille vir parietem rursus obduxisset, avis cum hac ipsâ herbâ denuò reseravit: atque id tertiò factum est.* Ἔτυχε γὰρ ἐν τῷ τῆ τείχες ἐρημοτάτῳ ὄντι ὁ ἔρις παιδοποιησάμενος, ἓν τῃ ῥήγματι λίθε ὑπὸ τῆ χρόνε διαστάντι, ἐκλὰν ὁ τῆ τείχες μελεδωνὸς ἰδὼν ἔνδον τὰ βρέφη κατιλεγμένα ὑπὸ τῆ ἐπιπολῆ ἐπισκευάζει ὁ ἔρις, ὡς εἶδεν αὐτὸν ἀποκλείσαντα,

τὰ,

πα. πόαν ἐκόμιζε καὶ προσώλλυε τῷ πυλῶ. ὁ δὲ πατὴρ ὧν. καὶ προσῆλθε πρὸς τὰ αὐτὰ ὠλεθρο τέκνα. εἶτα δὲ νομῷ ἦξεν. αὖθις δὲ ὁ αὐτὸς ἐπίλεπτος ἀνθρωπος καὶ ἡ ὄρνις τῇ αὐτῇ πόᾳ ἀνέκρε τὰ χοιρίδια. καὶ τὸ τελευταῖον ἐπροφήχθη τὰ αὐτά.

Verba quæ misit Dominus. Id est, annuntiari curavit.

In spiritu suo. Spiritum propheticum intelligit, quem *suum* vocat, quia hoc spiritu loquebatur cum Prophetis suis.

Per manum. Id est, per ministerium.

Et facta est, &c. Q. d. Propter hanc duritiem animi pertinacis in malum periratus fuit Dominus patribus vestris.

12. *Et factum est,* &c. Id est, cumque vindictæ traderentur acerbæ, impletum est, quod Dominus per Prophetas suos prædixerat, se videlicet surdum fore ad vota precésque eorum, qui mandata & monita ipsius audire detrectarunt;

Quòd non ex animo nec verè scilicet illos
Panituit pœnæ non culpæ horrore dolentes.

14. *Et dispersi,* &c. Q. d. Repentino itaque veluti turbine in regiones antehac ipsis ignotas disjeci eos, iisque deportatis, vix quisquam per Judæam desolatam transiit, aut ad eam rediit; atque ita quæ olim erat terra feracissima incolarum peccatis conversa est in horridum & incultum desertum.

CAPUT VIII.

1. ET *factum est verbum Domini.* Supple, ad me, uti habet Chaldæus Paraphrastes, & annotant critici Hebræorum Massoritæ.

2. *Zelatus sum,* &c. Q. d. Ex Zelotypia propter adulteria ejus spiritualia quibus à me defecit, multis Sionem affeci plagis. Deo tribuitur zelus, ἀνθρωποπαθῶς & improprie, quia in eum non cadit vel tristitia, vel ægritudo aliqua ex eo concepta, quod alius obtineat ea, quæ ipse desiderat & non assequitur. Sed zelus Dei est improbatio & punitio perfidiæ hominis, ejusque amor erga

erga sues, cum quibus quasi fœdus conjugale iniit. Unde dicitur Nahum. 1. v. 2. Θεὸς ζηλωτὴς, *Deus æmulator*. Est enim *æmulatio* singularis quidam & ardens affectus ac studium, ex eo proveniens, quod quis timeat ne alter habeat, aut eo fruatur, quod sibi cum nemine vult esse commune, qui affectus inter conjuges viget maximè. Nihil autem est frequentius in Scriptura quàm descriptio idololatriæ sub scortationis nomine, quia homo per eam discedit à Deo, divinósque creaturæ tribuit honores. Inde Zelotypia Deo tribuitur maximè in tali peccato Exod. 20. v. 5. Introducitur itaque Deus quasi sub mariti persona; populus Dei sub sponsæ typo; sacrum Dei fœdus cum populo sub conjugii nomine; & Deus dicitur zelotes. 1. quia jus suum persequitur adversus eos qui fidem non servant. 2. quia non potest ferre ut alius ametur, colatúrve præter se. 3. quia ardenter amat eos, qui spiritualis cum ipso pacti fœderis fidem servant, & ob ejus violationem graviter indignatur, neque inultam eam sinit. Hinc Deus Hebraicè vocatur אֵל קַנָּא, ἰσχυρὸς ζηλωτὴς, *fortis zelotes*. Homo zelotes est qui fervidè agit. Sed cùm sæpe mariti offensi & zelotypi vana sit sine viribus ira, Deus ostendit se fortem esse, qui potest illatam sibi injuriam ulcisci, honorémque suum vindicare, ne alteri detur, Esa. 42. v. 1.

3. *Reversus*, &c. Præteritum pro futuro, q. d. Nunc placatus ad Sionem revertar, à qua discesseram offensus, & favore meo dignabor Jerosymam, eique intimus ero, faciámque ut in ea, vigeat veritas & sanctitas, hoc est cultus veri Dei, sincerus & ab omni vitio purus.

Vocabitur. Id est, erit. Vide commentarium nostrum in Mat. 1. v. 23.

4. *Adhuc*, &c. Id est, ad plenissimam ætatem pervenient in posterum cives Jerosalem, ita ut suus cuique scipio futurus sit in manu, cui præ senio innitatur. Similiter provesta ætas, & decrepita senectus prædicitur futura tempore restaurati Templi Es. 65. v. 20. *Ad magnam ætatem*, inquit Grotius, *perveniesse illorum temporum homines, ipsæ res Zorobabelis, Jesu Sacerdotis, Esdræ & Nehemiæ declarant*.

5. *Et plateæ*, &c. Pax promittitur ingens, quæ ad Antiochi fermè tempora duravit. Vide 2. Mac. 3. v. 1. *Magna autem pax, quando pueri in plateis ludunt: desit enim seditio domestica, vel bellum foris; tunc enim pueri domi se continent*, inquit Oecolampadius. *Hinc etiam*, pergit idem, *cognoscimus pueros eorum qui in Ecclesia, in populo Dei recenseri, quos & 70 vires in Epistola salutat, quibus denique cum majoribus in Psalmis benedicitur. Cur*

igitur

igitur non liceret eos sacramenti communione inter catholicos cognoscere?

6. Si videbitur, &c. Q. d. Quamvis vobis adhuc paucis numero ex præsente vestra tenuitate impossibile videatur ut tam exiguæ reliquiæ populi à gentibus ferè extincti tantæ, tâmque beatæ fiant in his diebus, mirum tamen non est id effectum iri à me, cui facta nihil est difficile.

7. *Ecce ego salvabo*, &c. Id est, salvum educam populum meum ex omnibus mundi partibus, ubicunque dispersi fuerint. Simili Synecdoche legitur Mat. 8. v. 11. *Ab Oriente & Occidente venient*, pro quo Luc. 13. v. 29. *Ab Oriente & Occidente & Aquilone & Austro.*

8. *Et adducam*, &c. Q. d. Et Jerosolymam reducti à me magnâ ibi securitate habitabunt, eruntque mihi in populum, & ego ero eis in Deum cum constantia & fide mutua.

9. *Confortentur*, &c. Q. d. Instate operi vos, qui ante annos fermè duos verba ista consolationis plena audistis per os Aggæi primùm, deinde meum, tum iterùm Aggæi, cùm cœptum est strui super jactis pridem Templi fundamentis.

10. *Ante dies*, &c. Id est, ante illud tempus, quo Templum cœptum est ædificari super fundamentum sub Cyro jactum, nulli erant mercenarii, nullæ operæ, quia non erat hostium metu qui terram coleret, neque jumenta portabant onera. Quinimò tutum non erat versari his in locis, propter externum hostem adversus omnes grassantem; dimittebat enim Deus omnem hominem in proximum suum, hoc est, non coërcebat hostes quominus offenderent, sed permittebat eis ut sævirent, ac multa mala inferrent.

11. *Nunc*, &c. Q. d. At postquam incubuistis in ædificationem Templi, non inclementer vos tractabo, ut antea.

12. *Sed semen*, &c. Id est, Pacificè seminabitis citra terrorem, roratæ cœlitus vites segetésque maximam frugum copiam hujus populi reliquiis suppeditabunt.

13. *Et erit*, &c. Q. d. Ut anteà eratis inter gentes tanquam populus maledictus, sic modò eædem fortunatos vos censebunt præ ceteris: macti ergo estote animo, & perseverate in resumto Templi ædificio.

14. *Sicut*, &c. Q. d. Cùm antehàc implicabilis justas vobis irrogaverim pœnas, propter hereditariam corruptionem vestram, quâ longâ serie annorum ad malitiam obdurueratis. Præclarè Calvinus: *Quum dicit se nocuisse illis propter patrum delicta vel scelera, hoc debet referri ad corpus populi. Ideo supervacua est quæstio, quam moverat quidam interpretes, Cur Deus pœnam sumserit de filiis ob patrum delicta, quum tamen alibi pronuncies morituram*

morituram animam quæ peccaverit. Nam hoc loco Prophetæ non distinguit patres à filiis, sed significat Deum non fuisse propitium Judæis, quoniam multo antè provocaverant iram ejus. Interea dubium non est quin quisque justas pœnas dederit propriæ iniquitatis.

15. *Sic conversus*, &c. Jam dicit Deum esse conversum, non quòd alio esset animo, sed quia ad hominum sensum Deus videtur quodammodo aliis esse, ubi eos misericordiæ suis incipit prosequi beneficiis, quos antè justo judicio duriter & severè castigavit.

Nolite timere, &c. Q. d. Deposito metu fortiter incumbite restaurationi, certi præsentem vobis fore manum Dei, quia vult se ostendere esse placatum.

16. *Hæc sunt*, &c. Q. d. Hac conditione & lege vobis promitto favorem meum, ut veraciter inter vos agatis, abstinentes ab omni fallacia & dolo; & ad urbis portas in tribunalibus vestris verum legitimúmque judicium, sopiendis controversiis idoneum pronuntietis.

17. *Et unusquisque*, &c. Q. d. Nec tantùm externis officiis defungi studeatis erga proximum, sed ut etiam purgetis animos proximi odio, & perjurii appetitu, hoc est per Synecdochen, omni pravo affectu, quia Deus falsum jus jurandum, ut alias omnes fraudes, & perversas animi affectiones abominatur.

19. *Jejunium quarti.* Scilicet, Mensis. Hic respondet Vates ad id quod quæsitum erat suprà cap. 7. v. 3. Nonâ die Mensis quarti muro perrupto Jerosolymam captam à Nabuchodonosor testatur Jeremias cap. 52. v. 6, & 7. Hanc lugubrem ob causam à Judæis publicum institutum fuisse jejunium rectè ait Cyrillus Alexandrinus. In Kalendario Judæorum assignatur aliud jejunium quarti mensis diei decimæ, ob confractas a Mose eâ die Legis tabulas, & quòd juge sacrificium desiit, idolo in Templo collocato. Joseph. lib. 6. De bello Jud. cap. 8.

Jejunium quinti, & jejunium septimi. Vide quæ diximus suprà cap. 7. v. 3. & 5.

Jejunium decimi. Cujus die decimâ cœpta est obsidio urbis Jerusalem 4 Reg. 25. v. 1. & Jerem. 52. v. 4. Præter hoc jejunium in Kalendario Judæorum assignatur ejusdem mensis decimi diei quintæ jejunium ob triste nuntium quod de urbis excidio Babylonem venit ad Ezechielem; diei præterea octavæ, quòd à LXX. Interpretibus Lex versa sit Græcè. Verùm publica & anniversaria jejunia à populo fuisse instituta, & in captivitate etiam Babylonica celebrata quatuor à Vate nostro nominatis mensibus non nisi ob ista lugubria, quæ hisce mensibus contigisse ex laudatis

Scripturæ

Scripturæ locis patet, communis est post Cyrillum Alexandrinum Interpretum & Chronologorum sententia. Hinc patet penes Ecclesiam esse instituere jejunia, & humiliationes solemnes, ut illis adminiculis adjuti ardentiùs Deum invocemus. Sed si in hisce externis exercitiis situm putamus meritum aliquod satisfactionis aut justificationis, tum jejunia & humiliationes nostræ rejiciuntur à Deo, uti videre est Es. 58. & suprà cap. 7. v. 5, & 6. *ubi Deus negat illos sibi jejunare, qui in externo opere sanctitatem & cultum Dei collocant*, ut loquitur Davenantius in aureo suo Commentario in Epist. ad Col. cap. 2. v. 23.

Erit domui, &c. Q. d. Luctui & pœnitentiæ significandæ destinata jejunia cessabunt, & convertentur in solemnitates bonas, id est, lætas, ac hilares ad gratias Deo agendas de restituto vobis ipsius favore, dummodò justitiam & pacem quæ inde provenit sectemini.

29. *Usque quo veniant.* Heb. עֹד אֲשֶׁר יָבֹאוּ, *adhuc quo venient.* Oratio defecta, quam hoc modo supplebis, Adhuc erit tempus quo venient populi ex ultimis oris. Vide suprà v. 7.

21. *Et vadant*, &c. Q. d. Unius urbis incolæ ad alteram proficiscentur se mutuò adhortantes ad preces Deo fundendas in Templo, & Prophetas & sacerdotes consulendos de rebus quæ in Lege tractantur.

22. *Gentes robustæ.* Hoc est, gentes validæ numero, seu opibus, gentes numerosæ, seu opulentæ. *Prædicitur hic magnus confluxus tum ex Judæis, tum ex gentibus ad instauratores Urbis & Templi materialis, qui est typus illius concursûs qui futurus est novissimis temporibus ad fundatores Hierosolymæ spiritualis*, inquit Daniel Brenius. Vide dicta suprà cap. 2. v. 11.

23. *In diebus*, &c. Q. d. Quod modò dixi fiet, cùm quamplurimi ex gentibus se comites adjungent Judæis Hierosolymam properantibus, quòd intellexerint Deum ipsis mira præstitisse beneficia, ac quotidie nova præteritis accumulare.

Decem. Id est, multi. Numerus definitus pro indefinito, qui Hebraismus est Scripturæ quam familiarissimus.

Apprehendent fimbriam viri Judæi. Proverbialis locutio significans fore ut sese Judæis adjungant; fimbriâ enim Judæi à ceteris gentibus dignoscebantur. Vide Commentarium nostrum in Mat. 9. v. 20.

CAPUT

CAPUT IX.

1. ONus, &c. Id est, pœna à Deo prædicta terræ Hadrach, id est, Syriæ Damascenæ, maximè verò illius Metropoli Damasco, cui universa illa regio velut inexpugnabili præsidit; habet namque Dominus oculum æque in alios homines intentum, ac in duodecim tribus Israël, hoc est, non minùs aliarum gentium Deus est judex, quam populi Israëlitici.

2. *Emath quoque*, &c. Q. d. Pœna ista etiam ad Emath grassabitur, & ad Tyrum, Sidonémque Phœniciæ urbes, utut astu sibi consulunt. Phœnices vatritiæ nomine fuere celebres. De Emath magna & minori diximus ad Amos 6. v. 2. Sed hîc minorem significari, quæ Syriæ Cœles civitas est, asserit Hieronymus. Q. Curtius lib. 4. *Jam tota Syria, jam Phœnicia quoque exceptâ Tyro, Macedonum erat.*

Et Tyrus. Multo labore capta. Vide Curtium lib. 4.

Et Sidon. Cui Regem Alexander imposuit Abdolonimum, עבד עליונים, quæ vox Syriacâ linguâ significat deorum cultorem. Vide quæ diximus de Tyro & Sidone ad Mat. 11. v. 20. & Joel 3. v. 4.

Assumserunt quippe sibi sapientiam valde. Heb. כי חכמה מאד *quamvis sapiens valde*, q. d. Neque sua, quâ pollent Tyrus & Sidon, vatrities servabit eas.

3. *Et ædificavit*, &c. Q. d. Et licèt Tyrii ædificaverint sibi urbem undequaque munitissimam, & totius orbis opulentissimam.

Aurum. Hoc metallum usitatè dicitur Hebraicè זהב, at hîc, & Psl. 68. v. 14. & passim in Salomonis Proverbiis dicitur חרוץ, id est, *è terra effossum.* Hinc fit Græcum χρυσὸς.

4. *Possidebit eam.* Heb. ירשנה, *expellet eam*, id est, ut habet Chaldæus Paraphrastes, ejusdem Tyri habitatores. His indicat nihil quantumcumque validum Deo resistere posse.

Et percutiet, &c. Q. d. In mare projiciet omne robur ejus, classem, classiarios, muros, ædificiorum ruinas, & ipsa igne absumetur. Hæc omnia Tyro acciderunt ab Alexandro magno obsessæ & expugnatæ, ut videre est apud Q. Curtium. lib. 4.

5. *Vide,*

5. *Videlicet*, &c. Q. d. Philistæorum metropoles captâ Tyro perculsæ, tanquam appendices in victoris potestatem venient. Arrian. lib. 2.

6. *Et sedebit*, &c. Q. d. Ascalon deserta manebit, neque habitabitur, at Azotus habitabitur quidem, sed ab extraneis.

Separator. Heb. ממזר, *Spurius*. Sic impropriè vocatur peregrinus & extraneus, qui non jure heres est.

Disperdam superbiam Philistinorum. Id est, omnia, quibus modò superbiunt Philisthæi.

7. *Et auferam*, &c. Id est, domita Philisthæorum superbiâ, Azotius non ampliùs cædes minabitur, neque paupertate pressus epulas instruet, idolothytis, sed ad Deum vivum convertetur, & adhæresceт ad Castra Judæorem ac si eorum ducibus annumeraretur, & Accaronita deget inter eosdem Judæos, ut olim Jebusæi. Impletum hoc videtur, cùm Judas Maccabæus deflexit Azotum versus, in terram Allophyporum, sivè Philistæorum, & evertit aras eorum, & sculptiles deos combussit, captisque eorum spoliis in Judæam est reversus, ut videre est 1 Mac. 5. v. 66, & 68.

Relinquetur etiam ipse Deo nostro. Angelus hæc loquitur in sua persona, q. d. Et ad Deum nostrum convertetur ipse Azotius.

Accaron. Id est, Accaronita, & Synecdochicè quivis Philistæus. Hæc autem omnia mystico sensu accepta ostendunt in regno Messiæ gentes cum Judæis in unum fidelium corpus coalituras.

8. *Et circumdabo*, &c. Id est, quasi castris circumpositis protegam populum meum ab hostibus euntibus & redeuntibus ad vastitatem ipsi inferendam, nec subjicietur ultrà externis, qui ipsum tributis opprimant, quia nunc illum oculis misericordiæ benignus adspicere cœpi.

9. *Exulta satis*. Heb. *Valde*. Meritò ab omnibus Evangelistis Christum asino Jerosolymam vectum describentibus hic locus laudatur, cùm ut Rabbi Salomon Jarchi scribit super hunc locum, אין אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח, *impossibile est ut interpreteris de alio, quàm de Rege Christo, cùm in nullo alio hoc videamus impletum*. Nos hoc idem fusè probavimus ex omni ferè circumstantia præsentis Prophetiæ ad Mat. 21. v. 5.

Salvator. Heb. נושע, *Salvatus*, id est, salute circumdatus. Hinc præter Vulgatum interpretem Græci & Chaldæus *salvatorem* reddiderunt.

Super asinam, & super pullum filium asinæ. Quidam putant Christum primùm vectum asinâ, deinde pullo asinæ; alii verò volunt Christum alterutri duntaxat insedisse, dici tamen utroque

vectum, quia junctus erat asinæ pullus, ut liquet ex Evangelio. Vide commentarium nostrum in Mat. 21. v. 7.

Asinam. Alii vertunt *asinum.* Vox חמור communis generis est, meliùs tamen hîc reddi asinam patet eo, quod hæc prophetia Mat. 21. dicitur fuisse impleta, quando ad Christum asina cum pullo fuit adducta, ut alterutro aut utroque veheretur Jerosolymam.

Filium asinæ. Heb. בן אתנות, *filium asinarum,* id est, unius ex asinabus. Similes Hebraismos observavimus ad Mat. 2. v. 20.

10. *Et disperdam quadrigam,* &c. Q. d. Regnum Christi pacificum erit, & ad omnes gentes propagabitur per universum terrarum orbem non bellicis armis, sed omnium cum Deo reconciliatione. Passim autem pacificum Christi regnum exprimitur per abdicationem omnis bellici apparatûs.

Loquetur pacem gentibus. Id est, pacem spiritualem, & conscientiæ tranquillitatem procurabit omni credenti in ipsum, ex quacunque gente fuerit. Vide quæ diximus ad Mat. 21. v. 5.

Et potestas ejus, &c. Id est, regnum Christi ad ultimos usque fines terræ pertinget, *à mari Australi, quod vocatur mare Sodomitum, usque ad mare Septentrionale, hoc est, usque ad Oceanum, & à fluvio Eden, ubi est principium Orientis, usque ad extrema terræ, qui est finis Occidentis,* inquit Aben-Ezra.

11. *Tu quoque,* &c. Ad filiam Sion, seu Ecclesiam Christi morte sibi reconciliatam Deus sermonem convertit. Nam pronomina, *Tu, Tui,* & *Tuos* sunt hîc fœminini generis Hebraicè. Sensus itaque est idem ac si dicat, Et tu, ô filia Sion, exulta quoque in fœdere, quod effuso Regis illius venturi sanguine sancitum tecum pangam; hoc enim fœdere motus liberabo cives tuos peccatorum vinculis constrictos è commerita calamitate & miseria.

Emisisti. Heb. שלחתי, *emisi.* Qui à veritate Hebraica deficientes cum LXX. & Vulgato interprete legunt in secunda persona *emisisti,* etiam pronomina *Tu, Tui,* & *Tuos* contra veritatem Hebraicam masculina faciunt, & dicunt à Zacharia sermonem converti ad eum Regem, quem mox venturum prædixerat sine satellitio aut pompa regia. Sensus itaque idem est sive Vulgatam, sive Hebraicam lectionem sequamur, sed quod secundum veritatem Hebraicam Deus dicit de redemtione nobis per mortem Christi exhibitâ filiam Sion, seu Ecclesiam alloquens, hoc ipsum juxta LXX. & Vulgatum interpretem dicit Vates per Apostrophen ad Christum.

De

De lacu in quo non erat aqua. Alludit Zacharias ad Josephi anguſtiam dum fratres tunicâ nudatum demiſerunt inciſternam vacuam, *quæ non habebat aquam*, ut dicitur Gen. 37. v. 24. Præclarè Aug. lib. 18. de civ. Dei cap. 35. *Ad ipſum*, inquit verſionem LXX. ſequens, *Chriſtum in ſpiritu prophetiæ Zacharias loquens de remiſſione peccatorum per ejus ſanguinem: Tu quoque, inquit, in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua. Quid per hunc lacum velit intelligi, poſſunt diverſa ſentiri etiam ſecundum rectam fidem. Mihi tamen videtur non eo ſignificari melius, niſi humanæ miſeriæ ſiccam profunditatem quodammodo, & ſterilem: ubi non ſunt fluenta juſtitiæ, ſed iniquitatis lutum. De hoc quippe lacu etiam in Pſalmo dicitur: Et eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto limi.* Scitè quoque Theodoretus eandem LXX. verſionem ſequens, *Quos*, inquit in hunc verſum, *tuo pretioſo ſanguine redemiſti, & liberaſti, hos cum ſalutaribus Teſtamenti tui tabulis emiſiſti, ut omnibus hominibus libertatem teſtarentur ac declararent. Liberaſti eos à lacu non habente aquam. Hunc autem lacum, ſive de morte æterna, ſive de errore idolorum velit quis intelligere, non à veritate aberrabit. Sic etiam per Hieremiam ait Deus: Duo mala fecit populus meus: me dereliquunt fontem aquæ vitæ: & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Sic autem vanum & laborioſum idolorum cultum prædixit. Nam miſerè deſudantes, & elaborantes in idolis colendis, nullos ex his fructus ceperunt, ſed potiùs veram vitam incommodis magnis affecarunt. Cùm in hoc lacu vincti eſſent homines, Dominus Chriſtus ſolvit & abſtraxit, & pretioſo ſanguine eis libertatem donavit, & ad viam vitæ emiſit, cùm novum Teſtamentum eis dedit.*

12. *Convertimini ad munitionem.* Id eſt, ad me Deum vivum, ut tutiſſimum ſalutis aſylum.

Vincti ſpei. Hebraiſmus, id eſt, ſalutem ſperantes innixi Dei promiſſionibus.

Hodie quoque. Longè ſcilicet antequam fiat.

Annuncians duplicia reddam tibi. Hoc eſt, per Vatem meum prænuncio me cuilibet veſtrûm duplicia bona præſtiturum, id eſt, benefacta cumulaturum.

13. *Quoniam*, &c. Q. d. Juda enim utar quaſi arcu contra hoſtes nominis mei, & Pharetras Iſraëlitarum, qui ſe Judæ adjunxerint, implebo ſagittis, & armatis à me contra Græcos Sionis civibus vires ſuggeram.

Ephraim. Id eſt, Ephraimi ſeu Iſraëlis arcum. *Impleri autem*, inquit Druſius, *arcus intelligitur cùm ſagittæ crebræ per eum emittuntur.*

Et ſuſcitabo filios tuos, Sion. Per ſubitam apoſtrophen commutat perſonam, *ex quo pondus orationi non leve accedit*, inquit Druſius. *Senſus eſt*, ait Grotius, *Animabo Sionis populum contra copias Antiochi, qui è Græco, id eſt, Macedonico erat ſanguine. Hebræi omnes illos Syriæ Ægyptique Reges* יון בני *vocant.*

Ponam te quaſi gladium fortium. Heb. *Quaſi gladium robuſti*, ſcilicet militis. Hoc eſt, ſuggeram tibi vires, O Sion, ut obvios quoſque hoſtes perimas. *Primo ſenſu*, inquit Brenius, *bella & victorias Judæorum intelligit contra Græcos Syriæ dominos, quos ſub Judæ Machabæi & fratrum ductu pugnantes ſuperaverunt. Myſtico autem ſenſu reſpicit ad interitum quartæ beſtiæ, id eſt, Monarchiæ Græco-Romanæ, ſive ex Græcis oriundæ (nam Arcadibus, Ætolis, Dorienſibus aliiſque Græciæ populis maximam partem ſuam originem debent Romani) cui finem afferet Chriſtus cum grandine, fulmine & tonitru veniens ad ſuos omni humano præſidio deſtitutos liberandum. Cum quo ſenſu mirè congruunt verba quæ ſequuntur verſu* 14. Vide ejuſdem Brenii notas in Dan. 7. v. 19. & ſeqq.

14. *Dominus Deus ſuper eos videbitur.* Id eſt, Dominus ſe declarabit ſtare à filiis Sion. 2 Mac. 19. v. 29, 30, & 31. *Cùm vehemens pugna eſſet, apparuerunt adverſariis de cœlo viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Judæis præſtantes: ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis ſuis circumſeptum incolumem conſervabant: in adverſarios autem tela & fulmina jaciebant: ex quo & cæcitate confuſi, & repleti perturbatione cadebant. Interfecti ſunt autem viginti millia quingenti, & equites ſexcenti.* Vide Gorionidem fol. 39. col. 2.

Exibit ut fulgur jaculum ejus. Hoc eſt, quàm celerrimè ſagittas fulmineas è cœlo in filiorum Sion hoſtes emittet.

In tuba canet. Id eſt, belli deſiderio animos incendet. *Interitus beſtiæ*, inquit Brenius, *& falſi prophetæ ad ultimam tubam refertur Apoc.* 19. v. 19, *&* 20. *coll. cum cap.* 11. v. 15.

Vadet in turbine Auſtri. Hoc eſt, irâ plenus intonabit in hoſtes filiorum Sion, ut cùm procellas Notus, qui ventus eſt ab Auſtro, excitat. Silius Italicus lib. 17.

Ecce intorta Noto, veniénſque è rupe procella.

15. *Protegit eos.* Scilicet filios Sion favore & ſpiritu ſuo.

Devorabunt. Id eſt, hoſtes conficient.

Subjicient lapidibus fundæ. Id eſt, filii Sion obruent hoſtes ſuos, quamvis velitaribus duntaxat armis inſtructi, ut David contra Goliathum.

Bibentes

Bibentes inebriabuntur quasi à vino. Heb. *Bibéntque & tumultuabuntur sicut vinum.* Constructio inversa, pro *& tumultuabuntur, bibéntque sicut vinum.* Id est, postquam filii Sion in hostes fuerint tumultuati, quasi vinum eorum sanguinem bibent, cóque, ut sequitur, replebuntur ut phialæ, quibus hostiæ sanguis excipiebatur, & cornua altaris quæ sanguine victimarum aspergebantur. Sensus est, Judæi, & per eos figurati omnes fideles, Deo protegente, etsi levissimè omnium armentur, plenissimam tamen de hostibus cataphractis & perarmatis victoriam reportabunt.

16. *Et salvabit,* &c. Q. d. Eâ curâ & sollicitudine Deus servabit filios Sion, seu populum suum, quâ pastor bonus pecora servat, dum in periculo versantur, & quasi coronâ ex lapidibus sanctis, seu infragilibus, & intactilibus, hoc est, muro inexpugnabili circummuniet eos, ne è terra sua ab hostibus abigantur.

Ut gregem populi sui. Heb. כצאן עמו, *sicut pecus populum suum,* q. d. *Salvabit eos,* videlicet *populum suum Dominus, sicut* pastor bonus omni studio salvat *pecus* suæ fidei commissum.

Quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus. Heb. אבני נזר *lapides coronæ,* ut interpretantur scholia Hebraica. *Id est,* inquit Grotius, *corona ex lapidibus. Solent pastores lapides in orbem disponere, quò gregem includant ne evagetur.* Quia verò nomen נזר à veteribus interpretibus redditur ἅγιον, *sanctum,* ἀφωρισμένον, *separatum,* & ἄσπιλον *intactum,* lapidibus sanctis circumcincti dici possunt filii Sion, dum inviolabili Dei custodiâ protegunturn.

Super terram ejus. Vult dicere, in terra Israël, quæ terra Dei, & terra sancta nuncupatur, éstque typus felicitatis æternæ sanctis promissæ sub nomine *Terræ viventium.* Pronomen ejus refertur ad Deum.

17. *Nisi.* Hæc particula non est in textu Hebræo, qui sic reddendus est, *Quantum bonum ejus, & quanta pulchritudo ejus* scilicet terræ? *Frumentum juvenes & mustum germinabit virgines.* Præclarè Oecolampadius, *Hebræi hoc loco terrenam fertilitatem & abundantiam sub Machabæis fuisse tradunt, in hunc modum hæc exponentes: Quantum bonum, id est, quanta bonitas & fertilitas ejus* scilicet *terræ erit, & quanta pulchritudo, id est, amœnitas ejus! Triticum enim, id est, abundantia tritici, & vinum, id est, abundantia vini, vividos & succulentos reddet: quod nos dicimus germinare faciet electos juvenes & virgines, hoc est, in facie omnium videbis nullam esse famem super terram. At nos Christum admiramur magis, quia nos spirituali benedictione benedicit, & per Spiritum sanctum suum abundantiam verbi & ubertatem donorum*

rum Spiritus-Sancti impartitur, quæ fortes & conſtantes reddat, & utrumque ſexum virtutibus conſpicuum faciat : ſicut contrà per famem inopiam verbi intelligimus. Nihil autem æquè paſcit & inebriat, atque beneficiorum Dei per Chriſtum fidelis memoria. Hæc Oecolampadius.

Frumentum electorum. Heb. דגן בחורים, quod omnes interpretes præter Vulgatum reddunt, *frumentum juvenes*, ſupple ex ſequenti hemiſtichio, ינובב, *germinabit*, ſeu, *creſcere faciet*, q. d. Omnium bonorum copiâ juvenes & virgines pervigebunt.

CAPUT X.

1. **P***Etite à Domino.* Non verò ab idolis.

Pluviam in tempore ſerotino. Pluvia ſerotina quid ſit Hebræis, diximus ad Joël 2. v. 23. Hîc autem una res bona ponitur Synecdochicè pro quovis bono; omnia quippe Deus dabit bona petentibus ſe.

Faciet nives. Plerique putant legendum *nubes*, Hebræi quippe חזיזים, id ſignificare dicunt, etſi alii *coruſcationes* interpretentur, quæ initio pluviæ exiſtunt.

Pluviam imbris. Id eſt, largam.

Dabit eis. Eam ſcilicet à ſe petentibus. Tranſit à ſecunda ad tertiam perſonam.

Singulis herbam in agro. Verè Grotius, עשב *Hebræis tam generale eſt, ut ea, quæ in humano ſunt victu, comprehendat. Senſus Deum daturum fruges, tum quæ homini, tum quæ animantibus uſum ſui homini præbentibus conveniunt.*

2. *Quia ſimulacra*, &c. Q. d. Nam qui idolis fidunt, & Pſeudo-prophetis, decipiuntur vanis ſomniis, fallacibúſque ſolatiis; hinc Judæi, qui idola, eorúmve ſacrificulos, ariolos, & ſomniatores conſuluerunt, tandem ſe deluſos ſenſerunt abducti in captivitatem, & diſperſi ut oves, quæ paſtore carent, omnimodis injuriis affecti ſunt.

Simulacra. Heb. *Teraphim.* Vide quæ diximus ad Oſ. 3. v. 4.

Locuta ſunt inutile. Heb. *Vanitatem.*

Divini. Hoc eſt, arioli, ſeu Pſeudo-prophetæ.

Somniatores. Heb. *Somnia.*

Locuti

Locuti sunt frustrà. Heb. *vanitatem.*

Vanè consolabantur. Populum scilicet, in mediis peccatis ei prospera pollicentes. Ezech. 13. v. 9. & 10.

Idcircò. Id est, quia falsidicis hujusmodi illusionibus confisi sunt Judæi.

Abducti sunt quasi grex. Hoc est, tam facilè, quàm pecudes abiguntur, acti sunt in captivitatem.

Affligentur quia non est eis pastor. Heb. יענו, *humiliabuntur*, pro, humiliati sunt. Id est, adinstar ovium pastore destitutarum male tractati sunt, nullum habentes Regem aut Principem.

3. *Super pastores.* Hoc reddit Chaldæus, *In Reges.*

Et super hircos. Chald. ועל שלטניא, *& in Sultanos*, seu *Principes.* Ut enim Principes אלים & כרים, id est, *arietes*, ita etiam עתידים, id est, *hirci* quandoque appellantur; quia ut arietes, sic & hirci gregem præcedunt. Porrò Rabbi Salomon Jarchi, Aben-Ezra, Kimchius, & Abarbanel hæc referunt ad Seleucidas, quibus Deus implacabiliter iratus justam prædicit vindictam, quia in Judæos superbè dominaturi essent. Sic Dan. 8. v. 5. *Hircus caprarum* vocatur Alexander.

Visitabo. Scilicet, per vindictam, id est, animadvertam.

Quia visitavit. Id est, misericorditer respexit. Hîc Propheta probat verissima esse, quæ mox à Deo dicta sunt, q. d. Dominus enim misertus populi sui Judaici, fortitudine insigni, & animo bellaci eum dotavit, ut quomodo equi generosi robur ac præstantia in bello maximè apparet, sic ipse in debellandis gentibus earúmque principibus inclaresceret.

4. *Ex ipso angulus.* Id est, ex ipso Dei grege, seu domo Juda est tribuum coagmentatio. *Nam,* inquit Grotius, *quicunque redire voluerunt* è captivitate Babylonica, *ii Judæ tribui se applicuerunt, ejúsque imperio se subdidere. Sic Hierosolyma dicitur lapis angularis Ezechiæ temporibus, Es.* 28. *v.* 16.

Paxillus. Id est, statûs firmitas. *Nam,* ait Grotius, *omne quod firmandis aliis rebus adhibetur, paxilli nomine denotatur, similitudine à tentoriis desumta, ut videre licet Exod.* 27. *v.* 19. 35. *v.* 18. 38. *v.* 20. *Jud.* 4. *v.* 21. *Es.* 33. *v.* 20. *&* 54. *v.* 4. *ideóque & per* στήριγμα *vertitur Esd.* 9. *v.* 8. *Sic Eliacim dicitur paxillus domûi regiæ Es.* 22. *v.* 23.

Ex ipso arcus prælii. Hoc est, ex eadem tribu Juda erit præcipuum militiæ robur.

Ex ipso egredietur omnis exactor simul. Q. d. Ipsiúsque viribus repulsi aufugient externi Principes, qui populum tributis opprimunt.

5. *Et erunt*, &c. Q. d. Atque ita, ut fortes bellatores decet, grex seu populus Dei prostratos bello hostes calcabit, בְּטִיט, *ut lutum*, seu ut alii legunt, בַּטִּיט, *in luto* platearum; & Deo adjutore belligerans ascensores equorum, id est, auxiliis humanis innixos debellabit, & in ignominiosam fugam conjiciet.

6. *Et confortabo*. &c. Q. d. Tum eos, qui sunt de tribu Juda, *tum domum Joseph*, id est, eos, qui de cetetis tribubus se Judæ tribui adjunxerunt, miserans confirmabo, conservabo, ac reducam in pristinum statum, quo fruebantur antequam projecissem eos, cùm scilicet Judæa floreret adhuc divitiis, gloriâ, & quiete, sicut primis Davidis & Salomonis temporibus

7. *Et erunt*, &c. Q. d. Et Ephraimitæ à me confirmati heroibus assimilabuntur. & non secus ac si cor haberent vino vehementer exhilaratum, de triumphatis hostibus nimiâ voluptate gestient; quin & eorum posteri prædictionis hujus veritatem agnoscentes in Deo bonorum omnium largitore pergaudebunt. Potrò Ephraim & Joseph dicuntur decem tribus Israël, quia primus earum Rex fuit Jeroboam de tribu Ephraim filii Joseph.

8. *Sibilabo*, &c. Redit ad similitudinem de grege sumtam, q. d. Cùm eos dispersos velut fistulâ pastorali congregavero, ex totóque restituero, restituti à me multiplicabuntur in immensum, ut olim Davidis temporibus. Agit, si Grotio credimus, de iis, qui nondum in Judæam redierant, è locis, in quæ destructâ per Nabuchodonosorum Hierosolymâ fuerant dispersi, sed posteà rediere, *qualia*, inquit, *illa centena millia redemta à Ptolemæo Philadelpho*. Joseph. 12. Antiq. 2.

9. *Et seminabo*, &c. Futurum pro præterito. Sensus est, Grotio interprete, *Quia cùm dispersissem eos inter gentes, tam in illis locis longinquis memores fuere mei: ideò superstites erunt cum filiis suis, & revertentur domum. Conjunctio* ו *&*, pergit Grotius, *hîc sumitur pro Causativa. Sensum hunc Chaldæus prudenter sequitur*. Hæc eruditissimus Grotius.

10. *Et reducam eos de terra Ægypti. Per Ptolemæum Philadelphum & alios*, inquit Grotius.

Et de Assyriis congregabo eos. Per Alexandrum Antiochi Epiphanis filium, & per Demetrium utrumque. Idem. Vide Josephum 13, Antiq. capp. 4, 5, 7, & 8.

Et ad terram Galaad & Libani adducam eos. De Galaaditide capta Maccabæorum armis habes apud Josephum 12. Antiq. cap. 12. De Syriæ urbibus captis ab Hyrcano & successoribus 13. Antiq. capp. 17, & 23. Idem.

Et non invenietur eis locus. Id est, *tanta erit multitudo, ut veteres fines eos non capiant.* Idem.

11. *Et transibit.* Id est, Deus transire faciet illos Israëlitas, qui nunc, cùm hæc loquor, adhuc exules sunt.

In maris freto. Id est, per maris fauces.

Percutiet. Id est, compescet.

Confundentur omnia profunda fluminis. Id est, arescent omnes alvei Euphratis. Flumen simpliciter positum solet Prophetis Euphratem designare. Sensus est idem ac si dicat, Dominus Israëlitis postliminio in patriam redeuntibus placidas præstabit fauces maris, támque pervium faciet Euphratem, quàm si totus ab aquis destitutus esset. *Maris fauces,* inquit Grotius, *hoc loco designatas Hebræi, quos Hieronymus consuluit, interpretabantur Bosphorum Thracium inter Byzantium & Chalcedonem: non malè, si consideres Nabuchodonosori imperium pertinuisse etiam ad dexteram Ponti oram, id est, ad Daciam, cujus rei testis est Abydenus. Unde & in Thracia partem fuisse Hebræorum ex Aristophanis Scholiaste observavimus. His ergo quos ille in loca, aut Nabuchodonosor, aut si eo usque Assyriorum venit imperium, Salmanasor deportaverat, Deus cum in patriam redirent, primum placidam mare Bosphori, deinde & faciles eos qui in itinere ad Judæam sunt Euphratis alveos præstitit. Ex hoc loco fluxit fabula, quæ est in libro fabularum plenissimo, qui Esdræ quartus dicitur, cap.* 13. *v.* 40.

Et humiliabitur superbia Assur. Id est, Grotio interprete, *Antiochi Epiphanis, qui inter cetera Assyriam tenebat: nam ad Armeniam usque regnasse Seleucidas, ex Appiano, Josepho, aliisque discimus. Pari modo idem hic Antiochus Gog, id est, Gygæus, dicitur Ezechieli, quia Lydiam tenebat, ut ibi diximus.*

Et sceptrum Ægypti recedet. Nempe à Judæis. *Fuerant,* inquit Grotius, *Judæi sub Ptolemæo Lagi F. & sub aliis quibusdam Ægypti Regibus, ut discere est ex Joseph.* 12. *Antiq.* 1. *& seq. Post Maccabæorum tempora id non evenit amplius. Est hîc idem planè loquendi genus quod Gen.* 42. *v.* 10. *Unde apparet interpretationes ejus loci quas Judæi ab aliquot jam seculis comminisci cæpere, non modò novas esse, quod ostendunt Chaldæi Paraphrastæ, & interpretes Græci, sed & à nativo loquendi genere dissentaneas.*

12. *Confortabo eos in Domino.* Id est, in me ipso. Deus de se loquitur in tertia persona, uti cùm Mosi dixit Exod. 24. *v.* 1. *Ascende ad Deum,* id est, ad me.

Et in nomine ejus ambulabunt. Id est, mihi adhærebunt sincero pietatis cultu,

CAPUT

CAPUT XI.

1. *Aperi Libane.* Per Libanum, ad quem hîc fit apoſtrophe, Judæa intelligitur Synecdochicè. Montis autem iſtius, qui erat terminus Judææ aquilonaris, fit mentio, quia ab aquilonari parte omnia primùm occuparunt invadentes Romani, ſicque pedetentim verſus Metropolin Jeroſolymam & interiores Judææ partes ſunt progreſſi, ut ex Joſepho liquet. De ultima enim Judæorum panoletria in hoc textu agitur.

Comede ignis cedros tuos. Imperativi ponuntur pro futuris. Cedri verò ſignificant Templum, & palatia principum ac magnatum ex cedro conſtructa, cum omni magnificentia eorum, quæ abſumtum iri dicit.

2. *Ulula abies,* &c. Apoſtrophe ad res inanimatas pondus addit orationi, réſque poſt longum tempus futuras per hypotypoſin quaſi præſentes oculis ſubjicit. *Abies* autem & *quercus Baſan* ſignificant minora oppida, minúſque inſignes magiſtratus, ad quos etiam pertinget calamitas.

Cecidit cedrus. Id eſt, urbs Jeroſolyma magna ex parte igne eſt abſumta.

Magnifici vaſtati ſunt. Id eſt, qui magnificè habitabant, ſuis ædibus exuti ſunt.

Succiſus eſt ſaltus munitus. Id eſt, Templum, quod inſtar arcis munitæ erat, ſubverſum eſt.

3. *Vox,* &c. Q. d. Gubernatores qui paſtores dicebantur, & reverà leones erant, magno ejulatu rugient, quia, Judæâ pervaſtatâ, eorum magnificentia periit, & ſublata eſt poteſtas.

Superbia Jordanis. Id eſt, Grotio interprete, *Judææ gloria. Solent enim annes pro regionibus nominari, ut Euphrates pro Babylone.*

4. *Hæc dicit.* Supple, ad me.

Paſce pecora occiſionis. Id eſt, Grotio interprete, *inſtrue & ſolare populum hunc, quem ob ſuam ambitionem Jaſon, Menelaus, Lyſimachus objicient cædibus, & rapinis. Vide Joſephum* 12. *Antiq.* 6. *&* 2 *Mac.* 4. *v.* 13. *& ſeq.*

5. *Quæ qui poſſederant,* &c. Q. d. Rectores populi, qui ipſum tueri deberent, erunt cauſa ipſius occidionis, nec magis hac lanienâ movebuntur, quàm ſi eſſèt inculpatiſſima; quinimò quaſi pro re ſancta & licita gratias Deo agent de ſcelerum ſuorum ſucceſſu, quòd nimirum magnos quæſtus fecerint prodendo populum

pulum sibi commissum partim occidendum, partim diripiendum externis, nec ullius quisquam populi pastor miserebitur.

Occidebant, &c. Præterita pro futuris. Facere autem dicitur, qui causa est cur quid fiat.

Et non dolebant. Heb. *Non peccabant.* Id est, nec tanto scelere magis movebuntur, quàm si scelus non esset.

Pastores eorum non parcebant eis. Heb. *Non parcebat.* Q. d. Nemo pastorum cuiquam commissi sibi gregis parcit.

6. *Et ego*, &c. Q. d. Sicut illi rectores populo meo non parcunt, ita nec ego illis parcam, nec habitatoribus terræ, qui malitiæ eorum administri & fautores erunt. Faciam ut inter se mutuis cædibus sæviant, tradámque eos in manus Regis sui Antiochi, ut cadentes terram feriant, nec quemquam eorum, qui autores aut ministri extiterint occidionis populi, *eruam de manu* aut Antiochi, aut Maccabæorum. *Multi enim Judæi*, inquit Grotius, *Antiochi partes sectabantur* 1 *Mac.* 1. *v.* 52. *Josephus* 12. *Antiq. Ezech.* 39. *v.* 26. *Dan.* 11. *v.* 30, *&* 32.

Et concident terram. Heb. וכתתו, *contundéntque*, q. d. *Ut terram feriant cadentes*, inquit Grotius.

Et nrn eruam. Scilicet, immanissimos hos populi mei oppressores.

De manu eorum. Id est, Grotio interprete, *aut Antiochi, aut Maccabæorum.*

7. *Et pascam*, &c. Futurum pro præterito, q. d. Propter hujusmodi malum vitandum, quæ vobis, O miseri, impendet, olim vos gubernavi assumtis duabus virgis pastoralibus, quarum alteram vocavi agolum נעם, *dulcoris*, alteram חבלים *devinciéntium*, atque ita duplici ratione vos rexi, liberatione videlicet à malis externis, quâ nihil dulcius, & internâ concordiâ, quâ nullum societatis, & pacis vinculum certius aut firmius.

8. *Et succidi.* Q. d. At cùm populus ingratissimum se in Deum & Davidem ostendisset in scelerata factione Absalomi, uno in mense abstuli illi tres principes egregios, Davidem ipsum, Adoniam Regis filium, & Joabum ducem fortissimum. Ita Grotius.

Contracta est anima mea in eis. Id est, Drusio interprete, *tædio affecta, q. d. Cæpit me tædere Israëlitarum. Eadem phrasis obvia Jud.* 10. *v.* 16. *& Num.* 21. *v.* 4. *Ubi Vulgatus interpres, Tædere cæpit populum itineris & laboris; eleganter. In Ebræo erat, contracta est anima populi propter viam.*

Varivit in me. Heb. בחלה בי, id est, si Grotio credimus, *fidem mihi non exhibuit.*

9. *Et*

9. *Et dixi*, &c. Q. d. Atque ita ingratos decrevi non ultrà clementi & pastorali providentiâ regere, sed tradere eos variis mortis generibus, pestilentiâ, fame, bellis externis, & rabie, quâ in mutuam perniciem agentur, excindendos.

10. *Et tuli*, &c. Q. d. Ut autem significarem me rescindere fœdus ictum cum omnibus tribubus populi mei, neque me velle promissis stare, cùm populus meus non steterit fœderis conditionibus, virgam נעם, *dulcoris* sublatam frustillatim discidi.

11. *Et in irritum*, &c. Q. d. Eo autem tempore, quo Salomon aperte in idololatriam prorupit, omninò rescissum est fœdus olim cum duodecim tribubus hujus populi initum, & abstuli specialem illam protectionem à malis externis, quam ipsis promiseram, si mandata mea custodierint. Tunc afflicti in populo, *qui custodiunt mihi*, hoc est, qui cultui meo erant addicti, cognoverunt hoc malum prædictum fuisse à Domino.

12. *Et dixi*, &c. Causam sublatæ protectionis suæ specialis ab Israëlitis ampliùs redditurus, ostendit per egregiam figuram quantopere fuerit contemtus ab eis. *Quod*, inquit Grotius, *olim quidem verum extitit, sed multò clariùs Christi temporibus; cujus vetera omnia imaginem gerunt.*

Si bonum est in oculis vestris. Heraismus, id est, si justum æquúmque vobis videtur.

Afferte mercedem meam. Scilicet pro pastorali cura, quâ vos protexi per annos quingentos; *Tot enim*, inquit Grotius, *fermè sunt ab exitu ex Ægypto ad finem Salomonis.*

Et si non, quiescite. Id est, si æquum vobis non videtur operam pastoralem tamdiu à me exhibitam hostire, nihil date. Hîc copulativa *Et*, ut alibi passim, posita est pro disjunctiva *Aut*.

Et appenderunt mercedem meam. More veterum, qui nummos ram ex ære, quàm ex argento non sic, ut nunc signatos numerabant, sed planè rudes ponderibus appendebant. Vide commentarium nostrum in Mat. 17. v. 26.

Triginta argenteos. Silicet Siclos. Hoc servi pretium constituitur Exod. 21. v. 32. pro quo & Salvator noster in forma servi pro nobis assumta venditus est à Juda proditore Mat. 26. v. 15. Vilis hæc merces operæ tam diuturnæ significat iniquam beneficiorum cœlestium æstimationem apud Judæos, qui condignum hisce beneficiis hostimentum putabant victimas & ritus sine pietate solida. Hoc Zachariæ in viso ostensum, & sequentia quoque in viso expleta per Zachariam censet Majemonides.

13. *Projice illud ad Statuarium*, Heb. אל היוצר, *ad fictorem*, q. d. Projice illam mercedem tanquam rem nihili apud figulum

gulum vel figulinam, utpote non pluris æstimandam quàm fractum fictile.

Decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. Id est, iniquissimum illud pretium, quo operam pastoralem per tot secula sibi à me exhibitam æstimârunt. Præclarè Grotius, *Operæ diurnæ, inquit, æstimatio erat Denarius, ut etiam ex Evangelio discimus. Is non multùm excedit drachmam Atticam. Quatuor Drachmæ Atticæ siclum faciunt. Ergo centum & viginti aut paulò amplius diebus poterat aliquis ex operibus suis lucrari triginta siclos.* Hinc apparet quàm iniquè Judæi æstimaverint Dei curam in ipsis pascendis susceptam. Ironicè itaque vile hoc pretium hîc *decorum* vocatur, estque irrisio, qualis illa apud Tacitum Hist. 5. *Egregium pretium laboris cepi.*

Projeci illos in domum Domini ad statuarium. Id est, figulum, q. d. Juxta Dei præceptum projeci triginta siclos prope Templum, ubi area erat, in quam projiciebantur fracta Templi fictilia. Particulam *In* subinde sumi pro *Propè*, observavimus ad Mat. 8. v. 2. Porrò Grotius ad Jerem. 19. v. 2. adnotat Portam illam Hierosolymæ dictam fuisse *fictilem*, extra quam à figulis, qui proximè Templum vasa in ipsius usum fabricabant, fragmina fictilium abjiciebantur in vallem Ennom, sive Topheth; atque ita figuli isti intra portam, & hæc loca ejectamentorum extra portam proximè Templum fuere. Vide ejusdem Grotii annotationes ad Mat. 27. v. 10. Commentariúmque nostrum ibid. v. 9. & 10.

14. *Et præcidi*, &c. Hîc continuatur intermissus τὸ παράπαν Dei sermo, q. d. Cúmque viderem impiam vilitatem, quâ Judæi pastoralem curam meam redhostierunt, discidi virgam meam secundam, quæ appellabatur agolum חברלים, *vincientium*, in signum dissolvendæ concordiæ inter duas & decem tribus per rebellionem Jeroboami filii Nabat, 3 Reg. 11.

15. *Adhuc.* Id est, etiam hoc tempore. *Usum*, inquit Grotius, *ostendit antedictorum; nempe etiam nunc post Reditum* è captivitate Babylonica, *siquid simile eveniat, pios id referre debere ad causas similes.*

Sume tibi vasa pastoris stulti. Vasorum nomine Hebræi, præter vasa propriè dicta, intelligunt vestes & arma, & omnigena instrumenta, & quicquid est supellectilis. Unde Hieronymus, *Vasa pastoris*, inquit, *insignia illius & habitum debemus accipere, peram, baculum, fistulam & sibilum.* Cùm autem pastor stultus à bono non possit ex habitu distingui, verisimile est Prophetam à Deo jussum, pastorem quidem veste, perâ, pedo, & ceteris pastorum utensilibus, sed ejus stultitiam factis expressisse. Nempe dum ovium gregem, qui in visione apparebat, susque deque habebat, neque

neque ſanabat ægras, neque fractas ligabat, neque errantes quærebat, &, pinguiſſimis mactatis, earum carne veſcebatur. Quomodo paſtorem illum ſtultum erga myſticas oves, id eſt, Dei populum, ſe geſturum prædicit verſu mox ſequente.

16. *Derelicta.* Heb. הנכחדות, *ſucciſas*, id eſt, graviſſime ægrotantes, & ſemimortuas oves.

Diſperſum. Heb. הנער, quod veteres, ante vocales à Maſorethis aſcriptas, non legerunt hîc, *hannaar*, quod eſt ad verbum, *infantem*, aut *puerum*, ſed ſono longè diverſo, *hannoër*, ut ſuſè probat clariſſimus Pochartus Hierozoici part. 1. lib. 2. cap. 44. Propriè autem צאן הנער, *tſon hannoër* eſſe ovem, quæ migrat de loco in locum, docet idem ibidem ex mirabili Buxtorfiii lexico triginta annorum, & ex Arabibus. Stultus itaque paſtor dicitur nec viſitare oves moribundas, nec palabundas requirere.

Contritum non ſanabit. Heb. והנשברת לא ירפא, *& confractæ* ovi *non medebitur.* Nempe os fractum, aut luxatum obligando, ut habetur Ezech. 34. v. 4. *Fracta pecudum non aliter quàm hominum crura ſanantur: involuta lanis oleo atque vino inſuccatis, & mox circumdatis ferulis conligata.* Columella lib. 8. cap. 5.

Id quod ſtat. Id eſt, valet. Stans hîc opponitur jacenti & ex morbo decumbenti.

Non enutriet. Heb. לא יכלכל, *non ſuſtentabit*, nempe cibo aut alimento. Nam ut confractis & ægris medelâ opus eſt, ita ſtantibus & valentibus alimento, quo bona illa habitudo conſervetur & perſeveret in ſtatu ſuo.

Et carnes pinguium comedet. Q. d. At ſiqua ovis pinguis eſt in grege, eam culinæ ſuæ devovebit.

Et ungulas eorum diſſolvet. Heb. ופרסיהן יפרק, id eſt, Bocharto interprete, *etiam ungulas earum avellet.* Hac hyperbole ſignificatur ſtultum paſtorem, quo de hîc agitur, ad ſuum commodum omnia omninò converſurum, ne viliſſimis quidem omiſſis, quales ſunt pecudum ungulæ. Ejuſdem ἀκριβείας; ſed in diſſimili eauſa exemplum ſuggerunt verba Moſis Exod. 10. v. 26, *Cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis ungula.* Plures loquendi modos ab ungue ſumtos, quæ pertinent ad ſummam ἀκριβείαν, vide Cl. Bocharti loco jam laudato. Porrò, ſi Grotio credimus, *qui hîc* ἀλληγορεῖται, *eſt Manaſſes deſignatus Nehem.* 13. v. 28. *Nominatus autem Joſepho* 11 *Antiq.* 7, & 8. *Jeroboamus populum ſciderat, Deo ſinente. Sanaverat autem num diſſidium Deus, dato reditu Judæis, & prognatis ex aliis tribubus qui ſe Judæis adjungerent. Manſit concordia per tempus aliquod.*

Sed

Sed iterùm vilescente Dei cultu excitavit Deus Manassem, hominem vanum, qui Samballeten hominem sibi similem nactus socerum, ut se quoque Sacerdotem summum, & quidem contra fratrem suum, faceret, novum struxit Templum in monte Garizitano, & quos potuit de Judaico populo attraxit ad se. Ita rursùs ruptus est funiculus. Meritò autem dixi, pergit Grotius, *causam etiam hujus mali fuisse neglectum Dei cultum. Nam quicunque ob cibos vetitos, sabbatum violatum, aliásve culpas inter Judæos pœnas metuebat, ei confugium patebat Sicimis apud novum illud Templum.*

17. O *pastor & idolum.* Heb. הוי רעי האליל, *væ pastori nihili,* qui nihil minus est quàm quod dici vult. Sic רפאי אליל, medici nomine, non re, Job. 13. v. 4. Et idola vocantur אלילים, quia deorum nomen præferunt, cùm tamen sint nihili, & nullius usûs juxta illud Apostoli 1 Cor. 8. v. 4. *Nihil est idolum in mundo.* Talis pastor Arabicè uno verbo dicitur *Chutma.* Alcamus Lexicographus *Alchutma, pastor iniquus gregi.*

Derelinquens gregem. Id est, Grotio interprete, *cœtum illum legitimum, qui erat in Templo Hierosolymitano, facto ex Dei oraculo, Regis autoritate, quem secutus fuerat gentis totius consensus.*

Gladius, &c. Pergit Grotius, *Gladium vocat omnem à Deo pœnam. Brachium dextrum Manassis fuit socer ejus Samballetes. Brachium aridum, ut manus arida Mat. 12. v. 10. dicitur quæ vigore omni destituta est, ut ramus nullum de arbore succum trahens. Brachium Manassis siccatum est, cùm omnes Samballetæ milites ab Alexandro Magno abducti sunt in Ægyptum, & tam tenuis ei apud Alexandrum fuit gratia, ut suis Sicimitis obtinere non potuerit immunitatem tributi anno Sabbatico, quam Judæis Alexander concesserat, Joseph 11. Antiq. 8. Oculus autem dexter, qui Manassi caligavit, est cognitio rerum divinarum; sicut oculus lævus, humanarum. Hic ei constitit, alterius usum perdidit, ut fermè ambitiosi & avari omnes.*

CAPUT

CAPUT XII.

1. ONus *verbi Domini ſuper Iſrael.* Id eſt, prophetia dura contra populum Dei Legem ipſius neglectarum. *Hæc*, inquit Grotius, *ad tempora Gog referunt Hebræi; rectè ſi per Gog ipſum Antiochum intelligerent ut nos ad Ezechielem: ſed ipſi Gogum & Magogum paulò ante mundi finem expectant: quod ut ab ipſis creditum, arripit Apocalypſis, & ſenſu* ἀλληγορικῷ *verum eſſe oſtendit.*

Fingens ſpiritum hominis in eo. Metaphorâ à corporibus ſumtâ indicat mentem humanam non ex parentibus traduci, ſed à Deo creatam eſſe. Hinc formationem mentis humanæ jungit Vates cum expanſione cœli, & fundatione terræ, ut illuſtre præbeat argumentum, hæc tria unum atque eundem productionis modum habere, neque formationem mentis humanæ minùs, quàm extentionem cœli ſicut tentorii, & fundationem terræ ſuper nihilum requirere infinitam potentiam.

2. *Superliminare crapulæ.* Heb. סַף רַעַל, *capidem horroris.* סַף & *limen* ſignificat, & *vas.* Etenim vas, quo agni Paſchalis ſanguis excipitur, סַף vocatur Exod. 12. v. 22. Hanc vocem Jonathan ibi reddit מִן פַּחְרָא, *vas fictile,* & alibi קוּלָא *hydriam.* Et plurale סִפִּים, & סִפּוֹת legitur in Jeremia & libris Regum, ubi de vaſis ſanctuarii. Nos *capidem* reddimus hîc, quia *capis* erat vas oblongum fictile capaciſſimum, binos Atticos Chœnicas continens, in ſacrificiis adhibitum; proinde Symbolum hieroglyphicum egregiè repreſentans Jeroſolymam, extra quam Judæis ſacrificare nefas erat, victimarum innumerabilium cruore inundatam. רַעַל alii *horrorem,* alii *crapulam* interpretantur. Itaque prædicit Dominus fore ut populi vicini adjungant ſe Antiocho, & Hieroſolymam ſacrarum victimarum ſanguine redundantem non ſecus abhorreant, ac ſi horridâ crapulâ ſqualleret.

Sed & Juda erit in obſidione contra Jeruſalem. Q. d. Quinet ex ipſis Judæis erunt, qui obſidionales ærumnas Hieroſolymæ inferant. *Rem miram dicit,* inquit Grotius, *Fore ut etiam ex Judæis, qui ſe in Hieroſolyma hoſtiliter gerant: quod factum nunquam antè fuerat. Hi ſunt Menelaus & Tobiæ filii, qui parati, dum ambitioni ſuæ morem gererent, Dei cultum, ſanctiſſimáſque leges exuere, in exitium patriæ ſuæ ac legum, ultrò Antiochum acciverunt. Joſeph.* 12. *Antiq.* 6. 2 *Mac.* 4. *v.* 5.

3. *Ponam*

3. *Ponam Jeruſalem lapidem oneris*, &c. Q. d. At quicunque populus tunc Hieroſolymam infeſtare fuerit eniſus, in tali niſu collacerabitur, etiam ſi omnes omninò totius orbis gentes adverſus eam colligantur. Alludit Zacharias ad morem, de quo hîc Hieronymus, *Mos eſt*, inquit, *in urbibus Palæſtinæ, & uſque hodie per omnem Judæam vetus conſuetudo ſervatur, ut in viculis, oppidis, & caſtellis rotundi ponantur lapides graviſſimi ponderis, ad quos juvenes exercere ſe ſolent, & eos pro varietate virium ſublevare, alii ad genua, alii ad umbilicum, alii ad humeros, & caput, nonnulli ſuper verticem rectis junctiſque manibus, magnitudinem virium demonſtrantes pondus extollunt.* In tali niſu evenit ut aliis lædatur pars aliqua corporis, aliis rumpantur venæ. De Roma Claudianus,

Hanc urbem inſano nullus qui Marte petivit
Lætatus violaſſe redit.

Et colligentur. Hebraiſmus, id eſt, quamvis colligantur.

4. *In die illa.* Id eſt, tum, poſteà.

Percutiam, &c. Q. d. Hoſtes equitatu maximè valentes ſtupore & amentiâ percutiam, caſtas reliquias populi mei nullo errore profano pollutas benignè miſericorditérque reſpiciam, & omnibus hoſtium equitibus conſilium & mentem adimam ne quid rectè faciant.

5. *Duces Juda.* Id eſt, Judas Machabæus, Jonathan, Simon, & alii.

Confortentur mihi. Hoc eſt, per me confirmabuntur.

6. *In die illa ponam*, &c. Q. d. Efficiam ut Machabæi tam facilè undiquaque conficiant hoſtes ſuos, Ammonitas videlicet, Idumæos, Tyrios & Ptolemaidenſes, quàm ignis qui in camino, ſeu foco ligna conſumit, & fax ardens fœni, frugúmve manipulo immiſſa totum comburit. Atque ita hoſtibus nullo negotio ex omni parte victis, Jeruſalem inconcuſſa manebit in illo ipſo loco, in quo nunc habitatur, & hucuſque habitata fuit.

8. *Et ſalvabit*, &c. Q. d. Judæos in tentoriis habitantes, juxta carnem viles & contemtos, ut olim Deus proteget ac tuebitur, ut nemo gloriari poſſit in rebus externis, nobilitate generis, aut urbis, cujus civis eſt, præſtantiâ, ſicut aliàs è regia Davidis proſapia oriundi, aut Hieroſolymitanæ civitatis jus habentes gloriabantur.

8. *In die illa proteget Dominus habitatores Jeruſalem.* Hoc eſt, tunc tutos præſtabit cives Jeruſalem ab injuria hoſtium, qui eos undique cingunt.

Qui offenderit ex iis. Heb. יהנכשל בהם, id est, doctissimo Drusio interprete, *invalidus in illis, lapsabundus, ad lapsum propensus*: נכשל, *invalidus, debilis, infirmus,* ἀσθενής. *Sic Græci, Sic Chaldæus Paraphrastes; Scholia quoque Camii Ebræi. Participium est* Παρὰ τὸ כשל, *offendo, impingo, coruo. Ergo* נכשל *propriè dicitur, qui facilè offendit.* Hactenus Drusius.

Quasi David. Id est, infirmissimus quisque erit alter David, hoc est, bellator fortissimus.

Domus David quasi Dei, &c. Dei in plurali, hoc est, qui regiâ pollent autoritate, erunt heroës magnanimi, quasi Angelum aliquem Dei semper se habere σύμμαχον palàm conspicerent.

9. *Quæram conterere.* Hebraismus, id est, omne studium adhibebo, ut conteram & disperdam. Prædicitur Gorgiæ, Lysiæque exercitûs panolethria.

10. *Et effundam,* &c. Q. d. Super duces populi Judaici, & super reliquos ex Judæis qui restabunt impolluti, largiter effundam *spiritum gratiæ & precum,* hoc est, ea dona quibus mihi placeant, & commeritam pœnam deprecentur, & ad me confugient, quem priùs malitiâ lacesserant, reatúsque punget ipsos tam horribili dolore, ut vix majorem acerbitatem perferat homo, dum orbatur filio primogenito efflictim amato.

Aspicient ad me. Heb. אלי. Alii legerunt, אליו, *ad eum*, sed perinde est, cùm in Scripturis passim, sequente maximè relativo, prima persona per tertiam exprimatur.

Quem confixerunt. Præclarè Grotius, *Configere Deum dicuntur, qui eum probris lacessunt. Nam sic &* נקב, *quod propriè Perforare, ponitur pro* βλασφημεῖν, Levit. 24. v. 11. Hic Zachariæ locus laudatur Joan. 19. v. 37. & meritò quidem; nam ut verè Brenius ad illum locum Joannis, *quod Deus de se à Judæis contemto dicit* κατὰ μεταφορὰν, *completum est in Jesu secundum litteram, cùm Judæorum multi in Jesum lanceâ transfixum crediderunt, & perfectiùs adhuc implebitur cùm omnes tandem Judæi per Evangelium de integro ipsis annuntiatum, eò adducentur ut credant eum qui à Romanis est transfixus & majorum suorum impulsu cruci affixus, reverà esse Messiam illum patribus olim promissum. Huc videtur respexisse Servator noster, cùm ait, Non videbitis me donec dixeritis, Benedictus, &c.*

Plangent eum. Heb. וספדו עליו, *& plangent de eo,* nempe quòd Deum telis rebellionis suæ quasi confixerint.

Quasi super unigenitum. Hac proverbiali locutione describi solet luctus gravissimus, ut videre est Jerem. 6. v. 26. & Amos 8. v. 10. *Porrò,* inquit Drusius, *Unicus à Græcis vocatur* μονογενὴς, *& aliquando* ἀγαπητὸς, *id est, interprete Hieronymo Charissimus.*

Et

Et dolebunt. Aeb. וימר, *& amaritudine afficientur.* Luctus gravis per metaphoram ab Hebræis dicitur *amaritudo*, ut etiam à Latinis eodem tropo *amarus* vocatur. Ovid. Metam. 14.

Admonitu quanquam luctus renoventur amari.

Hinc triſte acerbi doloris tempus Tibullus lib. 2. vocat *diem amaram.* Verba ejus ſunt,

O ego ne poſſem tales ſentire dolores,
Quàm mallem in gelidis montibus eſſe lapis.
Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra eſt:
Omnia jam triſti tempora felle madent.

In morie primogeniti. Aliâ adagiali locutione repetit quod antè dixit. *Solent enim,* inquit Grotius, *ubi plures ſunt liberi, primogeniti ardentius diligi, Jer.* 31. *v.* 9.

11. *Sicut planctus Adadremmon.* (Heb. *Hadadrimmon*) *in campo Mageddon.* Conſtat in campo Mageddon occiſum Regem Joſiam 4 Reg. 23. v. 29. 2 Paralip. 35. v. 22, & 23. In eo campo fuiſſe urbem dictam Hadadrimmon, quam poſterior ætas vocavit Maximianopolim, ſcribit Hieronymus: ita ut eadem Joſiæ cædes gemino indicetur nomine, ſicut clades Darii refertur & ad Arbella ab Arbellite regione, & ad Gaugamela, ex oppido aut vico propinquo. Chaldæus Paraphraſtes ait Hadadrimmon eſſe nomen proprium viri, qui Achabum Amri filium occidit 3 Reg. 22. v. 34. Hunc virum dicit fuiſſe filium Tabrimon. Atque ita hunc verſum ſic reddit: *Magnus erit planctus in Jeruſalem, juxta planctum Achab filii Omri, quem interfecit Hadadrimmon filius Tabrimon: & ſicut planctus Joſiæ filii Amon, quem occidit Pharao claudus in planitie Mageddon.* Ego potius accedo ſententiæ Hieronymi, tum quia locus ille ad Mageddonem ei notior fuit, quàm Jonathani Chaldæo Paraphraſti; tum quia in veritate Hebraica nulla eſt copula quæ indicet duplicis plangoris fieri mentionem. Præterea in hiſtoria cædis Achab 3 Reg. 22. & 2 Paral. 18. non legitur eam threno aliquo illuſtri fuiſſe celebratam, qui locum dare potuerit proverbio, quo ingens luctus vocatur *planctus Hadadrimmonius.* At Joſiæ mortem non univerſus ſolùm, qui tum præſens fuit Judææ populus, inſigni eſt lamentatione proſecutus; ſed etiam in futurum luctus publicus, quaſi pro ſtatuto in Iſraële receptus eſt: deflente eum quoque Jeremia Prophetâ in Lamentationibus ſuis, 2 Paral. 35. v. 24, & 25. in quibus imminentes Eccleſiæ regnóque toti miſerias tanquam præſentes patheticè deplorans, ad cædem Joſiæ, ut

futurarum omnium calamitatum primordium, ita ſecundum veritatem Hebraicam digitum intendit, *Spiramentum narium noſtrarum, unctus Domini, capitur in foveis iſtorum, de quo dicebamus in umbra ejus nos victuros inter gentes.* Lament. 4. v. 20.

12. *Planget terra, familiæ & familiæ ſeorſum.* Id eſt, habitatores terræ per familias ſeorſim proprio quique affectu impulſi ſeriò lugebunt.

Familiæ domûs David. Heb. משפחת, *familia.* Chald. *Viri familiæ David.* Obſerva ex Hieronymo præcipuas hîc populi Judaici familias nominari ſigillatim, alias, quæ non habent privilegium aliquod dignitatis, in genere tantùm. Familiam David nominat, quia regia. Nathan, quia Prophetalis. Levi, quia Sacerdotalis. Semei denique, quia ex hac familia Doctorum agmina pullularint, ut ait Hieronymus hîc, & in Ep. ad Algaſiam q. 10.

14. *Mulieres eorum ſeorſum. Non dubito,* inquit egregiè Calvinus, *quin idem velit quod habetur Joëlis ſecundo, Egrediatur ſponſus è thalamo ſuo, & ſponſa è ſuo cubili. In mœrore ſcimus homines abſtrahi ab omnibus deliciis & omni lætitia. Quum ergo viri ſe ab uxoribus ſegregare ſolerent in mœrore publico & ſolemni, ideò Propheta locat mulieres ſeorsùm. Quanquam ſimul intelligit mulieres non expectaturas dum viri lugendi exemplum oſtendant: ſed ſponte & proprio affectu ad lugendum propenſas fore.*

CAPUT XIII.

2. *IN illa die,* &c. Q. d. Judæis *criminum conſcientiâ ærumnoſis,* ut Hilarii Pictavienſis verbis utar, pateſcet fons gratiæ cœleſtis, quâ & domus David, hoc eſt, nobiles, & habitatores Jeruſalem, id eſt plebeii, à peccatis ſuis expurgabuntur, quomodo aquâ vivâ ſordes menſtruatæ abluuntur apud ipſos Judæos.

2. *Diſperdam,* &c. Q. d. Nulla erit deinceps inter Judæos idololatria, nec nomina quidem idolorum ipſis nota erunt; nullus mendaciter ſibi Prophetæ nomen arrogare audebit, quia dæmoniis, à quibus accipiebant pſeudo-prophetæ quæ Dei nomine efferebant, auferetur fallendi poteſtas.

3. *Et erit,* &c. Q. d. Siquis enim poſthac populum volens ad cultum falſorum deorum abducere propheraverit, id eſt, futura prædixerit in nomine Domini, ſeu falſam doctrinam propagaverit,

ir, ipſi parentes, iique non adoptivi, ſed naturales judicium mortis in eum pronunciabunt juxta Legem Deut. 13. & ſi perſtiterit falsò ſibi arrogare divinam revelationem, & falſa proponere Dei nomine dogmata, ipſe pater & mater ejus eum ad necem deverberabunt.

4. *Et erit*, &c. Q. d. Ideóque pudore ſuffundentur, qui falſa cerebri ſui figmenta ut oracula divinitùs revelata impudenter promulgaverint, nec ultrà circuibunt amicti pallio hirto, ut Prophetæ divinitùs inſpirati authoritatem ementiantur.

5. *Sed dicet*, &c. Q. d. Sed ingenuè fatebitur ſe non eſſe prophetam, proindéque ſe velle non fucum plebi faciendo, ſed agriculturâ, hoc eſt, juſto & licito labore in poſterum victum ſibi legitimum quærere.

Quia Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea. Heb. כי אדם מקני מנעורי, *quia Adam*, ſeu *homo fecit ut ab adoleſcentia mea mihi comparavem*, ſupple, agricolationis peritiam. Q. d. Nam exemplo Adæ in ſudore vultus ſui panem comedentis, vel ſi *adam* generaliter ſumatur hîc pro homine, magiſtro homine à pueris agros colere didici, nunquam verò & nuſquam à Deo fui edoctus, ut poſſem munus prophéticum obire.

6. *Et dicetur*, &c. Q. d. Quod ſiquis eum interrogaverit quid ſibi velint vibices & ſphragitides quæ patent in ipſius manibus, crimen ſuum confitens ac damnans reſpondebit has vibices eſſe veſtigia verberum, quibus cæſus fuit domi à parentibus cùm olim nomen Prophetæ ſibi falsò aſſumeret.

7. *Framea.* Familiaris eſt hæc vox Vulgato interpreti pro *enſe* ſive *gladio.* Hinc Arnobius junior ad Pſ. 17. v. 13. *Frameam humanæ litteræ ſpecialiter dicunt lanceam Regis: nos autem frameam generaliter gladium in Scripturis S. accipiamus.*

Sucitare. Imperativus pro futuro, id eſt, ſuſcitaberis. Redit vates ad ea quæ erant futura tempore Maccabæorum.

Super paſtorem. Paſtor hic in veritate fuit Chriſtus paſtor paſtorum à Juda proditus Judæis, at in typo fuit Judas Maccabæus, qui in prælio cum Bacchide interiit. Joſeph. 12. Antiq. 19.

Et ſuper virum cohærentem mihi. Id eſt, quem ſummè amo. Hoc maximè quadrat in Chriſtum unicè dilectum Dei Filium, cujus Judas Maccabæus typum gerebat.

Percute, &c. Iterum Imperativus pro Futuro. Juda Maccabæo à Bacchide percuſſo, fugit ejus exercitus. Chriſto à Juda Iſcariote prodito Judæis ſanguinem ejus ſitientibus, fugam capeſſerunt ipſius diſcipuli. Vide Joſephum loco mox laudato, & Mat. 26. v. 31. Mar. 14. v. 27. & Joan. 16. v. 31.

Et convertam manum meam ad parvulos. Vocat *parvulos* quos priùs vocavit *oves*, q. d. Non permittam tamen ut greges & oves tenellæ pereant.

8. *Et erunt in omni terra.* Scilicet, Israël; *He* namque demonstrativum in veritate Hebraica indicat reddendum, *in omni terra hac.*

Partes duæ in ea dispergentur & deficient. Magnas clades Bacchis non isto tantùm prælio, in quo Judam Maccabæum percussit, sed & aliis antecedentibus intulerat Judæis, ut Joseph. 12. Antiq. 18. videre est: per eas multi interiere, multi fugêre. Similiter post Jerusalem à Tito captam pauci manserunt, cùm plerique Judæi gladio, peste, fame, & aliis mortis violentæ generibus fuerint extincti.

9. *Et ducam tertiam partem per ignem.* Q. d. Paucos illos, qui remanserint superstites, per ignem variarum afflictionum excoctos purgabo. Prov. 17. v. 3. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Quod eleganter pro more sic metro expressit Joannes Maury Doctor Theologus,

Ut probat argentum, probat aurum subditus ignis.
Scoriáque eximitur, terreni & quicquid adhæsit;
Sic probat adversis Deus exploratque fideles
Quos selecturus sibi sit, purgátque camino
Nil lædente illo, at sordes qui discutit omnes.

Ipse invocabit, &c. Q. d. Quilibet residuæ illius partis Judæorum servatæ & afflictionibus repurgatæ me invocabit & ego exaudiam, agnoscámque pro meo populum sic excoctum & probatum, qui me vicissim agnoscet pro Deo vindice & redemtore suo. Hæc prophetia plenum sortietur effectum in illa Judæorum ad Christum conversione, de qua loquitur Paulus Rom. 11. v. 25. & 26.

CAPUT

CAPUT XIV.

1. *Ecce*, &c. Q. d. Brevì aderit dies, quo Dominus potentiam & gloriam ſuam eſt oſtenſurus, & in ipſa Judæa paſſim à Græcis dividentur ſpolia de Judæis reportata.

2. *Congregabo*, &c. Q. d. Injiciam variis gentibus mentem conveniendi contra Jeruſalem. Grotius hoc refert ad centum millia peditum, viginti millia equitum, qui cum elephantis triginta duobus ad prælium doctis è variis regnis & ex inſulis maritimis venerant ad Antiochum Eupatorem *exercitus conductitii*, ut dicitur 1 Mac. 6. v. 29, & 30.

Capietur civitas. Judæos tunc in Templum ſe recipere fuiſſe coactos tradit Joſephus 12. Antiq. 14.

Vaſtabuntur domus & mulieres violabuntur. Ut & antè factum fuerat in Antiochi Epiphanis adventu.

Et egredietur media pars, &c. Q. d. Tum magna civium Hieroſolymitanorum pars propter famem ſe dedent hoſtibus, reliqui verò in urbe remanentes Templum defendent. Ita doctiſſimus Grotius ex Joſepho.

3. *Et egredietur Dominus.* Hebtaiſmus Scripturæ familiari *egredi* ſimpliciter dicitur, qui egreditur ad bellum. Egreſſus autem & præliatus contra hunc exercitum Antiochi Eupatoris ex variis gentibus conflatum dicitur Dominus, quoties ipſius ope feliciter erupere obſeſſi, uti narrant Joſephus, & Autor 1 Mac. Id enim, ut rectè obſervat Grotius, non parùm profecit ad pacem.

Sicut præliatus eſt in die certaminis. Cùm ſcilicet Pharaonem ejúſque copias marinis fluctibus ſubmerſos oppreſſit.

4. *Et ſtabunt pedes ejus.* Id eſt, Grotio interprete, *Bacchidæ, qui gentibus illis præerit. Ita ſæpè ex ſenſu ſubauditur perſona.*

In die illa. Hebræi tempus *diem* vocitant.

Super montem olivarum. Caſtrametationi videlicet percommodum.

Et ſcindetur, &c. Id eſt, Grotio interprete, Multa humus egeretur è monte olivarum, ita ut hic mons magnâ ſui parte hiet ad Orientem & ad Occidentem, feretúrque humus egeſta partim ad Aquilonaria, partim ad Auſtralia Templi oppugnanda.

5. *Et fugietis*, Expavefacti ſcilicet.

Ad vallem montium eorum. id eſt, ad aſpectum vallis illorum montium. Quidam putant Latinum interpretem ſcripſiſſe *montium meorum*, quia in textu Hebræo eſt הָרַי; ſed poteſt eſſe regimen pro abſoluto. *Qualem permutationem*, inquit Grotius, *& alibi notavimus, maximè in his ſcriptoribus, qui non rarò Συρίζωσι.* Vocat autem *vallem montium* hiatum illum montis olivarum humi egeſtione factum, *quia egeſta humus ex uno monte Oliveti velut duos fecerat*, ut loquitur Grotius.

Quoniam conjungetur vallis montium uſque ad Proximum. Heb. אֵל אָצַל, *ad Azal*, nomen loci ad quem hiatus pertingebat, q. d. Hiatus namque ille pertinget ad Azal uſque, hoc eſt, uſque ad locum cui ab hujus montis vicinitate nomen eſt; אָצַל enim redditur *juxta, proximè.*

Et fugietis, &c. Q. d. Fugietis itaque ad aſpectum hujus hiatûs, quomodo olim fugerunt majores veſtri ad ingentem terræ motum, qui in eodem monte vaſtum hiatum fecerat, in diebus Oziæ Regis Juda. Hujus terræ motûs meminit Amos 1: v. 1. Vide quæ ibi diximus.

Et veniet, &c. Q. d. Tum verò præſto erit Deus ſanctis Angelis comitatus ad Templi & obſeſſorum tutelam. *Sancti* ſunt Angeli Dan. 8. v. 13.

6. *Ei erit*, &c. Q. d. Verùm in tempore illo obſidionis, priuſquam Dominus opem ferat Templo & obſeſſis in Templo, non erit אוֹר יְקָרוֹת, *lux pretioſa*, id eſt, clara, יִקְפָּאוֹן, ſeu וְקִפְאוֹן, *ſed denſa*, ſeu *nebuloſa*, hoc eſt, non erit lux læta, ſed acerba, nulla affulgebit ſpes ſolatii aut levaminis, ſed omnia terribili comminatione horrificabunt.

7. *Et erit dies*, &c. Q. d. Sed totum illud tempus, quod à Domino eſt notum, id eſt, præfinitum, (Sic παρείλκω ſæpè etiam in N. T. ſumitur) neque diei lætitiam, neque noctis quietem habebit; verumtamen *in tempore veſperi*, hoc eſt triſtifico hoc tempore vergente, cùm minimè ſperabitur, affulgebit lux gaudii, pace factâ.

8. *Et erit*, &c. Q. d. Poſt illud calamitoſum tempus, ut in alta pace fient æquæductus egregii, qui aquis perennibus ſcaturient, quarum media pars fluet ad mare Orientale, id eſt, Mare Mortuum, ſeu lacum Aſphaltiten, & altera pars media fluet ad mare Noviſſimum, id eſt, Occiduum; *Sic dicitur*, inquit Grotius, *mare Syriacum, Deut. 11. v. 24. & 34. v. 2. quia Occidens Hebræis pars poſterior appellatur.*

In æſtate & in hyeme erunt. Hoc uſt, per totum anni tempus hæ aquæ fluent, nec æſtate ſiccabunt, nec hyeme congelabunt,

9. *Et*

9. *Et erit Dominus*, &c. Q. d. Tunc autem Judæi ab externis imperiis liberi unum Jehovam pro rege ſuo agnoſcent, unum Deum profitebuntur, ac eundem omnes uno cultu colent. *Id*, inquit Grotius, *eò evenit, quia Reges vicini inter ſe infenſi ſtudiis ac beneficiis in Judæos certabant. Quæ hiſtoria eſt apud Joſephum* 13. *Antiq.* 4. & 5.

Super omnem terram. Heb. על כל הארץ, *ſuper omnem terram illam*, ſcilicet, Iſraël, in qua non alius Deus coletur præter Jehovam.

10. *Et revertetur*, &c. Heb. *Circumdabitur.* Q. d. Omnis terra, quæ circum Jeruſalem, frequens habitabitur *uſque ad deſertum*, id eſt, etiam in locis non habitatis antehac; *nempe*, inquit Grotius, *affluentibus ad res proſperas ex omni orbe Judæis.*

De Colle Remmon. Heb. מגבע לרמון, quod alii vertunt, *A Gaba ad Remmon.* Erat autem Gaba, ſeu Gabaa, quod Hebraicè *collem* ſonat, ad Septentrionem oppidum Benjaminis, 1 Reg. ſeu Sam. 13. v. 2.

Ad Auſirum Jeruſalem. Q. d. Quæ Remmon eſt ad Auſtrum Jeruſalem. Vide Joſ. 15. v. 32. & 19. v. 7.

Et exaltabitur. Supple, Jeruſalem turribus & mœnibus.

Et habitabit in loco ſuo. Id eſt, eóque loci habitabitur, ubi nunc eſt. Vide eandem locutionem ſuprà 12. v. 6.

A porta Benjamin. Id eſt, à porta urbis ſeptentrionali, quæ 2 Par. 25. v. 23 *porta Ephraim* vocatur, ducítque in agrum Benjaminitarum, Jer. 37. v. 13.

Uſque ad locum portæ prioris. Id eſt, Veteris, Nehem. 3. v. 6. Ea erat ad Occaſum.

Et uſque ad portam angulorum. Hæc porta erat ad Ortum, ejuſque mentio extat 2 Par. 25. v. 23. Eſt autem *porta angulorum* idem ac porta turrium; quia enim turres in angulis murorum eſſe ſolent, ipſæ turres ſubinde *anguli* vocantur, ut rectè obſervavit Grotius ad Sophoniam 1. v, 16. & 3. v. 6.

Et à turre Hananeel. Quæ erat ad Meridiem, Nehem. 3 v. 1.

Uſque ad torcularia Regis. Ubi Reges vineta ſua habere conſueverunt. *Is locus erat in urbe intima apud Sionem*, inquit Grotius.

11. *Et habitabunt in ea*, &c. Q. d. Qui autem tam frequentes inhabitabunt Jeruſalem poſt pacem cum Bacchide & Regum ſequentium fœdera, nullum deinceps experientur *anathema*, id eſt, excidium, ſed ſecurè ſine hoſtium metu perdiù erunt.

12. *Et*

12. *Et hæc erit plaga*, &c. Id est, enecabuntur fame Macedones, qui erunt in arce Hierosolymitana. 1 Mac. 13. v. 44. Ovidius Metam. 8. famem paribus notis depingit,

———*Cava lumina, pallor in ore,*
Labra incana situ, scabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam spectari viscera possent.
Ossa sub incurvis exstabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & à spinæ tantummodò crate teneri.

13. *In die illa*, &c. Q. d. Deus vehementer illos populi sui hostes conturbabit; nam qui manus complodunt in signum federis inter se initi, mutuam in ruinam conjurabunt. *Nihil*, inquit Grotius, *potuit de isto tempore congruentiùs dici, quo omnia plena perfidiæ.* Vide Josephum 12. Antiq. 16.

14. *Sed & Judas*, &c. Q. d. Ut olim Antiocho, sic modò Bacchidæ multi aderunt perfidi ex Judæis, qui pugnent contra Hierosolymæ incolas, illecti vicinarum gentium omnium divitiis, quibus hostium cum Jerosolymitis belligerantium castra scatebunt. Vide 2 Mac. 8. v. 30. Josephum 12. Antiq. 17.

15. *Et sic*, &c. Q. d. Verum omnibus animantibus, quæ circùm Jerosolymam erunt in hostium castris ea inferetur plaga, quâ suprà v. 12. Macedones afficiendos prædixi; atque ita homines cum jumentis fame peribunt.

16. *Et omnes*, &c. Q. d. Reliqui autem de Hierosolymæ infestatoribus, quos clades illa non oppresserit, conspectis tantis beneficiis in populum Judaicum, fient Proselyti, & quotannis ascendent Hierosolymam, ut ibi colant Deum verum, saltem, si frequentiùs non possint, festo tabernaculorum, quod quintâ decimâ die mensis Tisri celebratur in memoriam ducti per loca deserta populi, miríque modis per annos quadraginta nutriti. Hoc quippe anni tempore, collectis frugibus, & sedatis æstatis ardoribus, commodius erat iter Hierosolymam, quàm quovis alio.

17. *De familiis terræ.* Hujus scilicet, id est, de Judæis, q. d. Quisquis Judæus in illis locis degit, unde citra nimium incommodum possit venire Hierosolymam, illuc non venerit semel per annum saltem Regem Regum, & Dominum exercituum adoraturus, destituetur divino favore, qui metaphoricè vocatur *imber*. Vide Es. 5. v. 6. Os. 6. v. 3. Apoc. 11. v. 6.

18. *Quòd*

18. *Quòd & ſi familia Ægypti non aſcenderit.* Familiam Ægypti vocat Judæos, qui cum Onia in Ægyptum profecti, ſibi Templum ibi fecerant, de quibus Joſeph. 13 Antiq. 6. & Belli Jud. lib. 7. cap. 37.

Nec ſuper eos erit. Nempe Dei gratia & benedictio τῷ μετεωρολογεῖν imbris & pluviæ nominibus deſignatæ.

Sed erit ruina, &c. Q. d. Sed potiùs communi plagâ aliorum Judæorum in Gentibus diſperſorum, qui non aſcenderint ſemel ſaltem per annum Hieroſolymam, involventur.

Omnes gentes. Id eſt, omnes familias, Judaicas ſcilicet in gentibus diſperſas. Notum eſt Judæorum tribus non rarò vocari nomine *gentium*, aut *populorum.*

19. *Hoc erit peccatum Ægypti,* &c. Q. d. Idem quippe peccatum imputabitur Judæis in Ægypto degentibus, atque ceteris omnibus Judæis hic illic diſperſis, ſi ad feſtum tabernaculorum ſaltem Dominum adoraturi non aſcenderint Hieroſolymam, cùm id citra nimium incommodum poſſint.

20. *In illa die,* &c. Q. d. Tunc, cùm multi ex gentibus facti fuerint proſelyti, ambitioſa equorum bellicorum ornamenta in uſum Templi conſecrabuntur Domino, tantáque immolabitur victimarum multitudo, ut innumeri futuri ſint in Templo lebetes ad carnes hoſtiarum coquendas, quomodo olim innumerabiles ibi fuere phialæ ad oblationem ſimilæ & olei, & ad fundendum ſanguinem victimarum circa altare, & ad vinum ſuffitúſque. *Verum eſt,* inquit Grotius; *Nam & Reges & Principes Orientis ferè omnes liberalitate in Templum certarunt. Antiochus Magnus ſolus viginti mille numos argenteos miſit in uſum victimarum Templi, olei & thuris, teſte Joſepho* 12 *Antiq.* 3. *Demetrius parium numûm ad victimam dedit centum quinquaginta milla annua, Joſephus* 13. *Antiq.* 5.

Quod ſuper frenum equi eſt. Heb. עַל מְצִלּוֹת, *ſuper tintinnabula,* id eſt, quod cohæret equi tintinnabulis, Phaleræ, nimirùm, & ornatus bellicus, ſeu cinctus equorum, qualem Claudianus deſcribit in Epigrammate 23. de freno, phaleris, & cingulo equi Honorii à Serena miſſis:

Accipe regales cultus, & crine ſuperbus
Erecto virides ſpumis perfunde ſmaragdos,
Luxurient tumido gemmata monilia collo.
Nobilis auratos jam purpura veſtiat armos,
Et medium te zona liget, variata colorum
Floribus, & caſtæ manibus ſudata Serenæ,
Perſarum gentile decus.

21. *Et erit*, &c. Q. d. Quinimò tanta futura est advenarum liberalitas, ut nec ipsæ innumerabiles Templi lebetes ad carnes oblatarum ab ipsis victimarum coquendas sufficiant. Necesse igitur erit in usum illum accommodare omnem lebetem in Jerusalem & in Juda, qui antehac profanus erat.

Et non erit mercator ultrà in domo Domini. Nempe qui vendant in usum Templi necessaria. Omnia enim ista sat superque advenæ Templo donabunt.

FINIS.

MA-

MALACHIÆ PROPHETÆ

Explicatio Literalis.

MAlachias post reditum populi è captivitate Babylonica natus est, ut Pseudo-Dorotheus, & Isidorus Hispalensis testantur, in oppido Sopha, quod oppidum Epiphanius ait fuisse in tribu Zabulon. Addit idem Epiphanius eum Malachiæ nomen esse sortitum, quòd egregiâ & Angelicâ corporis formâ, Angelicisque, & inculpatissimis moribus esset præditus. Nam *Malachi*, quomodo hic Vates Hebraicè vocatur, *Angelum* sonat, addito Jod paragogico. Templo secundo jam perædificato prophetam egit, easque reprehendit corruptelas, quas tempore secundæ suæ præfecturæ apud Judæos se deprehendisse, in postremo libri sui capitulo Nehemias indicat; conjugia nimirùm cum alienigenis inita, decimarum detentionem, & divini cultûs depravationem. Quia verò deinceps Deus non erat missurus continuâ serie Prophetas suos sicuti anteà, extremis prophetiæ suæ verbis populum Malachias hortatur, ut Legi Mosis constanter adhæreat, usque dum exhiberetur summus Ecclesiæ Propheta Christus, cujus præcursor Joannes Baptista venturus esset in spiritu & virtute Eliæ, ut converteret corda patrum in filios, & rebelles ad prudentiam justorum. Hic Prophetarum omnium tempore ultimus in Martyrologio Romano accensetur sanctis, qui ex hac vita decessere XIX. Kal. Februarii. In juventute mortuum, & in loco natali cum parentibus suis sepultum memorat Pseudo-Epiphanius. Judaicam fabellam sapit, quod idem refert Malachiæ istuc præ ceteris vatibus datum fuisse, ut quæcunque ille prophetaret, apparuerit eodem semper die Angelus de cœlo, qui eadem populo repeteret, suáque testificatione confirmaret.

CAPUT

CAPUT I.

1. ONus, &c. Q. d. Onerosa prophetia per Malachiæ ministerium à Deo ad totum populum è captivitate Babylonica reducem delata.

2. *Dilexi vos.* Hoc est, prætuli vos cunctis gentibus, & gratuitâ benignitate vos singulariter accuravi.

Et dixistis, &c. Q. d. Si dixeritis, hoc est, si quæsieritis, in quo vos ceteris gentibus prætulerim, réspue vestras magis, quàm aliarum gentium accuraverim, promta est responsio: nempe quum Esau & Jacob essent germani, prætuli patrem vestrum Jacob, eique fratrem Esau subjecti, & cùm Idumæam Esau & posterorum ejus habitationem ad perpetuum excidium damnaverim, Judæam vobis Jacobi posteris instauravi purâ misericordiâ, & *nullo merito suffragante*, ut loquitur autor l. 2. de vocat. gent. c. 11. apud B. Prosperum, gratuito favore ex toto restitui.

3. *Esau autem odio habui.* Hoc est, posthabui. *Per odium istud*, inquit Johannes Schronderus, apud clarissimum Salomonem Glassium Grammaticæ sacræ lib. 3. Tract. 3. Can. 19. *Propositum Dei notatur, quo Esauum posthabuit & subjecit Jacobo. ceu servum Domino, Gen. 27. v. 29. 37, & 40. Nec obstat quòd mox v. 4. ducitur, quòd Esavitæ sint populus, cui irascitur Dominus usque in æternum. Loquitur enim Dominus de ira exitii temporalis perpetui, quo, attestante Obadia, Idumæa penitùs devastanda erat, quod æternum fore affirmat, eò quòd Idumæi è sedibus suis ejecti, nunquam rediturі essent. Id enim vult Deus considerari à populo suo tam ingrato, ut agnoscat Deum, etsi captivum ipsum duci permiserit, non tamen ita abjecisse, quin in terram suam, & ad cultum Dei verum reduxerit. Quòd si de æterna Idumæorum damnatione & reprobatione intelligatur, in ventos abirent Prophetarum vaticinia de vocatione Idumæorum ad regnum Messiæ, Es. 11. v. 14. Amos 9. v. 11, & 12, &c.* Utitur hoc etiam loco Paulus Rom. 9. ut ostendat Deum, cùm aliis peccata condonat, aliis non condonat, & cùm beneficia quædam eximia his confert, illis non confert, nullli in eo facere injuriam; neque ad rationes vocandum, quanquam suæ ipsi non desint causæ nobis sæpe absconditæ. Peccaverunt gravia Judæi non minùs quàm Idumæi: poterat jure utrosque Deus internecioni addicere, aut in summis malis relinquere. Poterat pro summo suo arbitrio Idumæos in statum felicem reponere, sicut Judæos reposuit. Libuit illi aliter agere, propter Jacobum, & promissa ei pacta. Est quòd gratias agat Jacob: non est quòd queratur Esau. *Hæc*, inquit præclarè Grotius, *ut typos futurorum ad Synagogam & Ecclesiam refert Paulus. Synagoga prior nata est, Ecclesia*

sia longo pòst tempore. Peccaverant gravia Hebræi; peccaverant graviora idololatræ in toto mundo. ex quibus maxima pars Ecclesiæ collecta. Justitiam illam spiritualem, quæ æterna habet promissa, per fidem contulit Deus Ecclesiæ, & simul dona Sanationum, Prophetiæ, Linguarum, & ejiciendi dæmonas; eísque signis ostendit peccata ipsis quamvis gravia, remissa. Synagogæ per Legem talem justitiam non, contulit, dona etiam abstulit; eóque ostendit peccata Judæorum retenta. Siquis adversus hæc tam clara, tam manifesta velit obloqui, opponetur ei jus Dei liberum, & in peccatis condonandis quantumvis gravibus, & in beneficiis conferendis: de cujus juris usu causas Deus nemini reddere tenetur: οὐκ ὑπεύθυνος κρατεῖ *& tamen habet causas, non quidem cur necessariò ita agat, sed causas, quæ ipsius sapientiam, bonitatémque deceant, & hominibus magis magísque sanandis sint aptissimæ. Verùm Paulus etiam aliud adfert, quod ad hunc Malachiæ locum non pertinet; nempe nondum natorum infantium discrimen factum, ut major, id est, ex majore ortus populus, aliquando esset infra minorem. Hîc quoque rerum majorum figuram Paulus observat. Synagoga major natu multùm infrà Ecclesiam. Ecclesia dona illa possidet, quæ Synagoga nunquam tanta habuit, & quæ habuit amisit. Unde hoc? Ex decreto Dei antequam nascerentur, illa ex Ægypto evocata, hæc e mundo.*

Posui montes ejus, &c. Q. d. Idumæam in rupibus sitam quinquennio post Judæam miserè devastavi, & converti in domicilia תנות, *draconum*, seu, ut alii vertunt, ferarum illarum eremicolarum, quæ vulgò *Jackales*, sive *Chakales* appellantur, de quibus diximus Mich. 1. v. 8. Vide Jer. 49. v. 7. Thren. 4. v. 22. Ezech. 25. v. 13. & 35. v. 2. Passim autem Prophetæ loca populosissima prædicunt habitanda à draconibus, quia draco τὴν ἐρημίαν πρὸ τῶν ἀστικῶν διατριβῶν *desertum urbicis domiciliis* præfert, inquit Ælianus lib. 6. de animalibus cap. 63. Acutè igitur Plutarchus lib. De defectu Oraculorum negat verum esse, quod aiunt, Delphos olim fuisse desertas, quia draco ibi degebat; cùm contrà draco ibi degeret, quia locus erat desertus. Ἡ γὰρ ἐρημία τὸ θηρίον ἐπηγάγετο, μᾶλλον ἢ τὸ θηρίον ἐποίησε τὴν ἐρημίαν.

4. *Quod si dixerit*, &c. Q. d. Utcunque posteri Esau colligant animos, & strenuè etiam laborent in urbibus suis reædificandis, prosperè tamen non succedet, quia diruet omnia ædificia Deus per Judam Machabæum primùm, deinde per Hyrcanum. Vide 1 Mac. 5. v. 65. Josephum Antiq. lib. 13. cap. 17.

Et vocabuntur, &c. Q. d. Palàm constabit Idumæam semper fore inhabitabilem, quia cum impiis Esau posteris illius regionis incolis Deus implacabiles gerit iras; atque ita ab omnibus Idumæa vocari poterit, Regio & patria impii populi, cui Deus implacabiliter iratus est in perpetuum. Vide quæ observavimus ad Mat. 1. v. 23. in hæc verba, *Vocabunt nomen ejus Emmanüel.*

5. Et

5. *Et oculi vestri videbunt.* Scilicet, magnas subinde strages, quibus obterentur Idumæi.

Magnificetur Dominus super terminum Israel. Id est, quia prolatavit terminos Israëlis, subjugando illi Idumæam. Etenim Idumæi planè ab Hyrcano filio Simonis Machabæi, compulsi sunt circumcisionem, religionémque Judaicam amplecti, teste Josepho Antiq. lib. 13. cap. 17. Atque tum impletum est illud, quod prædictum à Balaamo Num. 24. v. 18. nec non Amos 9. v. 12. fore ut Edom sit hereditas Israëlis. Ex eo tempore Idumæi inter Judæos censeri cœperunt, atque unum cum iis populum constituerunt. Multa de hoc egregia vide apud Casaubonum Exercit. 1. ad apparatum Annalium Baronii.

6. *Filius honorat*, &c. Q. d. Officium & debitum filii est, honorare patrem; & servi, honorare dominum: vos autem, ô Judæi, cùm me præstiterim vobis patrem, præ cunctis gentibus vos mihi eligens in populum peculiarem, apud quem summa locarem beneficia, non coluistis me ut patrem, neque reveriti estis ut dominum, quum tamen nullus possit imperio meo se subducere. Verbum, quod actionem, seu effectum notat, sæpè non actum, sed debitum vel officium significare pluribus exemplis comprobat clarissimus Glassius Grammaticæ sacræ lib. 3. tract. 3. can. 6.

Ad vos, ô Sacerdotes, &c. Q. d. Ad vos, ô Sacerdotes, hæc querimonia potissimùm dirigitur, quia cùm apud vos nulla vigeat Dei reverentia, mirum non est gregarios homines vestro exemplo in divini nominis contemtu, in sacrilegiis, atque in omni pollutionis & impietatis genere versari.

Et dixistis, &c. Hoc est, quod si quæsieritis, ad vitia vestra cæcutientes, quà in re contemseritis nomen Dei, promta est vobis Dei responsio.

7. *Offertis*, &c. Accusantur primò sacerdotes, quòd oblationem illam, quæ cum jugi sacrificio bis de die fiebat, Exod. 29. v. 38, & 40. & panis Dei vocatur Num. 28. v. 2. admoverent altaribus ex tritico non purgato, aut sine oleo, contra prohibitorium Legis edictum.

Et dicitis, &c. Hoc est, si quæritis iterùm, in quo me despectui habeatis, responsum præsto est. prætexitis avaritiæ vestræ quòd altare à plebe despiciatur, nec multùm ad illud afferatur similæ & olei; ideò detrahitis aliquid eorum, quæ Lege jussa sunt. *Fiebat hoc*, inquit Grotius, *improbè admodùm, cùm reditus, quos habebant ex victimis & Regum liberalitatibus (de quibus vide Esd. 6. 9, 10.) ad illas impensas quotidianas facilè sufficerent.*

Mensa Domini. Ut sacrificia vocantur cibus, seu panis Dei, sic altare in quo offeruntur dicitur ejusdem mensa. Deus autem voluit perinde sibi offerri sacrificia, ac si domicilium haberet inter

Judæos

Judæos & mensam suam. Noluit quidem eos occupare in crassis imaginationibus, quasi ederet, vel biberet, quemadmodum scimus profanos homines talibus præstigiis fuisse delusos: Sed voluit tantùm Judæos commonefacere se familiariter agere in medio eorum, & quicquid bibunt, vel edunt sibi esse sacrum; quæcunque possident, ipsis à mera liberalitate sua proficisci.

8. *Si offeratis cæcum*, &c. Heb. *Prætereà si offeratis cæcum*, pecus scilicet. Est enim hæc altera accusatio, q. d. Improbitas vestra est eò usque progressa, ut palàm etiam pueris ostendatis cultum Dei ferè pro nihilo apud vos duci; audetis enim immortali universi monarchæ offerre victimas cæcas, claudas, & morbidas, quæ Lege vetantur offerri, Levit. 22. v. 22. & Deut. 15. v. 21. & ab Ethnarcha mortali respuerentur, si pro munere ipsi mitterentur.

9. *Et nunc deprecamini*, &c. Concessio ironica ad sacerdotes, qui malè affecti animo, & reprobatis sacrificiis instructi erant, q. d. Agite, sistite vos coram Deo quasi deprecatores, ut iram ipsius complacetis, eique reconcilietis miseros homines, cùm illicitas, & vitiosas manibus vestris hostias immolaveritis, & ita fœdaveritis sanctuarium, totúmque divinum cultum corruperitis; experimini damno vestro quid gratiæ impetraturi sitis.

Ut misereatur vestrî. Heb. וִיחָנֵּנוּ, *ut misereatur nostrî*. Præclarè Drusius, *Quidam legunt, Et miserebitur nostrî: non ex mente scriptoris ut videtur, qui hoc potiùs dicit, Cùm preces ad Deum faciebatis, non suscipiet eas, nec exaudiet vos, quamdiu nomen ejus hoc modo polluetis. Loquitur ergò ἐθεσμικῶς, cùm dicit, Deprecamini. Potuisset dicere, Vestrî sed maluit dicere, Nostrî, ne se videretur eximere, licèt culpam hac quidem in re nullam haberet. Sic Moses locutus est Exod.* 34. 9. *Condonabis iniquitatem nostram. Nostram dicit, quæ populi erat: nam ipse non peccaverat. Hunc loquendi modum concionatores imitari debent cùm populum reprehendunt, ut dicant Nos, non Vos, aut Illi, cùm nemò sit immunis à crimine.*

De manu enim vestra factum est hoc. q. d. Siquidem summâ impietate, retentis apud vos animalibus sanis & integris, nonnisi languida, marcida, & vitiosa manibus vestris in sacrificium Deo immortali obtulistis, quæ duci mortali in munus offerre virum probum & modestum prorsus dispuderet.

Si quomodo suscipiat faciem vestram, Ellipsis, pro, Videte an aliquâ ratione susceptrus facies vestras; hoc est, an Deus sit vos respecturus, ut omnibus fiat propitius.

10. *Quis*, &c. Sensus est, Grotio interprete, *Omnia illa, quæ avaritiæ vestræ prætenditis inania sunt. Ita benè Lex prospexit non sacerdotibus modò, sed & Popis & Janitoribus, ut abundè mercedem habeant operæ.*

Non est mihi voluntas, &c. Q. d. Non amo vos, qui me non colitis puro & sincero corde, inquit Dominus, & cùm cor vestrum

sit impurum, omnia sacrificia vestra coram me abominationis instar fœtent. *Tenendum est*, inquit clarissimus Calvinus, *quod dicit Moses, placuisse Abel Deo unà cum suis sacrificiis. Et vidimus apud alterum Prophetam, nempe Kaggæum 2. v. 15. Deum abominari quæcunque sunt in magno pretio apud homines, ubi non colitur puro & sincero corde. Idem nunc vult Propheta noster, Non placet mihi in vobis, & non habebo gratas victimas è manu vestra, inquit.*

11. *Ab ortu*, &c. Q. d. Vobis enim abdicatis, ô Judæi, Deus per totum orbem habitabilem innotescet, & omnes gentes coalescent in unum corpus, ut simul adorent eum in spiritu & veritate. Eusebius demonst. Evang. lib. 1. cap. 6. *Quod in omni loco dicit incensum & sacrificium offerri Deo, quid aliud significat, nisi non Hierosolymis, neque definite in hoc aut in illo loco id futurum, sed in omni regione, & in omnibus gentibus, quæ quidem & orationis incensum & sacrificium, quod mundum dictum est, non per cruores, sed per pias actiones, summo Deo essent oblaturæ?* Est autem Prophetis in more positum, metaphoricè cultum novi Testamenti, & vocationem gentium verbis veteris Testamenti cultum denotantibus exprimere. Verùm ex ipsis novi Testamenti scriptis eruendum est in quo cultus iste verbis metaphoricis à Prophetis descriptus consistat. Et hîc peccant Romanenses, quando ea, quæ de oblatione munda in præsenti versiculo à Malachia dicuntur, de sacrificio Missæ interpretantur, cùm tamen hujus nulla omninò in Scripturis novi Testamenti mentio fiat. Itaque in ipso concilio Tridentino Georgius Ataides Regis Lusitaniæ Theologus conferens cum oblatione munda Malachiæ adorationem Dei omni in loco, quæ fit in spiritu & veritate Joan. 4. v. 23, & 24. utrumque locum dixit de una eadémque re loqui. Cùm igitur Christus dicat Deum esse spiritum, & in spiritu adorandum, neminem contendit, nisi qui omnia impropriè velit enuntiare, unquam dicturum, Sacramentum quod constat visibili & invisibili, esse merè spirituale. Quare siquis utrumque locum de interna adoratione interpretetur, hunc erroris convinci posse negavit. Nisi fortè fructum labiorum confitentium nomen Dei Heb. 13. v. 15. & λατρεία λογικὴ Rom. 12. v. 1. perperàm Apostolus *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*, & *hostiam laudis* appellavit. Apostolum imitata primitiva Ecclesia totum rationalem cultum, qui in passionis Christi memoriam pane & vino celebratur, precibusque & gratiarum actionibus perficitur, victimam Dei, laudem & gloriam nominavit, ut videre est apud Justinum Martyrem in Apologia ad Antoninum, & in Tryphone. Huic sancto martyri gratiarum actiones sunt *sola perfecta & consummata sacrificia*, τέλειαι μόναι θυσίαι. Hinc & Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, Sacrificia Christianorum dicit esse preces, & laudes, actiones Scripturæ, Psalmos & hymnos. Unde à B. Cyrillo Alexandrino

drino lib. 5. & 10. cont. Julianum, inducitur ipse Julianus Apostata vellicans Christianos, quod Christo semel pro eis in cruce immolato contenti, nullas Abrahæ instar sacrificas aras ædificarent, nec vetera Judæorum sacrificia servaverent, nec ipsi novo sacrificio invento sacrificarent. Exploratissima autem erant Juliano Christianæ religionis mysteria, utpote qui, teste Gregorio Nazianzeno Orat. 3. contra ipsum Julianum, *seipsum in Clerum Christianum ascripserat, & plebi libros divinos lectitabat. Quod non minùs sibi amplum & honorificum existimabat, quàm aliud quidvis.* Noverat itaque Julianus nullum propriè dictum sacrificium, sive cruentum, sive incruentum apud Christianos celebrari præter unicum illud crucis; quamvis Christiani oblationis & sacrificii nomine insignirent cænam Dominicam, *quia memoria est & repræsentatio veri sacrificii, & sanctæ immolationis factæ in ara crucis*, ut ait Sententiarum Magister, Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis 4. distinct. 12. in cruce celebratur. *Si enim*, inquit Aug. Epist. 23. ad Bonif. *Sacramenta quandam similitudinem earum rerum non haberent quas repræsentant, non essent sacramenta. Ex hoc autem similitudine pleraque rerum ipsarum nomina accipiunt.* Cyrillus Alexandrinus vir sanctissimus & doctissimus contra Julianum contendit meliùs Deo sacrificari à Christianis, quàm fuerit à Judæis unquam sacrificatum, etsi nullum corporeum sacrificium apud Christianos agnoscatur, præter unum verè immaculatum & impollutum Christi sacrificium semel in cruce pro nobis immolatum. *Offerimus enim*, inquit, *in odorem suavitatis virtutes omnigenas, spem, obedientiam, charitatem..... Istud sacrificium minimè carnale, simplicem & secundum naturam incorporeum decet Deum..... Figurarum tempore vigebant figuræ; demonstratâ verò veritate, spiritualem cultum necesse est vigere.*

Magnum est nomen meum in Gentibus, &c. Ex hoc loco autor tractatûs Theologico-politici sequi putat alias nationes eodem modo, quo Scriptura id de Hebræis narrat, *per Dei directionem externam, imperium legesque singulares habuisse; quandoquidem verba Malachiæ nullum aliud tempus quàm præsens pati possunt, nisi iis vim inferre velimus.* Verùm in textu Hebræo non legitur *est*; unde, ut advertit Grotius, supplebitur rectiùs ירצה per *erit*. Nam est illustre vaticinium de cultu Dei puro & integro per Christum, ejusque Legatos ubique terrarum propagando.

Sacrificatur. Heb. מקטר, *sufficio*, Græcè, θυμίαμα, pro quo mendosè legitur apud Justinum in Tryphone θυσία, *sacrificatio*, quod est Hebraice זבח. Porro quia familiare est Vatibus de futuris loqui tanquam de præsentibus, præsens tempus pro futuro posuit Vulgatus interpres.

Oblatio munda. Heb. מנחה טהורה, *fertum mundum*. Quemadmodum

admodum Joël 2. v. 28. illa intelligentiæ lux, quâ post Christum exhibitum Deus fideles erat illuminaturus, somniorum & visionum vocabulis designatur, quia per somnia & visiones Deus sub Lege manifestabat doctrinam suam Prophetis; sic per suffitum, fertum, ceteráque ad cultum Legalem spectantia passim Prophetæ designant spiritualem Dei cultum sub Evangelio futurum communem cunctis gentibus. Vide Calvinum in locum mox citatum Joëlis.

12. *Et vos*, &c. Q. d. Gentes, à quibus hactenus fui contemtus, & quibus non innotuit nomen meum, repentè accedent ad fidem nominque meum reverebuntur, vos autem polluistis illud, quum essetis illuminati doctrinâ Legis, prætexentes avaritiæ vestræ, quâ perperam Dei cultum polluitis, altare Domini despici à plebe, & nullius esse pretii reditus, quos habetis ex altari, quia quicquid altari superponitur, ferè totum altari cedit in cibum, nihil nobis; id est, totum in ipso altari propemodum exuritur, & vix quicquam nobis restat. Vide quæ diximus suprà v. 7.

13. *Et dixistis*, &c. Q. d. Nunquid, inquit Dominus, putatis cultum vestrum sacrificalem mihi acceptum fore, dum fœdâ & intolerabili impietate mavultis mihi mutilam, & vitiis infectam obtrudere victimam, quàm offerre pecus pingue & obesum multo labore ac sudore allatum.

Exufflastis illud. Id est, flatu ex ore emisso contemsistis illud scilicet pecus obesum multo labore adportatum. *Exufflare* pro contemnere usurpat Aug. Ep. 50. ad Bonifacium virum militarem de Cæsaris comitatu. Et contrà *sufflare* pro extollere Ep. 56. ad Dioscorum.

De rapinis. Heb. גזול, *raptum*, id est, ἁρπαλωτὸν, *à feris captum*, quod nec edere licebat, multò minùs offerre. Exod. 22. v. 31. Vocat igitur Vates raptum animal, quod ferarum dentibus erat mutilatum.

Et intulistis munus. Heb. והבאתם מנחה, *intulistis item fertum è similà*, quod Hebræi מנחה vocant. Vide quæ diximus ad versum nonum capitis primi Joëlis.

14. *Maledictus*, &c. Propheta eum pronuntiat maledictum, qui dolosè & mala fide agit cum Deo; nam præ se ferens aliquam pietatem vovet Deo hostiam; reus autem voti pecudes macras vel vitio aliquo jam infectas è grege deligit in sacrificia, & sibi reservat præsta ntiores, sicque crassum & profanum Dei contemtorem se prodit.

Quia, &c. Q. d. Mortalis enim homo non posset ferre hanc contumeliam, quâ mihi illuditis, qui sum, inquit Dominus, Rex tremendæ Majestatis, cujus augustum nomen terrorem incutit ipsis gentibus, quæ vix me noverunt,

CAPUT

CAPUT II.

1. *AD vos.* Supple, peculiariter dirigitur.

Mandatum hoc. Ut scilicet ritè sacris operemini, nec adulterina mihi Deo vero sacrificia offeratis.

2. *Ponere super cor.* Hebraïsmus, id est, animum adjicere ad ea quæ dicuntur, vel præcipiuntur.

Ut detis gloriam nomini meo. Hoc est, ut me ritè colatis, & ne in contemtum veniat nomen meum recuretis.

Mittam in vos egestatem. Heb. *Maledictionem.* Id est, ad egestatis terminos à me redigemini.

Maledicam benedictionibus vestris, &c. Q. d. Rebus omnibus, quibus Dei benedictione nunc fruimini, ego marcorem inducam, & marcescent singulæ, quia nulla vobis cura fuit, ut cultus divini nominis integer maneret. *Ergo,* inquit Calvinus, *Benedictiones hîc vocat largum & uberem proventum frugum: deinde quietem ab hostibus: postremò salubritatem aëris, & quicquid tale est. Nam quod precationes notari quidam putant, quibus Sacerdotes benedicebant populo, nimis est dilutum.*

Et maledicam illis. Heb. וגם ארותיה, *atque etiam maledixi ei,* id est, cuilibet benedictioni vestræ, seu cuique dono bono, cujus liberali donatione meum erga vos favorem declaravi. Dicit itaque Deus se jam singulis bonis, quæ ex ipsius beneficio habebantur, maledixisse, id est, marcorem induxisse, ut jamjam marcescant, atque evanescant.

3. *Ecce ego projiciam vobis brachium.* LXX. *Humerum,* id est, armum, qui cum ventriculo victimæ sacerdotibus cedebat ex Lege, Levit. 7. v. 32. & Deut. 8. v. 3. *Stercus.* LXX. *ventriculum.* Potuit Vulgatus interpres dicere *ventriculum,* sed maluit ignominiosiùs dicere *stercus,* quod adhærescere ventriculo solet. Dicit itaque Vates, secundum Vulgatum interpretem, qui ut LXX. in textu Hebræo legit זרע cum *Cholem* ante *Ajin,* quod est *brachium,* non verò cum *Patach,* ut hodie legitur, quod est *semen,* dicit, inquam, Vates à Deo projectum iri in faciem sacerdotum, quod illis debetur ex victimis, eóque velut stercore ipsorum vultus esse fœdandos. Sed meliùs vertit editio Anglicana, *Behold, I will corrupt your seed, and spread dung upon your faces, even the dung of your solemn feasts.* Quod est Latinè, *Ecce ego corrumpam semen vestrum* (Heb. לכם, *vobis,* id est, propter vos) *& spargam stercus super facies vestras, stercus ipsum solemnitatum vestrarum.* Hoc est, quia vitiastis & adulteraftis cultum meum, inquit Dominus, ego quicquid seminaveritis corrumpam, & quum fœteant ac displiceant mihi omnes

victimæ veſtræ. ipſarum victimarum, quas in ſolemnitatibus veſtris immolatis, ſtercora congeram in capita veſtra, & ſordidatos atque contemtos vos efficiam.

Et Aſſumet vos ſecum, &c. Q. d. Illud ſtercus, quo fœdabo facies veſtras, rapiet vos ad ſe, hoc eſt, reddet vos totos ſtercoreos; id eſt, ſummo dedecore affecti à me, ac ſiquis conjeciſſet in facies veſtras ſtercus ſemper eritis ignominiati.

4. *Et ſcietis*, &c. Q. d. Scitote me per Prophetam ad vos, ô Sacerdotes, miſiſſe mandatum iſtud de curando cultu Dei, & averſanda contaminatione, ut pactum, quod olim cum Levitis & ſacerdotibus ſancivi, vobiſcum etiam ſtet, ſi purgemini ab inquinamentis veſtris.

5. *Pactum*, &c. Q. d. Fœdere cum tribu Levitica, ſeu, cum majoribus veſtris Levitis & Sacerdotibus inito promiſeram ipſos me ſenſuros omnibus modis beneficum, atque fruiturос vitâ beatâ ac tranquillâ; ſteti promiſſis, quia mihi præſtiterunt reverentiam, & magna cum religione ad ſacra munia acceſſerunt.

Vitæ. Vita hîc ſumitur pro vita invitabili, ut in illo Prov. 16. v. 15. *In hilaritate vultus Regis, vita.*

Pacis. Id eſt, quietis imperturbatæ.

Et dedi ei timorem. Heb. *Et dedi eas* (ſcilicet, vitam, & pacem) *illi* (tribui *Levi*) *timorem*. Id eſt, propter timorem.

Et timuit me. Id eſt, quo timuit me.

6. *Lex*, &c. Q. d. Majores veſtri ex tribu *Levi* ſcientes in quem finem ornati fuiſſent ſacerdotio, probè ſuis partibus ſunt defuncti; tradiderunt enim populo Legis doctrinam veram ac ſinceram, miniméque hominum commentis adulteratam; Vitam doctrinæ ſuæ conſonam degerunt; rectè factis perſeveranter me coluerunt, piſſque monitis populum ad reſipiſcentiam reduxerunt.

Iniquitas. Si clariſſimo Druſio credimus, *iniquus ſermo eſt, quem culpa redarguit.*

Non eſt inventa. Id eſt, non fuit. Sic Eſther. 1. v. 5. *Invitavit omnem populum, qui inventus eſt in Suſan*, id eſt, qui fuit in Suſan regia. 1 Pet. 2. v. 22. *Nec eſt inventus dolus in ore ejus.* Id eſt, nec fuit dolus in ore ejus.

In pace & in æquitate ambulavit mecum. Heb. *In pace & in recto ambulavit mecum*. Id eſt, tribus *Levi* mecum tanquam cum ſummo bono ſemper quæſivit communionem, mandata mea exequens *in pace*, hoc eſt, in tranquillitate conſcientiæ, quam εὐθυμίαν Græci vocant, & *in recto*, ſeu, in ſinceritate cordis ſine fuco ac ſimulatione.

7. *Labia*, &c. Q. d. Eſt enim ſacerdotum callere Legem, & ex ipſa docere populum quid rectum ſit; quia *angelus*, id eſt, legatus & interpres Dei eſt ſacerdos, atque adeo non quid ipſe ſenſeat, ſed quid Lex Domini contineat, Eccleſiæ depromere debet.

8. *Vos*,

8. *Vos*, &c. Q. d. At vos patriis actis, atque ſacerdotali dignitate ſuperbientes, à patriis inſtitutis, atque à Sacerdotali officio deficiſtis; quamplurimos in Legis doctrinam peccare feciſtis, adeóque me liberaſtis à pacto, quod cum tribu Levi ſanciveram, ipſius videlicet tribules me omnibus modis beneficum ſenſuros, ſi viciſſim ipſi ſuas partes exequuti fuerint, dicit Dominus exercituum.

9. *Propter quod*, &c. Hoc eſt, quia degeneres filii eſtis, nec puram Legis doctrinam populo tradidiſtis, cùm Legem docere oporteat eos, qui paſtores & ſacerdotes ſunt in Eccleſia, paterni ſacerdotii honore à me abdicati eſtis; & quia totam pietatis doctrinam in Lege contentam in hominum gratiam flexiſtis ac corrupiſtis, ut fœdifragi apoſtatæ omnibus deridiculo atque deſpicatui eritis.

10. *Nunquid*, &c. Q. d. Nónne nos omnes ab uno Jacob Patriarcha prognatos Deus unus formavit in populum unum, cùm educeret patres noſtros Jacobi filios ex Ægypto? Cur ergo alter alterum fœnore opprimit, violans pactum patrum noſtrorum, hoc eſt, Legem, quæ uſuras à popularibus vetat accipi? Vide Exod. 22. v. 25. Levit. 25. v. 36, & 37. Deut. 23. v. 19, & 20. *Tangitur*, inquit Grotius, *hiſtoria, quæ eſt apud Nehemiam 5. v. 3, 4, & ſeq.*

Creavit nos. Id eſt, nos ab omnibus gentibus ſegregatos formavit in unum populum ſibi peculiarem, educendo patres noſtros ex Ægypto. *Sic*, inquit Grotius, *vox* ברא *ſumitur Eſa. 43. v. 1. & 45. v. 8, 9. Pſal. 102. v. 18.*

11. *Tranſgreſſus.* &c. Q. d. Tribus Juda redux è captivitate Babylonica, & qui ex aliis tribubus cum tribu Juda in patriam reverſi ſunt, perfidiâ abominabili in ipſa urbe ſanctâ Jeruſalem, in conſpectu Templi polluerunt ſanctitatem illam, quâ Deus gratuitâ dilectione ipſos ornaverat, quum illos indignos licèt, nihilque de ſe meritos ab aliis populis ſegregaſſet, & ſibi adoptaſſet in peculium & in regnum ſacerdotale; remiſcuerunt enim ſe profanis gentibus, & duxerunt uxores alienigenas, quæ falſos deos colunt. *Tangitur*, inquit Grotius, *hiſtoria, quæ eſt Eſdræ capp. 9, & 10. & Nehem. cap. 13. v. 23.*

Habuerunt filiam dei alieni. Hoc eſt, duxerunt uxorem cultricem dei alius à vero.

12. *Diſperdet*, &c. Q. d. Excîdet Dominus è cœtu populi ſui reum hujus permixtionis cum mulieribus idolorum cultricibus, ſive ille tanti ſceleris autor fuerit, ſive imitator, eúmque ab hac exciſione nulla piacula liberabunt.

Magiſtrum & diſcipulum. Heb. ער ועגה, *excitantem & reſpondentem*, id eſt, præeuntem aliis tam deteſtabili exemplo, aliòſque ſequentem tam abominandâ imitatione.

Et offerentem munus Domino exercituum. Q. d. Etiamſi piacula res victimas offerat, Dominum non placabit.

13. *Et hoc rursùm*, &c. Q. d. Peccatum peccato accumulastis; neque enim duntaxat arsistis in mulieribus idolorum cultui addictis, sed insuper amorem legitimis conjugibus debitum in illas transtulistis, atque ita causam præbetis uxoribus vestris Israëliticis cur insolabiliter cum ploratu ac planctu altari advolvantur; hinc fit ut ampliùs non respiciam ad vestra placamina neque illa benevolè recipiam è manu vestra.

Non respiciam ultrà ad sacrificium. Heb. אל המנחה, *ad fertum.* Vide quæ diximus in Joël 1. v. 9. Est autem *respicere ad sacrificium* idem ac illud benevolè accipere: Metaphorâ ab iis sumtâ, qui oculorum nutu significant munus sibi acceptum; aut si displicet, oculos avertunt, nec dignantur intueri.

Nec accipiam placabile. Id est, nec accipiam placabiliter seu benignè ac benevolè, ut ad litteram sonat vox Hebræa לרצון posita pro לרצון.

14. *Et dixistis*, &c. Q. d. Quod si quæsieritis cur propter uxores vestras vestra non suscipiantur sacrificia, ratio præsto est: quia nimirùm Dominus testis est injuriæ quâ uxores ejusdem vobiscum federis divini consortes afficitis; amastis enim puellas, & flore ætatis decerpto, eas proculcatis, alienigenásque superinducitis.

15. *Nónne*, &c. Hebræum אחד & והאחד in priore hujus versiculi hemistichio alii cum Vulgato interprete putant vertendum per Nominativum, *unus*; alii verò putant reddendum in Accusativo casu, *unum*. Qui priorem versionem sequuntur, cum Hebræis consentiunt sermonem hîc haberi de Abraham, qui prole omni carens vocatur *unus* Esa. 51. v. 2. & Heb. 11. v. 12. Qui verò *unum* legendum existimant in quarto casu, aiunt sermonem esse de Deo, qui unum fecit hominem, hoc est, masculum & fœminam, juxta illud Gen. 1. v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.* Si prior versio genuina est, occurrit Vates objectioni, quâ quis poterat ei objicere: Numquid Abraham primus hoc fecit ut alienigenam uxorem legitimæ superinduceret? In quo tamen fatendum est exuperantiam divini fuisse spiritûs, ut sciret quid rectum esset, quid secùs. Respondet dissimilem esse Abrahami rationem, quippe longè aliâ causâ quàm ipti ad id faciendum adducti, nempe non ex carnali aliquo affectu, sed pietatis quodam zelo, uxore ipsâ adhortante, ad acquirendum semen promissum. Quæstio itaque seminis per Dei gratiam promissi, seu prolis Deum colentis erat unicus finis propter quem Abraham superinduxit uxorem ancillam suam Ægyptiam. Sin posteriorem translationem sequamur, sensus erit, Deus hominem creavit unum, hoc est, masculum & fœminam, quos ita conjunxit, ut una caro essent. Poterat utique exuperantiâ virtutis suæ creare plures uxores uni viro, neque enim virtus spiri-

tûs

tûs ejus in unius uxoris formatione fuit exhausta, sed ideò fecit ut duo tantùm essent una caro, ut ex duobus hoc modo unitis divinum semen, id est, legitima soboles ab omni macula & vitio pura progigneretur. *Ergo*, inquit Calvinus, *tacitè hîc Propheta ostendit spurios omnes fore, qui ex polygamia nascuntur: quoniam non possunt legitimi filii censeri, neque debent, nisi qui secundum Dei institutionem gignuntur. Ubi autem vir fidem uxori datam violat, & sumit sibi alteram, sicuti conjugii ordinem pervertit, sic etiam non potest legitimus esse pater.* Sunt qui ad hunc sensum accommodant Gen. 6. v. 2. *Videntes autem filii Dei filias hominum*, ut filii Dei sint qui ex monogamia, filiæ hominum quæ ex polygamia vel scortatione fuerant procreatæ. Nom possum hîc prætermittere intolerandam calumniam Joannis à *Chokier de Surlet* Canonici Leodiensis, qui in libro, cui titulus, *Fax historiarum*, centuriâ 2. cap. 83. polygamiæ patronos facit, quos contumeliosè Novatores appellat, intérque eos præsertim Lutherum & Calvinum, sic scribens: *Non defuere hæretici antiqui, inter quos Hermogenes, adversus quem scribit Tertullianus, qui polygamiam probarunt, & veluti hastis amentatis defenderunt: quippe qui cum Mahomete sustinebant tot uxores licere ducere, quot unusquisque facultatibus suis sustentare posset. Ab his steterunt nostri temporis Novatores, inter quos in Germania Lutherus, in Gallia Calvinus, qui illum inter Christi Apostolos numerat, qui quidem polygamiam ad pelvim usque tuetur, imo pluribus argumentis (si argumenta dicenda sunt, quæ ab Orco provenium) quam unquam Mahometes prædicavit.*

Custodite ergo spiritum vestrum. Id est hortor vos itaque ut iram cohibeatis. *Nam*, inquit Grotius, *Spiritus est* θυμὸς *Job. 15. v. 13. Prov. 18. v. 14. & 29. v. 11. Ezech. 39. v. 29. Zach. 6. v. 8.* ὀργὴ *Prov. 16. v. 32. Esa. 59. v. 19.*

Et uxorem, &c. Q. d. Neque quisquam vestrûm datam fidem uxori in adolescentia vobis nuptæ violet, aliâ superinductâ.

16. Cùm, &c. Q. d. Siquis fastidierit uxorem suam, prodat animum perversè affectum in uxorem, & quod Moses ob cordis vestri duritiem concessit, dimittat eam dato libello repudii. At vos intolerabili tyrannidecogitis exosas vobis uxores domi vestræ manere, ut fallaci larvâ immeritum in eas odium abdatur & delitescat.

Custodite, &c. Repetit, ut valde necessarium, quod mox dixerat v. 15. ut irâ injustâ in uxores suas depositâ, serrent ac foveant viri cum uxoribus illam fidem mutuam, quam exigit Deus quasi stipulator, qui suâ autoritate virum uxori conjunxit.

17. Laborare fecistis Dominum, &c. Humano more loquitur id est, magna peccastis in Deum. Si Grotio credimus, præteritum hîc ponitur pro futuro, q. d. Prævideo fore ut multa peccetis in sermonibus

bus veſtris. Quòd ſi rogetis quinam ſint illi futuri ſermones adeò impii, ut ipſis dicamur Dominum indefatigabilem defatigaturi, eſt in promtu reſponſio; nempe in eo quod diciris, ſeu, ut Grotius interpretatur, dicturi eſtis, Deus aut delectatur maleficiis, aut ſaltem vindex ſcelerum eſſe deſiit, cùm homines ſcelerati impunè adverſus omnes graſſentur, & ad principatum ac ſacerdotia provehantur. *Hoc*, inquit Grotius, *ideo dicturi erant homines impii, quia per annos propè quingentos ceſſatura erant miracula & prophetiæ. Ea res non Sadducæiſmo tantùm occaſionem dedit, ſed & impietati, quæ Antiochi temporibus maximè apparuit. Sed non eſt noſtrum noſſe tempora, & occaſiones talia faciendi, quæ Deus in theſauris ſapientiæ ſuæ cuſtodit. Habebant Moſem tot miraculis clarum, habebant Prophetas veteres: iis crederent, donec novam lucem Deus alluceret.*

CAPUT III.

1. ECce, &c. Q. d. Explorabo vos etiam atque etiam, neque ullum Prophetam vobis dabo ante eum, qui anteambulo erit Meſſiæ. Ipſe Chriſtus Mat. 11. v. 10. hoc ait intelligendum de Joanne Baptiſta, quem vocat *Angelum*, vel propter angelicam vitæ ſanctimoniam, ut vult Theophylactus, vel potius quia Chriſtum prænuntiavit antequam ipſe ſe manifeſtaret populo, ut omnium animos per pœnitentiam ad eum accipiendum præpararet. Angelus enim & nuntium deſignat.

Ante faciem meam. Id eſt, ante me, antequam ego in terris videar, & converſer cum hominibus. Matthæus habet, *ante faciem tuam.* Sed perinde eſt. Si Filius loquitur, eſt *ante faciem meam.* Si Pater, *ante faciem tuam*,

Et ſtatim. Hoc eſt, ubi ille præcurſor Chriſto venienti viam præpararit.

Veniet. Chriſtus de ſe loquitur in tertia perſona.

Ad Templum ſuum. Templum Dei hîc vocatur Templum Chriſti, ut ſignificetur Divinitas ipſius Chriſti.

Dominator quem vos quæritis. Id eſt, Rex promiſſus, & à vobis impensè expectatus Meſſias.

Angelus teſtamenti quem vos vultis. Hoc eſt, Legatus ille magnus, qui non quavis de re mittetur, ſed ad pangendum fœdus novum melius vetere, cum Judæis & gentibus. De Meſſia hæc accipienda conſenſit Kimchi, quamvis ceteri Hebræorum Doctores plerique fabulentur Eliam Thesbitem hîc dici angelum fœderis, quòd ille zelum habuerit pro fœdere circumciſionis. Hinc eſt quòd Judæi, quoties aliquis eſt circuncidendus, Eliæ ſellam adornant, exiſtimantes

ſtantes ſpiritum illius adeſſe omni circumciſioni & zelare pro lege Domini exercituum.

Ecce venit. Q. d. Veniet haud dubiè ſtante hoc Templo ſecundo, quod tandem Veſpaſiani armis excidetur. *In id Templum*, ut verè ait Grotius, *venire debuiſſe Meſſiam ante natum Dominum Jeſum firmâ fide omnes Judæi tenuere; & id jam apertiſſimè dixerat Aggæus 2. v. 7.*

2. *Et quis*, &c. Q. d. Verùm adventus ejus pleriſque erit non aſpectu modò, ſed & cogitatu terribilis nam ipſe erit ſicut ignis exploratorius, quo ſordes metallorum exuruntur, & ſicut ſapo fullonum, quo pannorum maculæ abſterguntur.

3. *Et ſedebit*, &c. Q. d. Aurificis inſtar, qui aurum & argentum in ignem mittit, ut liquefiant, & excernantur ſcoriæ, rubigóque exuratur, Chriſtus Dominus crucem perferens, ut ad Regnum veniat, eandémque viam ſuis commonſtrans, eos igne afflictionum explorabit, purgatóſque reddet, ut conſcientiâ defœcatâ afferant Deo ſacrificium juſtitiæ, quod unum ipſi ab orbe condito placuit; illos verò, qui diligunt mundum, & quæ in eo ſunt, à ſuis internoſci faciet, ipſóſque uti rejicula diaboli mancipia in reprobum ſenſum tradet.

Purgabit filios Levi. Hîc Synecdochica eſt loquutio: ſed tamen extenditur promiſſio hæc ad totam Eccleſiam, quoniam filii Levi erant quaſi primitiæ: totus autem populus ſub illa tribu Deo conſecratus erat. *Hæc igitur*, inquit Calvinus, *ratio eſt cur filios Levi nominet potiùs quàm totum populum: quaſi diceret, etiamſi infecta ſit ac polluta Eccleſia, tamen aliquid fore reſiduum quod Deus ſervabit, ſed purgatum.*

4. *Sacrificium Juda & Jeruſalem.* Hoc eſt, fidelium populi ſui. Nominat Juda, & Jeruſalem, quoniam Tribus illa erat in patriam reverſa: deinde ſacrificia fiebant Jeroſolymæ, ſed non pro ſplendore antiquo; res enim erant valde attritæ inter miſeros illos exules. Ideò Prophetà ut addat animum fidelibus, dicit pio animo data dona Deo probari, etiamſi pretii ſint exigui, ſicut primis temporibus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Samuelis, Davidis & Eliæ probata fuere ſacrificia, quia integro & ſincero animo Deum colebant.

5. *Et accedam*, &c. Q. d. Sicut Juſtitiæ ſacrificium mihi perplacebit, & qui pio animo me colunt, mihi pergrati erunt, ſic vos toti mihi diſplicetis propter impias corruptelas veſtras, quæ pugnant cum vero cultu meo, atque propediem teſtis ſimul judicis partes agens contra præſtigiatores, adulteros, perjuros, & eos, qui ſubtrahunt mercedem mercenario, qui viduas, pupillos, & peregrinos, opprimunt, & qui jugum timoris divini excuſſo quaſi datâ operâ mihi bellum inferunt, dicit Dominus exercituum. Velox autem illud judicium fuit interitus gentis Judaicæ, ſimul cum urbis excidio in quo & mundi interitus, & judicium finale figurabantur. *Nimirùm,*

vùm, inquit Grotius, *omnes isti per Christum & Apostolos non correcti* ἐδικαιώθησαν ἑαυτοῖς ὀργὴν εἰς ἡμέραν ὀργῆς, *Rom. v. 5.*

6. *Ego*, &c, Q. d. Licet enim, ô filii Jacob, nondum sitis consumti, ut vestra commeruit pravitas, immutabilis tamen sum justitiæ, & exitus ostendet me inexorabilem esse pertinaciter pravis.

7. *A diebus*, &c. Q. d. Neque enim nuper ab officio discessistis, sed per multas ætates continuastis jam vestram rebellionem, & divinis Legibus repugnare perrexistis. Itaque si effugere vultis impendentem vestræ in impietate & sceleribus contumaciæ vindictam, revertimini ad me per vitæ emendationem, & ego per paterni favoris demonstrationem revertar ad vos, dicit Dominus. Quòd si eò contumacia vestra processerit, ut responsetis fruſtrà à vobis conversionem postulari, quia non est vobis ullius delicti, conscientia adurgeo, nunquid vobis insons videtur, qui rapit quæ Dei sunt, quomodo vos diripitis?

8. *Si affliget homo Deum.* Heb. הֵיקבַּע אָדָם אֱלֹהִים, quod optimè redditur in editione Anglicana, *Will a man rob God?* Q. d. Adeóne quisquam in ignorantiæ tenebris demersus est, ut se putet sine crimine posse diripere quæ Dei sunt?

Quia vos configitis me. Heb. כִּי אַתֶּם קְבָעִים אוֹתִי, quod versio Anglicana reddit, *yet ye have robbed me.* Q. d. Vos tamen, quibus semper mea illuxit majestas per Legis doctrinam, non veriti estis mea diripere.

Et dixistis, &c. Q. d. Sin autem quæratis in quo me expilaveritis, in promptu est responsio, in eo nimirum, quod non persolvistis decimas & oblationes Lege præscriptas.

Et primitias. Heb. וּתְרוּמָה, *& oblatione.* Erat pars non minor sexagesimâ de frumento, musto, oleo: quæ pars dabatur sacerdotibus, Deut. 18. v. 4. *Hæ quidem obventiones*, inquit Grotius, *erant sacerdotum, ut & decimæ decimarum Leviticarum. At Sacerdotes cùm deberent ex illis obventionibus jugia sacrificia facere, id non faciebant, aut faciebant perfunctorie, ut videmus supra* 1. 7. *Præterea decimas ad se trahebant, neque patiebantur earum partes novem ad Levitas deferri, Neh.* 13. 10. *Quod Sacerdotes etiam feciſſe ante excidium Vespasianeum docet nos Josephus. Duobus ergo modis Deus spoliabatur suo jure, tum quòd non præstabantur ipsi, quarum rerum causâ institutæ erant obventiones, tum quòd Levitæ fame diffugerent, & sic eorum ministerio Deus destituceretur, ut dicto Nehemiæ loco videre est.*

9. *Et in penuria*, &c. Q. d. Certa vos manet pœna, jámque fame & imbris penuriâ punimini, quia gens universa quæ mea sunt diripit, dum ministros meos defraudat decimis, & oblatione, seu obventionibus, quæ ipsis debentur. Non possum hic prætermittere memorabilem canonem de decimis, qui quintus est secundi concilii Matisconensis, Pelagio 11. Romano Episcopo, & Guntrano Chlotarii

tarii filio Burgundiæ Regè ab uno & sexaginta episcopis Prisco Lugdunensi præsidente celebrati anno Domini 588. *Leges divinæ consulentes sacerdotibus ac ministris Ecclesiarum, pro hereditatis portione omni populo præceperunt decimas fructuum suorum locis sacris præstare, ut nullo labore impediti, horis legitimis spiritualibus possint vacare ministeriis. Quas leges Christianorum congeries longis temporibus custodivit intemeratas. Nunc autem paulatim prævaricatores legum penè Christiani omnes ostenduntur, dum ea quæ divinitùs sancita sunt, adimplere negligunt. Unde statuimus & decernimus ut mos antiquus à fidelibus reparetur, & decimas ecclesiasticis famulantibus cæremoniis populus omnis inferat.*

10. *Inferte* &c. Formulâ jurisjurandi ellipticâ largos Deus pollicetur imbres, & magnam segetum copiam, ut vix horrea capiendis frugibus sufficiant, si Judæi prædam, id est, quod rapiunt ipsius ministris velint inferrè in horreum, ubi sub fidis custodibus servetur, erogandum in usus servantium in Templo. Huic monito obsecutus est Nehemias cap. 13. v. 12, & 13. Magna erat, cùm hæc Malachias vaticinaretur, annonæ caritas, & penuria, Nehem. 5. v. 3.

11. *Et increpabo* &c. Q. d. Depellámque à vobis locustas, & alia noxia animalcula, quæ vites vestras tabefaciant, marcidásque reddant. Vide Commentarium nostrum in Joël 1. v. 12.

12. *Et beatos*, &c. Q. d. Tanta præterea frugum copia & ubertas erit vobis, ut eam gentes admiratæ, vos beatos prædicent, qui inhabitatis terram fertilitatis ergo ab omnibus expetitam.

13. *Invalueruct*, &c. Q. d. Vestrâ oratione me contrivistis, inquit Dominus. Quòd si inolitâ vobis impudentiâ quælieritis quænam sit illa oratio, quâ humanitùs loquens me contritum querar, quasi calumniosè vos accusem, promtum est respondere.

14. *Dixistis*, &c. Q. d. Obmurmurastis mihi tanquam fraudatori cultorum meorum, & negligenti quicquid mihi præstatur obsequi.

Tristes. Heb. קדרנית, *obscurè*, hoc est, humiliter, in morem lugentium & jejunantium pullis vestibus induti.

Coram Domino exercituum. Id est, majestatem ejus reveriti.

15. *Ergo*, &c. Q. d. Cogimur itaque beatos dicere impios, hos enim Deus beneficentiâ suâ prosequitur, & cùm ipsum quotidie irritent peccatis suis, eos id ipse impunè ferre sinit, imo & florere facit.

Ædificati sunt. Id est, florent gloriâ, honore & autoritate, seu, ut ait clarissimus Drusius, *augentur, ornantur. Tralatio ab ædificiis. Ita fumes Prov. 24. 3. Sapientiâ ædificatur domus. Nam sensus, instruitur, ornatur, augetur bonis.*

16. *Tunc*, &c. Q. d. Cùm tam impia & nefanda inter se mussitant homines blasphemi, sæpiùs ista inter se loquuntur, qui timent Deum: Attendit haud dubiè Dominus ad sinceros ipsius cultores,

&

& eorum gemitus audit, perpetuámque in animo ſuo ſervat memoriam eorum, quæ in ipſius gratiam geſſerunt.

17. *Et erunt*, &c. Q. d. Quum facturus ſum judicium, inquit Dominus, erunt mihi in populum peculiarem, ac proprium, qui ſeriò cultui meo incubuerunt, atque indulgenter habebo eos, quomodo parentes iis potiſſimùm indulgent liberis, qui ad ipſ. rum voluntatem mores conformant officioſéque ipſos obſervant, & colunt.

18. *Et convertimini*, &c. Q. d. Vos autem, qui nunc dicitis à Deo abjici cultores ſuos, ſuperbóſque qui contumaciter Legem ipſius ſpernunt, augeri, mutabitis ſententiam, & experientiâ diſcetis omnia facta hominum ab ipſo notari, ut reddat tandem unicuique ſecundum opera ſua, quamvis ad tempus diſſimulet.

CAPUT IV.

1. ECce, &c. Q. d. Nam dies ille Judicii, quo diſcernet Deus inter bonos & malos, exorietur ſuperbis, qui contumaciter Legem Dei ſpernunt, non ut alii dies temperatâ luce lucentes, ſed ut furnus igne ardens, quo ſtipulæ inſtar abſumentur, nec quicquam reſiduum ex ipſis manebit.

2. *Et orietur*, &c. Hoc eſt, idem ille dies, quo impii funditùs diſperdentur, vobis ſinceris cultoribus meis affulgebit ut ſol benignè largiens lucem ſuam, cujus radii erunt ſalutares, atque quocunque ieritis, ubere omnium rerum proventu pingueſcetis inſtar vituli in area devincti, ut ſubſultando grana trituret. Vide commentarium noſtrum in Oſ. 10. v. 11.

Sol Juſtitiæ. Id eſt, Sol qui benignè tum lucet, tum calefacit. *Notum*, inquit Druſius, *ut Juſtitia benignitatem denotat. Sic Pluvia juſtitiæ, id eſt, larga & copioſa. Interpretes Chriſtum innui ſcribunt, quibus ego non adverſor.*

Sanitas in pennis ejus. Id eſt, ſalubritas cœli fiet à radiis, quibus ſol quaſi alis regitur, & *ut aves expandunt alas*, ait Druſius, *ita Sol lumen & radios.*

Et egrediemini, & ſalietis. Heb. ויצאתם ופשחתם, *& egrediemini, & pingueſcetis*, id eſt, quocunque perrexeritis, opimi eritis.

Sicut vituli de armento. Heb. כעגלי מרבק, *ſicut vituli vinculi*, quo ſcilicet vinciuntur triturantes, cui operi incumbentes mirum in modum opimabantur. Vide Bochartum Hierozoici lib. 2. primæ partis cap. 31. ubi fusè probat vocibus מרבק & רבקה copulam ſignificari, vel vinculum in collo bovis, aut vitulorum quo ad aream palum devinciuntur, ut triturando ſaginentur.

3. *Et calcabitis*, &c. Id eſt, in die, quo ego hæc judicia facturus ſum, victorum inſtar calcabitis impios quaſi ardenti clibano in cinerem

rem redactos. Vaticinium in his tribus versibus à Malachia comprehensum *aliqua ex parte*, inquit Daniel Brenius in tractatu de regno Ecclesiæ glorioso part. 3. cap. 2. *velut in umbra & typo impletum fuit Asmonæorum temporibus, neque ultimo Hierosolymorum excidio, cum improbis de populo Judaico, de quibus hîc proprie sermo est, ut patet ex fine capitis præcedentis gravissima supplicia evenerunt, quique erant inter eos pii ultionem inimicorum suorum, quos paulatim tanquam pulverem reddidit, qui pedibus obteritur, hactenus viderunt, ut non amplius sicut antea timendi ipsis essent. Sed præterquam quod hic locus de tali impiorum subversione agat, quâ neque radix, neque ramus, hoc est, nulli posteri eis relinquantur; id quod neque temporibus Asmonæorum, neque in ultimo urbis excidio accidit, ecquando quæso & ubi apparuit salus illa piis inter Judæos post eversionem impiorum promissa, quam littera tam magnificis verbis proponit? Atque hinc perspicitur aliud adhuc adversus impios judicium, aliam piorum liberationem sensu mystico intenta esse, quorum hæc commemorata judicia umbræ & figuræ tantùm aliquæ fuerunt.*

4. *Mementote*, &c. Q. d. Cavete ne, quum posthac defuerint vobis Prophetæ Mosis interpretes, ut rantillùm deflectatis à Lege, quam ejus ministerio in monte binomio, qui Horeb & Sinai dicitur, mandavi ad universum populum Israël, ut omnes à minimo usque ad maximum summâ curâ attenderent ad ipsius præcepta & judicia.

5. *Ecce*, &c. Q. d. Postquam diu cariueritis Prophetis, mittam vobis Legatum illum insignem, de quo dixi suprà cap. 3. v. 1. spiritu & virtute Eliæ Prophetæ præditum antequam veniat dies ille magnus & horribilis, quo Christus in carne apparebit ad abolendum peccatum. Vocatur autem Christi exhibiti tempus *dies horribilis*, quia terribile fuit diabolo, cujus regnum ipse Christus suâ virtute destruxit, tum etiam impiis & rebellibus Christi hostibus, qui ipsius humili patientiâ abusi, in cæcitatem cordis traditi sunt. Quid si dicatur, *Dies magnus & horribilis*, quomodo à Catullo dicitur, *Horribilis & sacer libellus*, id est, venerandus. Horribile enim non tantùm est quod horrere possis vel debeas, sed etiam religiosum, sacrum, quod horrorem & timorem numinis afferat, Sic & Græcis φοβερὸν (quod propriè horribile) est arcanum, venerandum. Vocabulum certè Hebræum הַנּוֹרָא, quo Malachias hîc utitur, *verendum* propriè sonat.

Eliam Prophetam. Id est, Joannem Baptistam, ut explicat ipse Christus Mat. 11. v. 14. & 17. v. 11, 12, & 13. Quomodo autem ab Hebræis ipse Elias Propheta dicitur Phinees ob parem in Dei rebus ardorem, hîc Joannes hîc dictus est Elias, quia in spiritu & virtute Eliæ antecessit Christum Salvatorem, explicante Angelo, Luc. 1. v. 17. *Cinctura & vestis utriusque eadem fuit. Isabelem ille, hic Herodiadem*

diadem offenderat libertate increpationis. Vasta ambo & inculta loca, procul à mortalium profana multitudine habitavere. Adde quòd idem numinis afflatus, & eodem pacto utrumque inflammavit, inquit Cunæus lib. 3. de Repub. Heb. cap. 7.

6. *Et convertet,* &c. Id est, magno zelo contendet efficere, ut quod Patriarchæ crediderunt, & observarunt, idem eorum posteri faciant, & credant, ut tantùm idem in Domino sentire omnibus cordi sit, ne ubi venero, omnes qui in Judæa sunt funditùs perdam.

Anathemate. Heb. חרם, *excidio. Judæorum execratio* inquit Oecolampadius, *anathema est, quod hic,* חרם *dicitur, ab Apostolo corrupto apud nos verbo Maranatha, quum sit* חרם מרה, *id est, anathema mortis. Hoc anathemate percussit Judæos, quia ut amiserunt agnitionem Christi & regnum Dei, etiam civitatem cum tota terra amiserunt. Nos autem audiamus quid nobis per Mosen ac Prophetas obscuriùs, & quid per Joannem ac Christum, Apostolisque ejus clarius dicatur: ut non solum anathema effugiamus, sed & in die judicii læti ad Christum migremus, Amen.*

FINIS.

CHRISTO JESU
AUTORI, ET CONSUMMATORI FIDEI
SACRUM,
ECCLESIÆ ANGLICANÆ
ET
CUJUSVIS ORTHODOXÆ
JUDICIO,
HOC QUICQUID EST OPERIS
AUTHOR
EX ANIMO SUBJICIT.

Semper agam grates Christo, dabo semper honores,
Laus Domini semper vivet in ore meo.